

INSTITVTIONVM
DE REGVLARIVM ARISTOCRATIA
AVTHORE
D. DOMINICO PVERONE
CREMONENSI
Congregat. Montis Oliueti
Abb. Generali.
TOMVS SECVNDVS.
In Quo
De Mystico ipsius Coelo Empyreo,
PONTIFICE OPT: MAXIMO,
Grauiores Controuersiæ
elucidantur.
BONONIÆ. MDCXXXIII.

DE
REGVLARIVM
Ariſtocratia
PVERONIS
TOMVS SECVNDVS.

APPROBATIO.

CVm perpulchrum hoc, ac perutile Opus, *Institutionum De Regularium Aristocratia*, conſcriptum, Auctore Reuerendiſs. P. D. Dominico Puerone, Congregationis Montis Oliueti Abb. Generali meritiſſimo, legiſſem, pro Eminentiſsimo, ac Reuerendiſs. D. D. Cardinali Archiepiſc. Bononiæ, nihil ſanè in eo inueni, quod cum Chriſtiana Religione, aut moribus pugnet: immo multis nominibus dignum cenſeo, quod prodatur in lucem. Allicit enim ſua venere pulchra methodus, ſingularis doctrinæ candor, ſine tædio grata rerum varietas, & in euoluendis Sacrarum Literarum, ac Patrum teſtimonijs Auctoris diligentia non vulgaris. In eo Maximum, Romanumq; Pontificem, Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Summum Apicem, Chriſtianę Religionis Principem, Numiniſq; Vicarium agnoſcere, venerari, grauiter, eruditè, piè docemur. Quare ſi excudatur, vt licet, & refert, in veri Numinis honorem maximum, fideliumq; omnium vtilitatem ceſſurum non dubito.

D. Octauianus Finatius Cler. Regul. S. Pauli, & Rector Pænitentiariæ Bononiæ, &c.

TOmum hunc ſecundum inſcriptum, *De Regularium Ariſtocratia*, Auctore eximio, multiſq; alijs claro, celebriq; ſcriptore, Monaſticæ familiæ, nunquam ſatis commendandæ, Oliuetanæ, Generali

nerali Reuerendissimo P. D. Dominico de Pueronibus; Ego infrascriptus vel libentissimè ita approbo, ita omnibus veræ, & Catholicæ fidei studiosis commendo, vt tum propter dicendi excellentiam, tum propter explicandi ordinem, tum propter exactissimum defendendæ Pontificiæ auctoritatis, atq; Ecclesiasticæ immunitatis modum, ac rationem, vtilissimum, & typis, & omni commendatione dignum censeam. Imprimatur ergo.

Ego Fr. Hieronymus Onuphrius, Sac. Theologiæ Doctor Collegiatus, ac Sanctissimæ Inquisitionis Consultor, pro Reuerendiss. P. M. Paulo de Garrexio Inquisitore Bononiæ.

CA-

BEATISSIMO, SANCTISSIMOQ. PATRI VRBANO OCTAVO PONTIFICI OPT. MAX.

DOMINICVS DE PVERONIBVS CREMONAE
post sanctissimorum pedum oscula
P. F.

Generosis id ingenium Apibus (Beatissime Pater) vt fœcundam declinent oleam, sterili delectentur oleastro. Dedignantur meritò lucidum emendicare oliuum, quæ nobiliùs sua cerea face resplendent; at vmbriferam non refugiunt arborem, vndè nil præter otium credantur quærere. Earum Nutritius de aluearijs cauit:

Palmaq; vestibulum, aut ingens oleaster obũbret,
Vicina inuitet decedere ripa calori;
Obuiaq; hospitijs teneat frõdẽtibus arbos. 4.Geor.

Ecce me, ingentem quidem inter Olineta, fratrum primò elatum cultura, Apostolica exin magis benedictione surgentem. Oleastrum vereor, qui pro im-

immortalitatis lampadibus Palladium non reddam humorem. Exeuntibus ad otium Apibus tuis, iugi solicitudine fatigatis, vmbram offero, satis seipsis splendentibus. Coram ijs referant alij palmas, qui Trophæis onusti, de Hæreticorum proteruia reportatis, Maiestatem Pontificiam quæstionibus acerrimis propugnarint: eandem ego pacifico ramo prætendens, fessis animis opacare intendo. Nobiliori stylo VRBANO *alij dixerint sapientissimo viro: Apibus nunc ego agrestibus, ruri, sub oleastro, campano ære, raucum cymbalissabo. Arte hac alliciuntur Cecropiæ.*

Excipiat Sanctitas tua quod tenuis homo, tenue votum offero. Beneficio obæratis non prohibentur manus, sed pedes. Qui beneficia inuenit, compedes inuenit, *non manicas, ait paroemia. Turpe est à benefactore discedere: quantulumcunq; donum porrigere licet. Quoties beatissimis tuis pedibus prouolutus, fui toties beneficijs compeditus. O beatas compedes, si discedere impotem, Pater Sanctissime, non repellas: quem obligatum aspicis consecrantem, sanctissima benedictione confirmes. Diu vniuersali Ecclesiæ Pastor vigilantissimus, diu mihi Princeps munificentissimus.*

AP-

CAPVT I.

Virtutem sui Empyrei, seu Pontificis Maximi potestatem ab altioribus principiis Aristocratia nostra vestigat.

ELENCHVS.

1 *Homini esse propriam, atq; vtilem contemplationem Cæli naturalis.*

2 *Vtilius longè est mysticum Empyreum Apostolicum considerari.*

3 *Religiosis hominibus idem maximè necessarium, & qua ratione nobis in hoc opere de ipso agere sit propositum.*

4 *Necessitas politicæ potestatis, ex naturali propensione in vitam ciuilem.*

5 *Potestas hæc eidem data communitati, cui est inditus conuiuendi amor vniuersaliter, absq; determinatione ad aliquam politiæ speciem.*

6 *Populi contradentes hanc potestatem alicui electo Rectori ad obtemperandum tenentur, & Principes vice versa ad fœderis inuiolationem.*

7 *Subiectio populorum electis Principibus habet ex Scriptura, Patribus, & sacris canonibus testimonium.*

8 *Error existimantium non modò auctoritatem politicam, sed etiam ipsos Principes esse constitutos immediatè à Deo.*

9 *Quas scripturas detorqueant ad intentum.*

10 *Iis omnibus respondetur, & contrarium asseritur.*

11 *Modi plures Principatus humanitus adipiscendi.*

12 *Quo sensu per Deum dicantur regnare Reges.*

13 *Potestatem ipsam si quando in scripturis legantur Principes à Domino retulisse, id non intelligendum immediatè.*

14 *Ex hac mediata receptione auctoritatis à Deo, non est liberum*

terrenis Dominis contrà fas insultare.

15 *Neque tamen in populare iudicium acta Principum sunt passim vocanda.*

16 *Discrimen proprium inter dominium, & potestatem, tamquàm species ad genus.*

17 *Communitates tradentes alicui plenariam potestatem in Republica, non tamen omne dominium tradidisse videntur.*

18 *Discerniculum aliud inter potestatem, & dominium, est vtilitas huic propria.*

19 *Dominiorum species recensentur: & primò de eo quod est à iure Diuino simpliciter, aut naturali.*

20 *De dominio à iure Gentium, & Ciuili.*

21 *Diuisio dominij Ciuilis in excellens, vtile, & plenum.*

22 *Vtilitas ponitur in definitione dominij generica, & quomodo Deus sit solus Dominus verus, cum tamen nulla afficiatur vtilitate extrinseca.*

23 *Potestates Principatus spiritualis, & temporalis definiuntur.*

24 *Ab eadem efficienti causa Diuina, diuersimodè licet, ambæ dependent.*

25 *Disparitas inter spiritualem, ac temporalem potestatem in materiali causa, & receptione apud varias Gentes.*

26 *Finalis, & formalis causa, non eadem ambabus.*

27 *Modus quo temporalis potestas diffluxit à Deo.*

28 *Qualiter itidem spiritualis facultas ab eodem emanarit.*

29 *Corollarium pro Monarchia præstantia in supernaturali regimine Ecclesiæ, secus in naturali politia.*

30 *Supremum Imperium super vniuersum orbem nemini vmquàm naturaliter datum.*

31 *Contrà, Sacrorum Regnum numquàm, non penes vnum fuisse vniuersalem Monarcham.*

32 *Tanta harum potestatum diuersitas, eas nullatenus reddit insociabiles.*

1 PHilosophicum peruulgatum satis responsum est, inter Animalium infinitum propemodum exercitum specie multiformem, prona cæteris incedentibus facie, solum hominem ideò super terram erecta constitutum ceruice, vt eorum dispar innotesceret vtrinq; conditio: superna hic cœlum intuens agnosceretur oriundus progenie, eò ordinatus; illa semper ad terram conuersa, nil altiùs meditantia, animæ ignobilis, & corruptibilis ederent argumentum. Rationis equidem compos Creatura Diuinæ particeps similitudinis, si quandò è reculis hisce terrenis assurgens, quà secreta vis animum rapit, incorruptibilia ea fuerit mundi tentoria contemplata, obstupens altitudinem, & vastitatem immensam, Syderum claritatem, ordinem, motumq; indeficientem, effectuum, ac temporum vicissitudinem, illic extemplò suadente natura, Patrem sibi manere discit, Regnum, & Gentem; commotus efferuescit sanguis in venis, titillantia inter præcordia cor resilit, suspiria pectus eructat, supplices protenduntur palmæ, Flebiles suspiciunt oculi, generosè subindignatum animum infimi huius exilij tædere incipit; indeq; idem renuit consolari, vbi se à nobilissima Patria detineri cognoscit extorrem.

2 Verùm si corporei Cęli huius vis tanta est ad magnanimos excitandos de æterna patria sensus, si eius intuitus humanæ dignitatis perhibet testimoniū, quantùm in hoc eodem nostrum rationale erit Empyreum, omnimodam referens beatificæ illius aulæ similitudinem? O' pecudescentes homines, digni profectò brutorum numero aggregari, quicumq; demissis prætereuntes aspectibus de tam sublimi, cui ordinamini Cęlo intuendo non curatis! Adeò ne mortales Empyreum regnum existimationi vilescit vestræ, vt nec intuitu vno hìc præstitum dignemini arrhabonem? Sanè, & si humano generi vniuerso tot fidelium sit indolenda fatuitas, id acrius torquet, quod Diuino inter cruore redemptos, baptismatis elutos vnda, huiusmodi non modò sit reperire; sed nec Hæretici desunt Cœlo degeneres, Terrigenæq; Gigantes, maledictorum vesano prælio Cœ-

Cœlum hoc conantes impetere.

3 Vestrum est Religiosi viri, ab hoc Empyreo sapientiæ fulminibus intonare, insurgentes opprimere perfidos. Perspectissimum vobis igitur illud sit, sed in ipsum omnes potissimùm intendite aciem, quò præ cæteris in Cœlestem hæreditatem ostendamini ordinati, & politiæ vestræ, vt decet, sub eius Maiestate directæ procedant. Is nostrarum considerationum harum est finis, optimates, atq; subditos Religiosæ Aristocratiæ suscitare, vt conuertant sese ad suum Empyreum, cui in Ecclesiastica hac ordinantur militia; sicuti alteri Empyreo triumphatori ordinantur in Patria: non autem mens est aduersus Apostolicæ hostes Cathedræ Fæciale hìc canere, ac bellum instruere, nec pseudopoliticos palpones refellere, qui vt sæcularibus Principibus assententur, frequenter etiam inuitis, paruo habent, religionis contemptu, sacram Pontificiam Maiestatem deprimere, vt eorum celsitudini hanc subijciant scalam locò Apostolici sui Empyrei. Aristocratia nostra speculatur virtutem intuitu simplici, prout in se ipsa consistit; consultò declinando respectus, quos eadem habeat ad cæterorum Principum Laicam potestatem. Res scabra, arduitatis non perfunctoriè hìc attingendæ, neq; ad perturbandas pacatas dissertationes nostras miscendæ. Supersedemus, de hoc iterum audiendi, argumenti maiestati prospectiùs consulentes. Multòq; minùs Catholicorum placet Theologorum, aut Canonistarum interseri dissidijs terminandis, probatarum opinionũ aliquam explodendo; sed quàm altè, & lucidè nos de Empyreo Aristocratiæ nostræ suspiciamus solummodò fari, quanta oculis nostris lux eius affulgeat, quæ scilicet actiuitas est, & potestas (rationabilis enim plurium Philosophorum opinio est, nõ per alios, quàm lucanos influxus cælestia Corpora in inferiora hæc operari) quod vt præstetur exactiùs, ab altioribus principijs de Principatuum potestate, ac iure exordiendũ vniuersali.

4 Politicam ad fœlicitatem, seu rationi cõsonam, & secundum virtutem traducere vitam, esse à Deo naturaliter humanis pe-

ctoribus inditum, in primo ipſo operis ingreſſu, primo tomo docuimus; ſiue quia labefactatum genus vix mutuo ſine adiutorio aliquando poſſit ſubſiſtere, ſociabili ſiue inſtinctu ad cõmunicationem, quæ bonitatis propria eſt, impellente; Vt Philoſophus habet 3.Polit.c.4. *Hominem eſſe natura ciuile animal expoſuimus, ac proindè homines etiam ſi ope mutua nõ indigerent, nihilo ſeciùs ad conuictum eſſe procliues.* In ſocietatem verò conuenientes ſecundum rationẽ victuros, aut probos omnes oportet eſſe, aut inter omnes aliquos ſolum, quorum rectitudine cæteri dirigantur: illud in hac vitiata natura ſperare cum ſit inane, adeò, vt à ſceleribus, ac flagitijs iniuriarum, rapinarum, & cædibus nec ipſo omninò metu nefarij temperent, Iudicum, Legum, aut ſuppliciorum inſtãtium, Politicus poſtulauit conuictus, optimos aliquos conſtitui ſuper multitudinem, æqui, boniq; ſtudioſos, cum tuendarum legum neceſſaria poteſtate. *Ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum* 1. *Pet. c.* 2. Secùs, communem ſine Legibus, ſine Iudice, aut Principe vitam inſtituere, id prorsùs multitudinem foret mutuò perdendam iniurijs, doliſq; exponere; vt rectè dicitur c.fin. d.89. ex Prou. 11. *Vbi non eſt Gubernator diſsipabitur Populus*, & Cic. adſtipulatur 3. de leg. *Sine imperio nec domus vlla, nec Ciuitas, nec gens, nec hominum vniuerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt.*

5 Cum itaq; omnis Politiæ ratio in quadam imperandi, & parendi diſpoſitione conſiſtat, vndè illa inducta eſt, poteſtatem quoq; directricem oportet emanaſſe coæuam. Deus, & natura non deficiunt in neceſſarijs. Quibus ergò ad politicam vitam tantam indidere propenſionem, poteſtatem, ſeu iuriſdictionem his maximè neceſſariam par fuit etiam contuliſſe: vt qui finem voluit, humanas videlicet ſocietates, media non neglexerit requiſita, c. præterea de offic.deleg. l.2. ff.de iuriſd. omn. Iudic.

Quia verò neq; hæc, neq; illa Politiæ ſpecies eſt præ cæteris neceſſaria fini vitæ communis, à Deo, & natura intento,

electio relicta est in populorum arbitrio, vt Democratiam hi, illi Regnum, alij apprehenderent Aristocratiam: potestatem vniuersalem, quæ penes multitudinẽ sita fuerat à natura vnanimiter contractam deferendo ad optimatum, vel ad popularem Magistratum, vel ad Monarchas, & Reges, prout libitum fuerat.

6 Quæ iuris collatio integra, & legitima, vtpotè facta alteri de eo, quod sibi inerat, sese addicentes pactis subijcit, seruandis Imperijs, meritoq; obedientiam exigit titulo. Iustiniano id palam enunciante l. 1. ff. de Constit. *Sed & quia Principi placuit legis habet vigorem, quia Populus lege regia, quæ de eius imperio lata est, ei, & in eum omnem suam auctoritatem, & iurisdictionem transtulit.* Sed & Princeps ipse initis tenetur stare fœderibus, publicum de quo pacisci placuit bonum, nullatenus impediendo; alioquin, qui Corporis Laniator, & non Caput beneficum se exhibuerit, eodem naturali quo fuerat constitutus iure per communitatem à republica posset arceri, quemadmodum naturaliter politicæ apes, qui Remp. dissipant

Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent. Virg. Geor. 4.

7 Vt potestati obtemperent homines, quam ipsi, vel immediatè, vel per auorum traditionem vnanimiter in suos Præpositos semel detulerint Scripturarum conclamant oracula, & cum obuijs iuribus testimonia Patrum. Neutiquam temerandæ sunt leges, quas isti sanxerint auctoritate Diuina per populorum communitatem accepta. Gloriosi Principes terræ Petrus, & Paulus suadent, ille: *Subiecti estote omni creaturæ propter Deum, siue Regi tamquàm præcellenti 1. Pet. 2.* hic alter: *Omnis Anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non solùm propter iram, sed propter conscientiam* ad Rom. 13. *Estote subditi omni Regi, & potestati* (ait *Clem. lib. 4. Constit. c. 12.*) *in his quæ Deo placent, tanquam ministris Dei, & impiorum Iudicibus, hæc enim est Dei lex.* item *c. non solum 24. q. 5. Homines ministri sunt*, dicitur, *& vltores iræ Dei, in his, qui malum operantur, vnde non sine causa gladium portant*, & aliud *c. Qui malos* ead. *Qui malos*

percutit, in eo quod mali sunt, & habet vasa interfectionis, vt occidat pessimos minister est Domini.

8 Ad quæ, & consimilia plura incautè acti transuersi allisérunt Nauem, in id erroris naufragantes nonnulli, quòd Regiam potestatem, non modò, qua Reges imperant, verùm & Principes, Regesq; ipsos esse autumarint immediatè, etiã quo ad personalem delectum à constitutione Diuina: in subditos proinde illis fas infræni luxuriari licentia, quatenus nulli prorsus iudicio repetundarum addicti in suis prouincijs liberè decantarent,

Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.

Quibus si contradixeris, discrimen insinuans inter potestatem Principis in abstracto, & principatum ipsum, cum tali indiuidua persona concretum: quòd illa quidem originetur immediatè ab Auctore naturæ, apud hominum vniuersitatem: hic tamen non nisi mediante eadem communitate à Deo deferatur ad Principes, reclamant rursus: Principes quoq; ipsos non secus, ac dominatiuam iurisdictionem eorum sic immediatè manare à Deo, & personaliter hos esse cœlitus ad dominatum delectos, vt nullo casu liceat ab eorum desciscere voluntate, nemini mortalium vsquam fas sit aliquid illorum Maiestati detrahere.

9 Abutuntur ad hoc sacris nonnullis oraculis, vt quod Diuina de se Sapientia iactat: *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernũt*, prou. 8. Idẽ Dominus per Prophetam ait: *Feci terram, & hominem, & bestiam, quæ est in superficie terræ potẽtia mea, & dedi ea, cui visum est dare*, Ierem. 7. addunt quod legimus. *Vt viuentes intelligant Altissimum dominari in regno hominum, & dare ipsum cui vult*, Daniel. 4. Vtq; etiam impijs ex Diuina dispositione parari regnũ appareat legitur Iob. 34. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* O Deus, quales mererentur Reges scelesti huiusmodi, qui primò verbum Dei perperam accipientes, vt cõminiscantur Principibus immediatam potestatem à Deo, illa deinde etiam abu-

tuntur ad iura, fasq; illis pro libito constituendum.

10 Quis aliquid ex obiectis scripturis eat inficias, quibus suprema Dei solum innuitur prouidentia in Regnorum vicissitudine dispensanda sese causis secundis accomodans? An rebamini nostram esse sententiam, Deo inscio, vel inuito, in populis præripi Principatus? Altissimus vtiq; cui vult terrena regna distribuit, & dominatus; sed non per seipsum euidenter immediatè: vt cum Moyse, Saule, Dauid actum est olim: humano quin potius medio vti placet arbitrio. Si quod audis, *Per me Reges regnant*, singulos personaliter Principes intelligis immediatè à Diuina Sapientia in solio constitui, quid est quod alibi eadem de quibusdam ait, *Ipsi regnauerunt, sed non ex me? Os.* 8. fateare distinctionē, velis nolis oportet, qua sic vtrumq; concilies: nempè inesse dominantibus cunctis aliquid, ex quo per Deum dominari dicantur, quòd dominatrix iurisdictio est ab ipso naturæ cōditore oriunda, qua per communitatis cōtraditionem semel accepta, iustè per Dei potestatem imperant. Sed inesse aliquid prætereà, ex quo citrà, estò non contrà, Dei voluntatem ijdem aliquando regnent; nimirùm assumptionis modum, quo hic, vel ille medio causarum secundarum suffragio auctoritatem adeptus est in Republica, cui solummodò permissiuè causa prima consensit; Augustino, & Chrysostomo id apertissimè personantibus; altero lib. 3. Confess. c. 8. dum scribit: *Generale pactum est societatis humanæ obedire Regibus suis, quia scilicet id quod humano pacto constituitur, immediatè non à Deo, sed ab hominis voluntate dependet*, altero hom. 24. in Ep. ad Rom. super ea verba. *Non est potestas nisi à Deo*, sic fatur: *Quid dicis? Omnis ergò Princeps à Deo constitutus est? istud non dico, non enim dixit, non est Princeps nisi à Deo, sed de ipsa potestate differit dicens, Non est potestas nisi à Deo.*

At quid opus pluribus? nonne scimus ea tantùm esse immediatè à Deo, quæ aut reuelatione supernaturali firmantur, aut à naturæ statuto iure nefas est permutari? Diuina reuelatiò de ordinarijs Principatuum delationibus nusquàm apparet; Iure

enim Gentium distributa fuisse dominia, & imperia constat, *l.ex hoc iure ff.de inst. & iure*, cum à cōstitutione mundi per naturæ legem omnia communia fuerint, nullaq; hominibus discretio intercesserit præcellentiæ. Regna tandem, & Principatus transferri, atq; mutari quotidiana reuolutione contingit; vt nullibi magis fortunæ inconstantia ludat, nil agitetur mobilius.

11 Plurifariam siquidem (præter rarissimam Diuinam impositionem, vt cum duobus primis Hebræorum actum est Regibus) exoriuntur humanis medijs in Rebus publicis Principatus; vel enim spontali populorum cōnsensu per electionem deferuntur imperia, vt magistratus omnes in Aristocratijs, aut Democratijs, necnon antiquis Regnorum institutionibus; vel sorte, atq; augurijs, quemadmodum diù apud Scythas, & Persas: Tyrannica inuasione alij se ipsos prætulerūt, vt Nemroth: Iure belli plurimi assequuntur Imperia; siue iniusti, veluti Trax Imperator Græcorum premit Imperium; siuè iusti, vt Terræ Sanctæ expugnatores, Barbarorum ab Italia expulsores; Hęreditaria succeſsione alij regnādi veniunt in sortem, vt nostri ferè omnes Europæ Principes; alij regno donantur ab alio regnante, sicuti à Cæsare Palęstini olim Tetrarchæ, quidam permutationis, quidam dotis titulo potiuntur sceptris, alijs tandem parua familia dominabilem excreuit in Gentē, vt Abrahę, & ante ipsum Noemo, atq; Adæ.

12 Qui omnes verè ex Deo regnant, quocumq; modo intrudantur in potestatem, quia hæc immediatè à Deo processit, qua fieri dominantur, per communitatis electionem, aut tacitum consensum recepta. Eodem sensu à Diuina Sapientia dicitur: *Per me Reges regnant*, quo & ibidem subditur, *& legum conditores iusta decernunt*. Anne Deo ad aures immediatè dictante, sæculares Principes statuta, Decretaq; condunt sua, & non potiùs humanam addiscunt prudentiam, Consiliarijs conuocatis, negocijsq; sapienter consulunt discussis? Nihilominus per Deum iusta decernere, ac regnare dicuntur meritò, quam-

 uis

uis mediante humana ſapientia, & transfuſione iuris ab vniuerſitate in ipſos.

13 Poteſtatem immò ipſam Principes audies à Domino recepiſſe; *vt Sap. 6. Audite ergò Reges, & intelligite, diſcite iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſsimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur.* nil prohibet nanq; ſimul primariò recognoſci à Deo, quidquid ſecundis intermedijs cauſis, ab eius prouidentia diſpenſatur. Nunquid immediatos cęligenas, & Altiſſimi noſmet iactabimus filios, quia ſic illum compellamus, *Pater noſter qui es in Cœlis?* & qui audimus *Patrem nolite vocare vobis ſuper terram*, carnales illicò ſtatuemus abiurare Parentes, quos honorari iubet Decalogus? hinc certè nihil monemur aliud, niſi ſupremæ omnia cauſſæ principaliter debenda accepta, quæcumq; nobis à ſecundis proueniunt, ne vnquam talibus inſoleſcere audiamur, *Manus noſtrà excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia. Deut. 32.*

14 At non mediata iſtiuſmodi authoritatis à Deo proceſſio ea eſt, quæ omni exſolutos lege ſeculares Dominatores ab omni prorſus Diuina eximat diſciplina, aut ab Euangelica illa ſubiectione abiuget, de qua mandatum eſt Petro: *Si peccauerit in te Frater tuus corripe eum; ſi te non audierit dic Eccleſiæ*, Matt. 18. Porrò dum his argutijs, immò gerris cauillari quidquam, & nugari prodeſſet; ex eo videlicet nemini licere corrigendis Dynaſtarum erroribus vacare, eo quòd ipſi medio populorum conſenſu, vel dilectu à Domino ſint Prælati, quæ auctoritas ijſdem ſupererit Principantibus, in corripiendis ſubditorum flagitijs? cur non reclament ipſi quoq; Iudicibus, quicumq; ſceleris in pœnam, aut bonorum, aut capitis mulcta plectuntur? agant, refugiant & ipſi ſuperiorem poteſtatem ſuper ijs, quæ vtraq; à Domino receperunt. *Dominus pauperem facit, & ditat* 1. *Reg.* 2. Quo iure Iudex bona delinquentis inuadit? cur hominem cædi imperat, *cum ipſe*, de Domino dictum ſit, *det*

omnibus vitam, & inspirationem per omnia? Act. 17. Quòd verò inibi minitetur Deus, se interrogaturum opera Principum, id de latibulis dicitur conscientiæ, quæ ab humano erepta foro Diuinum pro sententia sunt aditura tribunal, & explicatur statim ijs verbis, *& cogitationes scrutabitur*, non quasi omnem sibi in eos reseruauerit potestatem.

15 Caueas tamen deterioris errati, hinc ne apprehendideris ansam, contrà Principum ab omni humana correptione exemptores, plus nimiò popularem ampliando licentiam; vt iàm illi subiacere huic incipiant; Ideò .n. rectè Deoq; approbante præfectæ sunt in Republica potestates Rectorum, vt Iurisdictio imprudentis multitudinis erepta de manibus, penes optimos collocaretur Præfectos, quos postquàm concordi instituerint Sacramento, ijs vsq; ad aras, vt fertur, & in omnibus, quæ Diuinis palam non reuincantur legibus aduersari, obtemperare tenentur.

Apagete Caluinistarum, & Anabaptistarum tumultus petulantia pessum prementes effræni Maiestates Principum venerandas, vt quoquo modo ab omni legum imperio rebellem populum emancipetis. Quid tale non clamant allata monita scripturarum, & Patrum, in Principes tantoperè iubentia obseruantiam, tametsi humanitùs immediatè fuerint ad solium potestatis euecti; nàm Petrus explicitè loquitur; *Subditi estote omni humanæ Creaturæ propter Deum; siue Regi quasi præcellenti, siue Duci, tamquàm ab eo missis, &c.* quòd Reges, ac Duces, humanas dixerit Creaturas, quibus obediendum, manifestè docuit, Principes ipsos creari ab hominibus; superaddidit tamen: *propter Deum tamquàm ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum*, quia Diuinum est institutũ, ac placitum, in generali præesse politicis societatibus potestatem; vndè ad virtutem illecta, à vitijs sit coercita multitudo. Teterrimus is est Reipublicæ status, cum aut nulla, aut despicabilis præest auctoritas. Vt malorum quotquot sub ijs temporibus acciderant caussa refunderetur in Anarchiam, extremus Iudicum li-

 ber

ber sic clauditur: *In diebus illis non erat Rex in Israel, sed vnusquisq;, quod bonum sibi videbatur hoc faciebat. Iud. 21.* potestas igitur, quam naturaliter Deus indidit communitati in directionem politicæ fœlicitatis, sicut in homines transferri potuit ab ipso authore naturæ, cui creationis, & conseruationis iure dominium, ac potestas omnium immediatè, & absolutè debebātur; ità licuit multitudini ab hac iurisdictione per Deū, naturamq; recepta se se abdicare, ac in Præpositos aliquos certos eam omnem transfundere.

16 Idipsum de inferiori quouis alio in creaturas irrationales Dominio fieri posse est intelligendum: familiari siquidem loquendi modo pro eodem vsurpari consueuerunt Dominium, atq; potestas. Discrimen attamen internosci potest ab acutiùs intuentibus, tamquàm inter genus, & speciem: quòd nullum Dominium reperire sit potestatem minimè includens; potestas verò, vtpotè vniuersalius genus complectatur species plures à Dominio distinctas, in propria specie sumpto, quales recensentur à Iuristis, vsus, & vsusfructus, in quibus potestas inest vtendi in primo, & etiam fruendi in altero, aliena re, salua substantia. Ius etiam, est propriè quædam potestas, quæ impropriè diceretur Dominium: neq; .n. filius vllo pacto dominatur in Patrem, quàmuis in ipsum ius habeat alimentorum; & tamen ius omne non aliter definitur, quàm potestas exercendi actum aliquem circà rem; aliter autem definitur Dominium, vt obseruauit Siluester in Summa, verbo Dominiū: *Est ius habendi, possidendi, fruendi, & vtendi aliqua re, pro libito voluntatis simpliciter, vel secundum aliquem modum, ex quadam superioritate.* Id quod innotescet apertius considerantibus in Sacramento Ordinis verissimè spiritualem potestatē tradi ordinato circa Corpus CHRISTI verum, & mysticum, proximè, vel remotè, nihil tamen Dominij super idem ab ordinatis acquiri: si vocabulo dominij nolimus abuti, prout horrere debent aures nostro dominatui ipsum immortalem subijcere Dominum.

17 Cum igitur in definitione poteſtatis ne verbum quidem habeatur de dominio, & hoc reuerſa vice ſinè illa nequeat eſſentialiter explicari, inclareſcit ſatis, hæc duo non eſſe prorſus vnum, & idem; ſed quaſi genus, & ſpeciem diſcriminari: & quod ad noſtrum proficit inſtitutum, poſſibilem eſſe repertu poteſtatem in aliquo circà quoddam, ad quod neceſſariò dominium non conſequatur. Vndè hominum communitates, quæ primitùs conuenientes fecerunt liberam alicui Principi poteſtatem in vniuerſam Remp. dirigendam, non proindè vniuerſale intelligendæ ſunt contradidiſſe Dominium; vt ſe quaſi manciparent in ſocietatem, fieretq; Principi ius in particularia Ciuium bona immediatè; quàmuis mediante poteſtate plenaria dirigendi publicum bonum, iuſtas queat leges edicere, quæ legirupas multent proſcriptione bonorum.

18 Ex quo ſe prodit diſcrimen alterum ab alijs obſeruatum inter ptoprias naturas Dominij, ac poteſtatis: nempè quòd hæc ſi præcisè ſpectetur, nullum ſecum ferat compendium, ſiue vtile priuatum; ſed de publico tantùm ſolicita bono facultatem nõ importet in Principe pluſquàm diſpoſitiuam, legiſlatiuam, iudiciariam, & corripientem. Dominium contrà nonnihil ſemper propriè vtilitatis importet, ſiuè proximè, & immediatè, ſiue mediatè, atq; remotè; de ipſa rei ſubſtantia, vel de accidentibus, quoad vſum, in quacunq; dominationis ſpecie.

19 Porrò plures dominij ſpecies recenſentur, pro ingeniorum varia ſubtilitate adnotatæ, & diſtinctæ; nec ſine legentium tædio, temporiſq; iactura ſingulas eſſet proſequi: quandoquidem adſunt qui ſex, qui nouem, & qui omnium ſuperſtitioſiſſimè, vſq; viginti tres dominiorum ſpecies numerent. Quorſum tot dominia multiplicare, ſi omnia tandem ad quadruplex ius ſunt reducenda, Diuinum, Naturale, Gentium, & Ciuile? Dominium quoduis originem ab aliquo trahit iure, Diuino ſcilicet, vel humano; ab vtroq; bifariam, aliqua enim Diuina bonitas ſudijcit imperio noſtro ex ſupererogantì liberalitate, quæ noſtra non expoſcit natura; vt ſunt quæ illi multiplicato-

res dominiorum vocant gratificum dominium, competens iuſtis ſuper bona opera à ſe elicita in gratia exiſtentibus, & beatificũ, quo æterna gloria poſſidetur; alia donauit homini Deus tanquàm eius naturæ conſentanea, vt vſus creaturarum, & vocatur Dominium huiuſmodi de iure naturali Diuino, eſtq; illud quod larga ea conceſſione homini eſt elargitus Creator dicens: *Dominamini piſcibus Maris, & volatilibus Cæli, & vniuerſis animantibus, quæ mouētur ſuper terram.* Geneſ. 1. Cumq; plenario abſolutiſſimo iure Creaturæ ſuo deberētur ſoli Creatori, vt canit Pſaltes: *Domini eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo; Quia ipſe ſuper maria fundauit eum, &c.* Pſ. 23. ſibi complacuit ſublime dumtaxat reſeruare Dominium; vtilitate, vſuq; rerum omnium dilectum ſuum plaſma hominem munificando.

20 Huic ſobole multiplicata, cum nimis confuſum agnoſceretur iſtud vniuerſale dominium naturale, atq; commune, aliud de iure gentium breui adijcere oportuit, quo diſtinctiùs vnuſquiſq; coerceretur in proprijs, hoc poſſeſſionum diribitore primò agris infixus eſt limes: vniuſcuiuſq; habere certis coercitum finibus habendi ſuſcitauit ardorem: prima hæc fuere proprietatis natalia, quæ auaritiæ monſtrum concepit. ex tunc male ſuada cupiditas prurigines litium, bellorum incentiua commouit, Saturnijs aureis deficientibus ſeculis Aſtræa cęlum indignata repetijt. Meo, & tuo deſcendentibus in arenam, eorum mutua digladiatione interijt concordia tertia. Quarè tandem Imperatores, & Iuriſconſultos litibus remouendis, nouis oportuit legibus inſudare; quò certa præſcriberent iuſtæ poſſeſſionis iura: & Ciuile hinc eſt ortum dominium: id quod habetur *c. quo iure diſt.* 8. ibi *Vnde quiſq; poſſides quod poſſides? nonne iure humano? nam iure Diuino Domini eſt terra, & plenitudo eius, iura autem humana iura Imperatorum ſunt, quæ ſtatuunt vt Heretici nil nomine Eccleſiæ poſſideant. Hinc lex dicit* (gloſſa ſubſequitur) *quod iure gentium dominia ſunt diſtincta, non dicit intro iucta*, ex quibus id claret, Dominia, ac Poteſta-

tes esse à Deo, quod naturæ institutione omni æqualiter humano concessum est generi, vsum videlicet, & vtilitatem creaturarum, ius cuiq; personam tuendi cum moderamine inculpatæ tutelæ, naturalem beatitatem curare &c. Quidquid autem inæqualiter alium sustollit præ alio, siue opum, siue potestatis, id non ex iure naturali Diuino, sed ex Gentium dispositione manasse. quo sensu Regnum, seu Regia potestas dicuntur non esse Regis, sed Gentis, quæ eam à natura receptam apud illum disposuit repetendam, si quando publicum iniquè peruerterit bonum, sic & Poeta *Hinc populum latè Regem* cecinit *Aeneid.* 1. remotè nimirũ per Principes sua potestate regnantẽ.

21 De Dominio autem, quod iure ciuili est inuectum, ad iustæ possessionis præscribẽda iura, si maiorem distinctionem exoptes, tripliciter illud poteris dispertire; Aliud nanq; est excellens solam rei attingens substantiam, & in præfinitis casibus potens irrumpere; Ad decerpendam quoq; vtilitatem, ex illius accidentibus, & qualitatibus; tale est Dominium Principis super fœudalia bona, quorum vtilitatem concedit fœudatario, cuius proinde Dominium dicitur vtile; Tertium est plenum superius vtrumq; complectens, & non magis fertur in vtilitatem, ex vsu accidentium, quam in ipsam rei substantiam alienabilem, vendibilem, & commutabilem; sicuti habent liberi in paterna prædia Ciues, & absoluti Principes, in ditionibus suis perfectissimum Dominij genus ipsoq; vtili vtilius, vtpotè superaddens excellentiam qua in ipsam rei dominantur substantiam.

22 Cernis, quod dicebamus, in omni dominatione vtilitatis propriæ aliquid complicari, vt propterea Dominium definierit Doctor non ignobilis, quòd sit *Potestas in rem, qua vti possumus pro libito nostro, in nostram propriam vtilitatem, quam ob nos diligimus*. Veruntamen non sic censenda est dominationi, intrinseca, & necessaria actualis vtilitas, quin absq; ista omninò illa nequeat reperiri. Immò dominium eò erit nobilius, quò dominator minùs indigus nihil commodi aucupatur à re

possessa, qua liberè frui posset, & subleuari, si indigeret. Ità Deus omnipotens verus est Dominus vniuersorum, quàmuis nulla extrà se quæsita affici valeat vtilitate, bonorum nostrorum non egens: & quæ sunt nostra bona? nonnè quidquid est, ab ipso vero, & increato esse essentiali defluxit? Ipse igitur non modò est Dominus, sed vt acclamat Ecclesia *solus Dominus*, quandoquidem Dominanti superiori subijcitur nemini; inferiorum autem in ditiones quando libet potest irrumpere, nec ei valet quisquam dicere: quarè ita facis? cum alioqui mundi Principes in ijs, quorum actualem possident vsum, superiori subsint Dominio Dei, licet supernaturalis ordinis, de alijs verò quorum infimam vtilitatem subditis côcesserunt, nequeânt pro arbitratu caussa non existente disponere.

Potestatem certè absq; dominio ibi cernis, cũ super Ciuium bona Principis est leges iustas indicere, iudicare, & alienare, nullam tamen ex ijs vtilitatem vsurpare immediatè ex potestate nisi quatenus per hanc rationabiliter potest legem ferre, ex qua legirupæ bona possit fiscus inuadere. Compromissum item dici potest quædam super re disceptata potestas facta tertio, nunquam tamen Dominium.

23 Materialiter tâdem, & ex obiecto cum sicut dominium omne, ita potestas sortiatur spiritualis, vel temporalis differentiæ distinctionem, temporalis, siue Laici Principatus potestas definitur ex Doct. Angelico lib. 1. de regim. Princ. c. 14. *Facultas quædam à Deo toti communitati mortalium naturaliter, & immediatè concessa, ad se regendum & gubernandum in naturalibus rebus, vt secundùm naturalem rationem rectè beateq; viuant.*

24 Præter quem naturalis fęlicitatis finem, alia supernaturalis beatitudinis in rationali creatura existente ordinatione, qua itidem in societatem conueniat; noua spiritualis indè est suborta potestas, vt quemadmodum Ciuile bonum magistratu indiguit, cuius dirigeretur authoritate, sic & nobilior supernaturalis instituti politia, suo quoq; cogeretur imperio, neq; enim par fuerat, hanc laicæ subijcere ditioni. Eodem sic ex Docto-

re ea deſcribitur, vt ſit *facultas ſupernaturalis, immediatè à* CHRISTO *Domino inſtituta, ac Diuo Petro ſupremo totius Eccleſiæ capiti, eiuſq; ſucceſſoribus conceſſa ad regendos, & gubernandos fideles ſecundum Euangelicam legem in his, quæ ad ſupernaturalia ſpectant.*

25 Vtramq; à Deo proceſſiſſe condecuit; Homini quippe nudo ad lucis vſuram egreſſo, nihil in quod dominaretur habenti, nullum debebatur dominium, & ſi quid ſecùm proprij intuliſſet in mundum, id Creatoris fuiſſet imperio addictum, multò magis, quàm filialia, aut ſeruilia bona paterno deuoueantur, heriliq; dominio. Cæterùm (efficienti Diuina cauſſa dempta communi, à qua etiam in inſtitutionis differunt modo) reliqua cauſſarum genera obtinent vndequaq; diuerſa.

16 Ad ſubiectiuam cauſſam conuerſus eam reperies prophanis negocijs implicatam, ſecularia tractantem, diſponentem, ciuili communioni, & paci curādæ. hanc de fluxarum ſecularium rerum commoditate, vel nihil, vel obliquè ſolicitam ſupernaturalia meditari. eadem euangelicis tota eſt in perſoluendis mandatis, quibus immarceſcibilem ſibi comparet, ſuiſq; fęlicitatem attendens quod dicitur: *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata*, Matt. 19. temporalis poteſtas ab initio mundi per gentes cæpit vniuerſas ſerpere, creſcere, & adolére, vndè Iſraelitæ poſtulantes Regem Samueli dixerunt: *Conſtitue nobis Regem, vt iudicet nos, ſicut & vniuerſæ habent nationes*, 1. Reg. 8. nec aliter congruebat, quàm vt omnes homines natura pares facultatem pariter agnoſcerent ſe ſe in naturalem honeſtum finem politicè dirigendi. Secùs alia ſpiritualium poteſtas non fuit ſancta, & vera ſemper ad omnes gentes, vtpotè à Diuina maiori procedens gratia, nec ipſi naturæ debita; ſed in primogenitorum Adam, & Noè genealogiam perducta eſt, & in familiam Abrahæ apertiùs, vndè gloriaretur hæc de Domino: *Qui annunciat verbum ſuum Iacob, iuſtitias, & iudicia ſua Iſrael, non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis*, Pſ. 147. habuerunt tamen vbiq; ſemper populi ſinguli

ficut superstitiosas religiones suas, ità sacerdotes, & potestates spirituales.

27 Sed in modo quo potestates in ambas politias hasce Deo ab authore procedunt, ante omnia est notare discrimen. à Conditore naturæ altera, altera à Reparatore, gratiam indulgente dependent. ideò laica iurisdictio naturalium imitata morem, ab exilibus paulatim, & imperfectis succreuit initijs; vbi ecclesiastica tota simul prodijt statim à sui institutione perfectè, dùm in successores eadẽ transfundenda Petro primùm à Christo Domino traderetur. In Adam enim laicum solùm Oeconomicum incæpit Dominium, quod in filios, & nepotes iure erciscundæ familiæ multiplicatum, ad politicum transijt imperfectum: successiuis posteà sanctionibus populorum, & Regibus adauctũ politioris politiæ forma in dies excogitata surrexit. Sed & in Gentium permansit arbitrio, Regiminis quam præ alijs sibi maluissent deligere formam, Democratiam ne, an Optimatium potiùs, aut Regnum.

28 Spiritualis autem politiæ Ecclesiastica iurisdictio immediatè non per populum, sed verbum Diuinum ipsum Petro, succedentibusq; delata monarchicè, humanitùs alterari non potest. Cuius rei pulchrum illud extat in canonicis monimẽtum c. Ità Dominus dist. 19. *Huius muneris Sacramentum ità Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in Beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso, quasi quodam capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet, vt exortem se mysterij intelligeret esse Diuini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari dicendo: tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã.* Neq; minùs memorandum aliud c. In nouo dist. 21. *Hic* (de Petro dicit) *ligandi atq; soluendi potestatem primus accepit à Domino, & ipse primò Pontificatus in Ecclesia datus est, cæteri verò Apostoli cum eodem pari consortio honorem, & potestatem acceperunt, & iubente Domino in toto orbe terrarum dispersi euangelium prædica-*

dicauerunt; quibus tamen decedentibus, in locum eorum successerunt Episcopi, quorum ordinatio prætaxato debet fieri ordine, & modo: quos qui recipit, & verba eorum, Deum recipit, qui autem spernit eos, eum à quo missi sunt, & cuius legatione funguntur spernit, & ipse indubitanter spernetur à Domino. ex quibus eraditur omne dubium, quin apud vnum caput Petrum ea sit instituta authoritas Ecclesiastica, transitura ad successores, qua cæteri Apostoli per mundi plagas prædicatores peregrinantes fungebantur, vt delegati.

29 Ecce ex hoc inter laicam, & Ecclesiasticam potestatem discrimine, vndè magis, atq; magis nostræ illi adhærescas sententiæ, quam aliàs priori tomo pronunciauimus, Monarchiam in Ecclesiastica politia præstare, neq; etenim diuisus est CHRISTVS vnam profitentibus fidem, vnum baptisma: Ast laicis in regiminibus, alijsq; Ecclesiasticis inferioribus ab assistentia immediata Diuini numinis haud directis, nō sic. Est siquidē, quod animo hìc aduertas, laicum regimen orbis vniuersi sub vno nunquàm constitisse humano Monarcha naturaliter ipsi delatum: Ecclesiasticum contrà extrà Monarchiam nunquàm aberrasse. Certè Adæ, & si Creaturarum omnium in possesionem inuecto, soli tamen minimè dictum est *dominare*, sed cum consortio coniugis *dominamini piscibus Maris, &c.* pluralitatis initium Aristocraticæ; tùm deinde Monarchia non fuerat, quæ iure Patrisfamilias in paucā potuit imperare progeniem, statimq; in tertio ab Adamo Enoch est perpessa scissuras; qui vrbe extructa proprium sibi condidit Regnum, suomet nomine vocāns; tùm etiam quia Adami regimen Oeconomicum non excesisse, suspicioni est Iudicium fratricidij in Caini caussa per se Dominus immediatè suscipiens. Qui ergò sic ad naturæ aures efferatur Regnum, quasi hæc nihil ardentiùs cōcupiscat, rei nullæ aspiret magis, cum tamen in vniuersum id perfectè viguerit nunquàm? nec inferioribus vlla potior præfigitur regula, quàm ab eorum vniuersali desumpta, partibus semper suo toto contendentibus conformari. Eccur humanæ Domi-

nus salutis amator beneficio hoc mundum pepercit augere, quòd vnius hominis ditioni vniuersas subegerit terras, si politicæ beatitati, vt fertur, præ alijs regiminibus Monarchicum præstet? sitq; adeò consonum naturæ? cur non omnis humana species sub vno homine viuat, sicut examen Apum sub Rege, cuius cõtrà opinantes vtuntur exemplo? sed neq; omnes Apes sub vno Principe viuunt, neq; aptè assumuntur ad veræ Reipublicæ argumentum, vt indicauit Philosophus, qui cum dixisset 1. Polit. c. 2. Apes congregari molesti arcendi caussa, & conseruandi iucundi, subdidit statim: *Præter cætera animantia hominibus proprium est, vt boni, & mali, & iusti, & iniusti sensum habeant soli. horumq; societas facit domum, & Ciuitatem.*

30 Erat in Creatoris arbitrio (penès quem omnis hæc, siue Ecclesiastica, siue secularis authoritas residet, vndè, & potuit concedi hominibus) nõ modò laicam totius Orbis instituere Monarchiam, sed cuicunq; maluisset, quando, & quamdiù illam deferre; quod neglexisse, insuper nec ab ipsis hominibus, vel tunc cum rari extarent affectatum, Monarchiam indicat, nec inter alias politiarum formas præcellere, neq; naturæ, Deiq; experi voto.

31 Cùm aliàs Religioni accomodatissimum vnius Imperium, apud supremum vnicum Caput nunquàm nõ voluerit Dominus; non modò inclarescente nunc gratiarum radijs Euangelica die, sed legali imperfecta diluculascente matuta. Ipsisq; legis naturæ cæcutientibus tenebris vnicum stetit Pontificium rude, nostri nunc adimpleti vmbra signatrix. Quæ enim postea Moysis lege vsq; ad Gratiæ tempora regebatur sinagoga Ecclesiam referens, ea Sacerdotum, & Leuitarum multiplicatum ordinem sub vno semper Summo Pontificatu coercuit; A Noemo vsq; ad Aronem primogenitos solos quosq; Pontifices extitisse (imperfectos licèt) in ijs quæ Sacrificiorum Deiq; concernebant cultum auctor est Hieron. de tradit. hebr. in Genes. Ipsumq; Noè (generatione ab Adam decimum, sed Enocho ad Paradisum translato, & Lamecho funerato ante decessum

ſum Patrum munus gerere non valentibus) Octauum Iuſtitiæ Præconem dixit primus, non iàm Præco, ſed ſignificatæ iuſtitiæ Princeps Petrus.

32 Poteſtatum harum tanta hucuſq; oſtenſa diuerſitas, nec ideò mutuas expultrices eas reddit inſociabiles, ſic immò adiuuantur alterutrùm, vt politicus hominum ſtatus ex ambarum coniunctione perfectiſsima firmitate communiatur; Eſtò vnigeniti verbi ante incarnationem, cui Diuinitatis iure omnia debebātur, penès hominum neminem illæ abſolutè ſuper vniuerſum orbem reſederint copulatæ, à quo per legitimum verumq; titulum poſſeſſore in quencunq; maluerit nil transferri prohibuit; nec illius abſolutiſsimæ libertati detrahendū, quòd conceditur mortalibus, ſuarum poſſeſsiuncularum imperfecto participato dominio, ſe abdicare. An autem de facto à CHRISTO Domino in aliquempiam harum poteſtatū ſit facta tranſlatio erit in ſequentibus indagare.

CAPVT II.

Ab excellentiſsima CHRISTI Domini poteſtate, inſtituti Pontificij maxima dignitas explicatur.

ELENCHVS.

1 *QVa in Pont. Max. poteſtas effulget non à iure Gentium, ſed à Deo Homine potuit proceſsiſſe.*

2 CHRISTVS *Dominus Eccleſiaſticum ſibi condidit Regnum.*

3 *Idem ad Cælos euolans viſibilem Proregem ſuo Regno reliquit.*

4 *Tomi huius capita diniduntur, & recenſentur.*

5 *Quàm deceat de* CHRISTI *Domini hìc agere poteſtate.*

6 *Saluatorem venturum cum Regno, Dominio, & poteſtate, ex ſcripturis omnibus dudùm indubitatum.*

7 *Non modò hæc Hebræis fuit constans opinio; sed apud Gentiles similis olim diffamatus est rumor.*

8 *Regnum hoc quà spiritualium est à nemine denegatur.*

9 *Quà temporalia respicit triplex de eo Catholicorum sententia.*

10 *Arguunt proparte negatiua; quia Redemptor nemini terrenorum Principum veniens abstulit Principatum.*

11 *Item ex deformitate Maiestatis cum humili opere Redemptionis.*

12 *Hæreditario iure Regnũ* CHRISTO *Assertori videtur indebitum.*

13 *Iure belli, aut electionis id multò minùs vendicare sibi potest Saluator.*

14 *Ipse confitetur se Regnum de hoc mundo non possidere.*

15 *Prædicta omnia infirmãtur, si de Regno excellenti loquamur, absq; infimo vsu actuali.*

16 CHRISTVM *esse Dominum vniuersi, habitualiter, & excellenter multis ostenditur.*

17 *Eiusdem Regnum distinctum esse à spirituali Sacerdotio ex scriptura probatur.*

18 *Idem se in temporalibus omnibus excellenter regnare pluribus actibus declarauit.*

19 *Noluit tamẽ terrenorũ Iudicũ, & Principũ auctoritati detrahere.*

20 *Excellens Dominium omnium maximè congruum Saluatoris dignitati, immò necessariò adstruendum, ni debeat vis inferri scripturis.*

21 *Ratione hypostaticæ vnionis hoc Imperium debetur humanitati Verbi.*

22 *Redemptionis titulo sibi Redemptor est vniuersa mercatus.*

23 *Titulo itidem hæreditatis non minùs temporalibus, quàm spiritualibus debet praeesse filius Dei.*

24 *Si spiritualiter tantùm eius filius regnet B. Virgo vocari nequit Regina Mundi.*

25 *Secùs nouus homo reparator ignobilior fuisset veteri Adam perditore; & ex defectu actualis vsus male argui carentiã potestatis.*

26 *Potestatem pro regimine suæ Ecclesiæ necessariam debuit Saluator relinquere.*

27 *Qua in primis de Sancta Ecclesia Regno tenenda.*
28 *Inchoatam tantùm à Domino Apostoli absq; necessaria potestate non perfecissent Rempublicam.*
29 *Quando, & quomodò Apostolis Dominus fecerit potestatem.*
30 *Acta Apostolorũ præsertim erectio tribunalis iudicarij nusquàm sine eorum potestate consistunt, quanta opus erat ad Ecclesiæ bonum.*
31 *Specimen huius potestatis exhibitum à Paulo Apostolo.*
32 *Quàm cautè Apostoli se ostenderint alienos ab occupatione alieni dominij.*
33 *Nihil in Apostolica prædicatione antiquius, obtemperantia temporalibus debita Dominis.*
34 *Seculi Principes non funguntur vicariatu in suis ditionibus pro Pontificia potestate.*
35 *Vt intelligendus D. Thomas dicens Augustum, & Synchronos Principes fuisse nati* CHRISTI *Vicarios.*

AD fęlicitatis humanæ geminum finem, naturalem, & super bipertiebamus politiam, eiusq; directricem auctoritatem; Ambarum naturam, origines, similitudines, & discrimina profuit vestigasse, quò in supremo Ecclesiæ Sanctæ Monarcha collatam dilucidiùs intueremur à CHRISTO Domino perfectissimam potestatem, cuius & si propositum non sit insignes contemplari effectus, qualitatem, ac quantitatem metiri, ex caussis tamen proximis eam generaliter est operæpretium stabilire.

1 Ac primò quidem summa in Ecclesiastico capite potestas haudquaquam illius est generis, quod per collationem communitatis de Gentium enascitur iure; sed Deum tantummodò immediatum respicit collatorem. Fidelium vniuersitati ius coeundi non erat, ad præficiendos sibi cum potestate Rectores, quibus dirigeretur vltrà naturalem politicam honestatem; Quamuis Princeps à Populo oriatur, non tamen Pastor à grege, sed hic ab illo dependet coactus, & comparatus.

2 Primus Ecclesiasticum Gregem, qui sibi coegerit, & compararit Iesvs Christvs Salvator est, qui illum acquisiuit sanguine suo; homo & Deus, fingens nos, & refingens. Emptos pretio magno perditos homines, tartaris mancipatos suæ asciuit in membra. Capitis idem Ecclesiastico huic corpori absolutissimum omne præstitit munus. Vt enim inuisibili interno externoq; visibili adiumento animalis membris præest Caput; indè spiritus, sanguinis, aliorumq; humorum influens temperamentum, hinc sensitiua singula operatione exteriùs dirigens: Sic & Mysticum Caput nostrum Iesvs inuisibilis gratiæ inspirator internus Ecclesiæ dedit vitam, & spiritum, cum vegetationis incremento, sed & visibiliter quondàm assistens eandem salutaribus monitis, Diuina institutione formauit, conuersatione firmauit, sensibilibus in Sacramentis Gratię signa constituit.

3 Nostræ salutis opere consummato ad Astra idem peregrè profecturus (O' miram Diuini Vnigeniti in Ecclesiasticum Regnum dilectionem! siccinè humanæ adhærescis conuersationi, vt in terras descendens, in propria venisse dicaris, peregrinari autem exterus cælestia repetens?) tradidit bona sua seruis suis; delegatos Apostòlos vniuersos voluit sui operis Vicarios pręesse Pastores: vnum Principem tamen super omnia bona sua constituens, non delegans, suum præposuit Vicarium ordinarium cum succedaneis vsq; ad seculi consummationem, visibilis viri, & Capitis munus gesturos, sponsæ sibi stabili connubio iunctæ inuisibiliter ipse de Cœlis iugiter gratiam perseuerans influere. Ità fide, Patribusq; docentibus Catholica profitetur Ecclesia.

4 Hæc est quam propiùs rapimur ad contemplandam in Empyreo nostro Maiestatis, & Potentiæ claritatem. Vtq; dubitationum omnem discutiamus caliginem, quæ inspicientium interijci posset aspectibus, omnia hæc ordine consideranda proponimus. Primùm quæ, & qualis potestas extiterit in Ecclesiæ primario Capite, & fundatore Christo Domino; à quo

Vicarij, ac successorũ omnis alia originatur; idq; meritò quæritur, cùm nemo det, quod nõ habet, per Philosophicum axioma, & nemo plus iuris transferre possit quàm habeat ipse, *ex regula iuris in 6.* quàmuis nihil necesse sit dantem potestatem alicui omnia dare, & suam facultatem exhaurire. Secundo loco licuerit ne, & oportuerit, ad conseruationem sui Regni, potestate hominem aliquem insignire, & (quod est tertium) An insignitus sit specialiter Petrus: deinde an ad successores vsq; ea collatio potestatis in sua fuerit integritate protensa.

Ad hæc habeat ne Ecclesia vniuersa superiorem Pontifice Maximo potestatem, puta generalibus in Cõcilijs. Examinandum subindè, quod fertur de Pontifice prolapso in hæresim, sit ne possibilis hæc hypothesis. Insuper qua certitudine, & fide sit in Republica Christiana credendum singulos peculiariter in culmine Vaticano sedentes ipsos esse veros Petri Apostoli successores, & statim edisserere aggrediemur, quis in Regularium virorum Respublicas, nostram potissimùm Aristocratiam, sit Apostolici huius influxus Empyrei. Pòstmodum, an actualis vsus temporalis regni sceptrum Apostolicum deceat, & reuersis vicibus nùm Secularibus Principibus Spiritualis, & Ecclesiastica iurisdictio competat; Tandem de Ecclesiasticæ gentis, & Apostolici immediati regni immunitate dicemus.

5 Christo Domino potestatem omnem, tùm spiritualem, tùm etiam temporalem debitam, vt Creatori, & Redemptori Deo, & Homini sub præcedentis capitis innuimus finem; sed parciùs quàm argumenti Maiestas expostulet. Assumpto instituto minùs videbatur congruere, vt contemplaturi Romani Pontificis potestatem, supremi Protopontificis Christi Domini insalutatam Maiestatem præterijsse viderentur: acturi de Aristocratiæ Regulariũ sublimi Empyreo mystico Pontifice Maximo, eius obliuiscerentur Altissimi Empyrei, de quo Paulus *Pontifex Sanctus*, ait, *innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus*, Hebr. 7. Imperfecta prætereà Ecclesiastici capitis visibilis traderetur cognitio, nõ præ-

cognito inuiſibili capite, & fundatore. Et quàmuis non ſit Vicarius CHRISTI ipſi aſsimilandus, quatenùs pari poteſtate inſigniti credantur, deſiderabatur nihilominùs de ipſius Regis primarij poteſtate notitia, vt indè quanta vicario exhibenda ſit reuerentia diſpaleſceret, & quanta eundem auctoritate munire potuerit, ſi fuerit libitum; pro nunc attamen de hoc nihil determinantes.

6 Saluatorem Meſsiam cũ poteſtate, dominio Regnoq; venturum Prophetæ vaticinati ſunt omnes. Iſaias apertè c. 3. *Dominus .n. Iudex noſter, Dominus Legifer noſter, Dominus Rex noſter, ipſe ſaluabit nos*, Septuageſimus pſal. *Deus iudicium tuum Regi da*, cum reliquis in eo, *Dominabitur à mari, vſq; ad mare; Omnes Gentes ſeruient ei &c.* cùm Salomoni omninò non quadret, cuius prægerit titulum, pacifico Meſsiæ vnanimiter Patres attribuunt Eccleſiæ ſponſo, de quo dicitur *Venite, & videte Regem Salomonem in diademate*, Cant. 3. nàm cõſonat pſal. 2. vbi CHRISTVS interloqui introducitur: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem Sanctum eius; Dominus dixit ad me filius meus es tu; ego hodie genui te; poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam*, quæ ad eius humanitatem quis non referat, cum Auguſtino, & Hieronymo, cum Diuinitati nequeant adaptari? Eſt ſecundum hanc filius æqualis Patri, nec imperium poſtulat voluntariò concedendum iàm genitus, eſtò per generationem æternò, ſic accepiſſe regnum dici poſſet à Patre neceſſariò, ſicut & Diuinitatis ſubſtantiam. Quo circà meritò Cyrillus Alexand. in c. 15. Ioan. *Regem* (inquit) *ſuper Syon Montem eius conſtitutum eſſe non conſequenter diceremus quidquam à Patre illum accepiſſe; ſed cum ſpontè obſequutus Patri homo factus eſt, qui omnia poſsidet vt Deus, omnia recepit vt homo. cui regnare aduentitium eſt, ideſt non naturale, creatura nanq; rectè dicitur: Quid habes, quod non accepiſti? creatura autem verè* CHRISTVS *in quantum homo*. Horſum Daniel filium hominis ſublimatum ſibi viſum deſcribit c. 7. *Aſpiciebam in viſione noctis, & ecce cum nubibus Cœli quaſi filius hominis ve-*

niebat, & vsq; ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ seruient ei; potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. Ad quæ Nissenus tom. 3. *Biblioth. SS. PP. Datus est illi*, ait, *honor, & imperium, & omnes Populi, tribus, & linguæ seruient illi, potestas eius, potestas sempiterna, quæ nō pertransibit, & regnum eius non euertetur: & quis est hic quasi filius hominis, qui potestatem accepit absolutam in omnes, ac sempiternam? homo quidem omnino nullus, sed ipse Deus, & homo* CHRISTVS *de quo, & Dauid Deum, ac Patrem sic alloquitur: Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis. Christus enim vti Deus, & Rex est, & filius Regis, & vti homo factus est Rex, & filius Regis, nempè Dauidis, ex quo postea, Data*, ait, *est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra*, ad quē Pater postquàm vt homo potestatē accepit, *sede (inquit) à dextris meis.* Ratio redditur, quarè Pater potestatem filio dederit iudicium facere, *Quia filius hominis est.*

7 Ità demùm frequenter, atq; perspicuè de Mesiæ regno, potentia & Maiestate scripturæ loquuntur, vt de IESV CHRISTI humilitate, & paupertate scandalizentur Iudæi, expectantes alium etiamnùm Redemptorem subacturum in potētia terras. Quid maiora? per Gentilitatis tenebras disseminatus dudùm fuerat rumor, oriundū ex Iudeæ finibus Regem Romæ iugum impositurum, quem qui excepturi non essent disperderentur. Ità, si non incuriosè legantur, eruitur ex Tullio 2. de Diuin. Tacito Annalium lib. 21. Suetonio in Vespesiano c. 14. Dione Rom. hist. lib. 37. Lucio Floro lib. 4. c. 1.

8 Quamobrem de Mesiæ regno vniuersaliter certiùs explicandum superest, qualisnam sit huiusmodi celsitudo illius, toties prædicata, & repetita. Vnam ne, an vtramq; spiritualem pariter, ac temporalem includat: de illa certo certius est affirmare. Conueniunt Theologi in 4. dist. 1. & 3. p. q. 67. nec ex Hæreticis Neotericis vllus allatrat. Vt quid aliàs filius Dei venit in mundum, tormenta, & necem super ludibria perpeti,

nisi vt sanctificaret sibi gentem redemptam, cui leges condidit, Sacramentorum, & Gratiæ præsidia struxit? *Redemisti nos Deus* (Sancti vociferant) *in sanguine tuo, & fecisti nos Deo nostro Regnum, & Sacerdotes,* Apoc. 5. qui Ecclesiastici spiritualis regni dissimulat euidentiam, mundi quoq; existentiam, & sui ipsius non magis notam expungat: At vbi ecclesia admittitur, spirituale Christi habetur imperium; *Ipse est Caput Corporis Ecclesiæ,* Colos. 1. ipse eam acquisiuit sanguine suo.

9 De temporali regno tripartita Catholicorum sententia duplici suffragio, etsi diuersimodè affirmat; Vno negat, immò & hoc ipso aliquatènus non consentire nequit. Dùm .n. temporali potestate Regia Christum honestant, aliquam multi cum actualis vsus vtili, immediatoq; dominio; alij solummodò cum habituali, & excellenti superioris ordinis. Argumenta vniuersaliter reclamantium, vt sapienter primos redarguunt, sic aduersus alios elumbantur.

10 Aiunt primò eiusdem rei possessorem duplicem repugnare; l. certo §. si duobus ff. commodati, & contrà. Cuius ergò in stabulo nascens Christus regnum inuadat quis locum concedat? an in Iudæa Herodes? hic prædem habet Ecclesiam occinentem: *Non eripit mortalia, qui regna dat cælestia.* quòd si vniuersale mundi imperium puero nato debeatur, aut Principes cæteri Tyranni erunt, si inuito hoc legitimo regnent Domino, aut solùm administri, si ab eius voluntate dependeant.

11 Quid luxui deinde fastuiq; regio cum paupertate, & mansuetudine Redemptoris? Opulescere, & splendere diuitijs regnum petit, terrere armis, stipari satellitio. Hæccine visa sunt vnquàm in pauperrimo pacis, & humilitatis Doctore? ergò formam serui non accepit, sed Regis; ergò non humiliauit semetipsum, sed extulit, qui dignitatem, & potestatem in mundana carne obtinuit.

12 Sed quo iure obtinuit? Genere, & carnali Parentum hæreditate? non (quanquàm non desint qui incerta Genealogiæ serie lineam traducant regalem à Dauid vsq; ad Mariam Virgi-

nem, & Ioseph) nonne scimus, quia hic est filius fabri? & estò rectà deduceretur illa genealogia, satis est ad auferendum regnum, tùm CHRISTO IESV, tùm Iosepho, quod Propheta de Ieconia est vaticinatus. *Non erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltrà in Iuda*, Ierem. 22. ex quo sponsionem illam angelicam Virgini exhibitam: *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius*, Luc. 1. ad spirituale Patres transferunt regnum, & Glossa ad illud Esaiæ 9. *super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, idest*, inquit, *super Ecclesiam, quæ significata est per regnum Dauid*.

13 Iure belli nequaquàm regnare adortus est Princeps pacis; Per populi electionem multò minus: cum orbis vniuersus, in id conuenire nequierit; Iudæa autem sola clamarit, *Non habemus Regem nisi Cæsarem*, Ioan. 19. nec ille eorum acquieuisset electioni, qui *Cum cognouisset*, quondam, *quòd venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem*, Ioann. 6.

14 Vnde cum non alio ferè præter hos titulo iustè regnetur, apud Pilatum de affectato Regno, & seducta gente Dominus insimulatus, respondit meritò *Regnum meum non est de hoc mundo*, Ioan. 18. nec prodest, inquiunt, quidquam asserere Domini IESV, & dominium verum absq; vsu, tùm quia id attribuitur frustrà, quod nulli vsui est futurum; tùm quia Euangelica perfecta paupertas, cuius antesignanus fuit Saluator dominium excludit magis, quàm vsum, vel saltem indifferenter vtrumq;. Sic Iuueni de perfectione solicito cõsilium præbitum est omnia vendere, quò vsum pariter, ac dominium omne alienaret.

15 Quæ priora dum (vt mox occurrebatur) Respondeo consequi solùm ex immediata possessione Regni actuali cum vsu, nil habent suprà quod prosequantur illi; sed subsistere coguntur, & obmutescere. Nàm habituale Dominium excellens, cum sit superioris ordinis, constat de eadem re, cum alio, quouis inferiori dominio, & lex allegata loquitur de plurali adæqua-

to dominio ordinis eiuſdem; nec Regulos, & Domicellos terrenos, à iuſta poſſeſſione, & vſu excludit: nec faſtum, aut luxum inducit pauperiei, ac humilitati Redemptoris aduerſantem pauperculi, non tollit mendicimonium eius, qui *Egenus factus eſt cum eſſet diues*, eodem tempore incompoſito ſenſu intellige, ſimul in vnum diues, & pauper. Hoc porrò eximium eſt Euangelicæ voluntariæ paupertatis exemplar, nàm ſpiritu pauperes beatificantur, ſenſu inopes magis, quàm cenſu. Dominium habere, & ſpernere? potuiſſe tranſgredi, nec eſſe tranſgreſſum? poſt aurum non abijſſe, neq; ſperaſſe in pecuniæ theſauris? papè quis eſt hic, & laudabimus eum? Iuuenis ad perfectionem contendens tutiùs quidem ſuadetur venditione ſimul cum vſu abalienare dominium, quia non omnium, nec vulgaris eſt tantus apex perfectionis, diuitijs affluentibus nolle cor apponere.

16 Nos ſanè dominium vniuerſi excellens habituale CHRISTO Domino non negemus, à quo audimus *Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & bene dicitis, ſum etenim*, Ioan. 13. à quo Pilatus interrogans, *Ergò Rex es tu*? audit: *Tu dicis quia Rex ſum ego*, Ioan. 18. eratq; reſponſum non æquiuocans ad intentionem interrogantis, qui de terreno erat anxius Regno, additur tamen *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, vndè & Regnũ aliquod indicatur, quod eſſe in hoc mundo, & hìc non negatur; ſed ſolùm de hoc mundo, & hinc vt Ioan. habet 22. dicitur non proceſsiſſe.

Ab Auguſto exijſſe edictum, ne quis vltrà Dominus vocaretur Authores ſunt D.Tho. 3. de regim. Princ. c. 13. Oroſius lib. 6. c. 8. Pelagius lib. 1. de planctu Eccl. eo quòd à Tiburtina Sybilla viderit oſtenſum infantulum ſolum Dominum vocandum. Quid eſt quod plaudimus quotidie, *Tu ſolus Dominus, tu ſolus Altiſsimus* IESV CHRISTE? niſi quam idem in femore, & veſtimento .ſ. humanitate gerit Epigraphe: *Rex Regum, & Dominus Dominantium?* Apoc. 19. malè autem effutias hìc de ſpirituali regno haberi ſermonem, talis .n. generis Rex, & Do-

minus hìc proponitur, quales temporales sunt, qui in comparationem ducuntur, de quibus alibi: *Excelsum ponam illum præ Regibus terræ,* Psal. 88. *Ipse est Princeps Regum terræ,* Apoc. 1. cæterùm spirituale Imperium nō est qui illi contendat cum eo comparandus.

17 Centesimum nonum psalmum, Hebræis demptis, non est qui de CHRISTO Domino non interpretetur, vt ipse quoq; de se est interpretatus Matt. 22. ibi verò hæc duo distinctè enumerantur: *Tecum Principatus* (ex Greco) *in die virtutis tuæ;* & infrà. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech,* quàmuis adhuc nulla præhabita de Principatu mentione, Ordo Melchisedech, & sacrum iustitiæ Sacerdotium importet in nomine, & temporale Regnum Salem consociauerit. Magi insuper ab oriente veniētes venerati sunt natum Regem quærentes: *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* aliud munus pro Deitate, aliud pro Sacerdotio spirituali, & aliud offerentes pro temporali regno; vt est concors expositio Patrum, & ex Iuuenci eleganti carmine Hieronymus meminit: *Thus, aurum, myrrham, Regiq; Hominiq; Deoq; Dona ferunt.* distincta igitur in puero hæc agnouerunt, Deitatem, Sacerdotium, & Regnum. Distinctè itidem de spirituali hoc, atq; temporali Imperio fatur Apostolus Eph. 1. *Omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput, super omnem Ecclesiam.* Vbi *Chrysostomus: Ecce,* inquit, *omnia quantacumq; virtutis sint substrauit* CHRISTI *pedibus nempè Deus, nec vtcunq; effecit superiorem, quasi præficiens istis per comparationem, veriùs quasi Dominum seruis ipsum cunctis anteponens (papè quam stupenda sunt hæc, quantaq; plena formidinis) ecce vt homini* CHRISTO *omnis creata virtus, quasi ancilla Domino substrata est idq; propter inhabitantem in ipso Deum Verbum.*

18 Miserat aliquando Dominus discipulos solutum Asellam, & pullum addens; *Si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet,* Matt. 21. Cedò, quando, & quomodò iumenta illa sibi coemerit, qui se eorum Dominum nuncupa-

bat? idq; secundùm humanitatem, nàm qua Deus, nihil illis opus habebat. Certè ius aliquod supereminentiale in ijs se ostendit habere, quo cum opus esset vti liceret, propterea ait Vates: *Ecce Rex tuus venit tibi iustus, & saluator, & ipse pauper, & ascendens super Asinam, & super pullum filium Asinæ,* Zac. 9. & acclamauit populus *Osanna Rex Israel filio David.* Quos clamores nequaquàm saluator compescuit, tanquàm sibi indebitos, vt hortabantur Pharisæi subindignati; quin immò in vocibus illis sibi complacens: *Dico* (inquit) *vobis quia si hi tacuerint lapides clamabunt,* Luc. 19. Insuper ad Ciuitatis conspectum cum peruenisset, luxisse eius ignorantiam narratur, quòd tenebris tantis obcæcata suum non agnouisset Regem; *Quia si cognouisses & tu,* inquiens, videlicèt quod isti cognoscũt, Osanna, & Regios titulos mihi plaudendo. Quando porcorum alienum gregem Dæmonibus concesśit perdendum, & suffocandum: quando ficulneam maledictione arefecit: Discipulos per aliena sata vellendo spicas permisit excurrere: flagellatione prophanatores expulit templi, non solùm, sed prophanarum mensarum euersor æs nummulariorum effudit, oues, boues, & columbas dissipauit vænales, contrà ius, & æquum fecisset, potestatem nõ habens, neq; dominium, rem alienam attingens sese aliorum ingerens dominatibus: vndè interrogauere Iudæi *in qua potestate hoc facis?* Luc. 20. Leuiora licèt huiusmodi non receperim pro actuali exercitio, & vsu Regni, vt afferunt multi, consistere tamen nequeunt iuridicè præstita, sinè aliquo iure superiori. Similiter quando adulteram ream mortis absoluit, ordinarij Iudicis occupauit tribunal, eius est enim absoluere, cuius condemnare l. nemo ff. de reg. iur. non licebat autem tunc Iudæis interficere quenquam.

19 Verum quidem fateri oportet insolitum CHRISTO inferiorũm Iudicum, aut Dominantium caussas, & res sibi assumere, suas cuiq; relinquendo, noluitq; inter litigantes fratres diuidere, dicens, *Quis me constituit Iudicem inter vos?* videlicèt vestrum habetis forum, ipsum adite; quemadmodũ supremi Do-

mini non audiunt ad se confugientes, quamuis possent, sed ad inferiores immediatos remittunt ministros. Morale venustum eruitur indidem: noluisse saluatorē diuidere inter fratres communionem; quia diuisio fraterna opus diaboli est, non Dei; de illo .n. dicit Oseas 13. *Ipse inter fratres diuidit*. At de altero 1. Cor. 19. *Non enim dissensionis est Deus, sed pacis*. Glossa ibi: *Quis me constituit, &c. Non sum*, inquit, *dissensionis Deus, sed pacis, & vnitatis; qui veni hominem pacificare cum Angelis, vt multi vnum corpus, vnam animam habeant, non vt diuidantur, sed vt habeant omnia communia, ne quis sit egens inter eos: ille qui non colligit meum est fraternitatis diuisor*. Ità suprà citatus Angelicus; Augustum ait, cæterosq; coætaneos Saluatoris terrenos Principes eius fuisse Vicarios; Iussumq; in illius natiuitate vniuersum Orbem describi, non tàm Cæsari, quàm nato Christo seruiturum, licèt inscio Imperatore iubente; veluti Caiphas prophetauit ignarus. Hieronymus eruit: *Quod Dominus noster secundum carnem, & secundum spiritum filius Regis erat*. ab eo quod dixit ipse Saluator, probās Petro suam immunitatem: *Ergò liberi sunt filij Regum*. manifestum quod si homo non erat subditus, Rex erat.

20 Non satìs mihi ostenditur, quanam ratione Christo Domino denegemus temporale excellens Dominium vniuersi; cum nihil inde sequatur incongrui, maximò immò decori futurum sit, & Redemptori nostro, & humanæ naturæ, talem habere Regem; & derogantes illius maiestati, voluntarias subeamus angustias explicandi frequentia Scripturarum Oracula, circà quæ cauillari quidem possumus; sed verum suffodere sensum, conscientia non acquiescente, nequimus: *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra*. ait ipse de se Dominus; vbi terminus ille *omnis* esset redundans, ni tanquam genus ibi positum species omnes potestatis includeret, tàm temporalis, quàm spiritualis; secùs si de vna spirituali intelligeretur, satìs erat dixisse; data est mihi potestas, .s. in aliqua specie, in Cœlo, & in terra. Sed attendas quod sequitur: *Euntes ergò docete omnes gen-*

tes. Matt. 28. huic consequentiæ, vt quid necessaria erat illa præmissa? Ità: nam Remp. nouã Apostolis fundaturis, nouum Ecclesiasticũ tribunal erecturis, potestas aliqua necessaria erat. Quid inquies? locutum esse CHRISTVM Dominum de potestate sibi data in Cœlo, & in terra secundùm diuinitatem? non patitur Athanasius, sermone contra Arrianos disertè id explicans: *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra: Quod merus homo accipit, id ei eripi potest, cuius rei speciem in Adam vidimus; quippe qui illud quod accepit perdidit: vt autem gratia indefectibilis esset, firmaq; hominibus custodiretur, ea de caussa hanc donationem, vt propriam sibi arrogat, dicitq; potestatem se accepisse vt hominem, quam semper habebat vt Deus*.

21 Omni præterea circumspexeris titulo debitum hoc Dominium sanctissimæ illi humanitati, ratione hypostaticæ vnionis primò; quid .n. alienum magè à passione, quam venerat subire Redemptor, visione beatifica? vi nihilominus eius vnionis fuit semper Anima CHRISTI à sua conceptione beata; Tunc ergò vi eiusdem vnionis duxeris indecens, eidem humanitati communicationem dominij temporalis excellentis, quæ sine vsu potiùs auget modestiam, & humilitatem Redemptoris? Hoc titulo dat Messiæ Regnum Psalmista; dum nõ successione, non electione, neq; bello; sed *specie tua*, ait, *& pulchritudine tua intende prospere procede, & regna*. species & decor CHRISTI Domini, vnde splendorem accipit omnem, Diuinitas est hypostaticè adiuncta.

22 Ad Redemptionis titulum transi: Conditor, & emptor pari dominio gaudét in suis fundis; immo hic de magis, quotiescũq; magno sibi cõstet, & superexcedens persoluerit pretium. Condidit vniuersum Diuinitas, redemit deificata humanitas; sicuti ergò creationis iure amplissima illa est omnium dominatrix, cur non & hæc titulo redemptionis itidem? pro qua nõ aurum solutum pretiũ, sed inæstimabilis vitæ est profusus superabundans thesaurus.

Hinc titulo meriti quoq; infiniti hoc dominium ei non est

negandum, cuius laboribus vilis illud est merces. Legitur ideò Apocalypseos 7. *Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo nostro, &c.* Quæ omnia præconia communia dicuntur Agno Saluatori; scilicet eius merito nihil denegandũ, quod cõgruè honoris possit concedi.

23 Saltem titulo hæreditatis, filio Dei adoptato homini, vniuersale deuolui debet Imperium; nam *si filius, & hæres*. Nec spiritualis sola potestas vnigeniti est patrimonium adæquatum: temporalis cui debetur alteri, dum hæres est vnicus? de vtraq; ergò dicitur psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Vbi perbellè suffragatur dictis Optatus Mileuitanus, lib. 2. contra Parm. scribens: *Quid tale infringitis promissum, vt à vobis mittatur quasi in quendam carcerem latitudo Regnorum! quid tantæ pietati obstare contenditis? quid contra Saluatoris merita militatis! permittite filiũ possidere concessa: permittite Patri promissa complere: cur ponitis metas? cur figitis limites? cum à Deo Patre tota terra promissa sit? non est quidquam in aliqua parte terrarũ, quod à possessione eius videatur exceptum; tota donata terra cum gentibus suis*; & à Paulo Heb. 1. dicitur: *Quem constituit hæredem vniuersorum*, & non solùm spiritualiter, vt benè *Primarius* ad eum locum, *Constituit ergò* (dicens) *Deus Pater filium hæredem vniuersorum, hoc est totius mundi, seu omnium creaturarum; non tamen secũdùm Diuinitatem, qua coæternus est Patri, & coæqualis illi in omni potentia Deitatis, sed potiùs secundum humanitatem, à verbo assumptam, constitutus est ille Dominus, & Hæres super omnem creaturam*, & ibidem Anselmus: *Quem, inquit, ipse Pater secundum humanitatem constituit iàm immutabilem hæredem vniuersorum, idest possessorem omnium creaturarum, atq; totius mundi Dominum.*

24 Nec prætereundum, quòd Virginem Matrem concordi voce meritò salutamus mundi Reginam, quia Regis filij de regno participat; at ratione sexus nil ei conuenire potest, quod Sacerdotij, & spiritualis regni sit. Audiendus igitur erit Bernardinus

Senensis, Tomo 1. serm. 71. c. 7. dicens: *Virgo Beatissima omnem huius mundi meruit Principatum, & Regnum, quia filius eius in primo instanti sua conceptionis Monarchiam promeruit, & obtinuit vniuersi.*

25 Obtinuit certè, neq; nouum Adam reparatorem, veteri perditore æquum est fuisse inferiorem, qui omni creaturæ præfuit aliquo modo, ex dispẽsatione Diuina; quòd si vt hìc, ille vsum non retinuerit, nullum habituali dominio præiudicium infertur. En Cyprianum relatum c. Dominus, dist. 93. *Qua omnia ab eo ideò facta humiliter, atq; patienter, vt nos humilitatis, & patientia haberemus exemplum; & non ex eo quia noluit exercere, propterea non erat iàm Dominus, omnemq; potestatem non habebat*; Et Clem. Rom. *Sceptrum Dei*, ait, *Dominus* Iesvs Christvs *non venit in iactantia superbia, cum posset omnia, sed in humilitate, in tantum vt verberatus à ministro Sacerdotis responderit, si malè loquutus sum argue de peccato, sin autem benè, quid me cadis*? Verum regnandi genus nobilius. Stoicum Ethnicum illud crebuit: *hoc est regnum nolle regnare, cum possis*. Seneca de benef. c. 37.

26 Iàm Conditorem, & Caput Ecclesiæ Christvm habemus in humanitate regnantem, cum omni spirituali, ac temporali potestate, nec non vniuersarum Creaturarum excellenti habituali dominio iuris; infimum facti, atq; vsus dominium terrenis singulis suis Dominis relinquentem; ità vt meritò glorietur: *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra; Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Disquirendi manet hìc locus; num Domino ascendẽte ad Cęlos, deperierit hæc Ecclesiæ sui Principis insinuata authoritas. Non perijsse omnem, sed relictam fuisse, quanta necessaria erat Ecclesiæ conseruandæ, de facili ostenditur, quandoquidem nec ipsa Ecclesia desijt, sed eadem perseuerans, indiget Principe cum potestate, sicut Respublicæ reliquæ, & tamdiù constitisse, efficacissimum à posteriori est argumentum: viguisse in ea legitimum Principem, & caput cum requisita authoritate; sì quidem, vt ex Cic. & communi

referrebamus assensu, nec Ciuitas, nec domus vlla sine imperante modicùm sit superstitura, nedùm per totum Orbem diffusa Ecclesia, strenuè Domino militans contrà mundi Rectores, & tenebrarum harum; nó aduersus carnem, & sanguinem.

27 Duo sunt quæ optimè teneas fundamenta; alterum Ecclesiasticam Remp. CHRISTI fundatam esse perpetuam permansuram cum Sole, & ante Lunam, vt scribitur; *Potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur, & Regnum eius, quod non corrumpetur*, Dan. 7. Alterum Ecclesiam inuariatam semper futuram eandem, quam sponsus compellat sic: *Vna est columba mea, perfecta mea vna est*, Cant. 6. & vnam sanctam profitemur in Nicæno fidei Symbolo. Ad hoc autem, vt eadem semper Christiana hæc Respublica perseueret, eodem oportet, quo primùm instituta est regimine regatur semper: quandoquidem ex politię mutatione, altera mutatur Ciuitas, & Respublica per Philosophum 3. Polit. c. 2. dicentem: *Ciuitas dicitur eadem specie, donec remanet eadem forma Reipublicæ*. Quòd si mutatio politiarum ab vna ad aliam immutat Remp. & quidem eæ quæ humanæ pariter sunt, parùm diffident; qualem mutationē subijsset Ecclesia, dum abeunte visibili Capite supernaturali absolutissima potestate illam dirigente, aut nullo, aut humano infirmo relinqueretur arbitrio, auarè nimis à prepotenti actum esset sponso, nuptam si viduatam relinquens, nihil ei potestatis, in condito testamento instituisset, & legasset. Ab intestato non abijt, qui fœdus suum cum Ecclesia nouum testamentum vocauit meritò. Vnum instituit primarium, alios legauit Apostolos, qui visibilem eius supplentes absentiam, potestate haud carerent Reip. necessaria, non humanitùs promouendæ.

28 Apellæo operi imperfecto relicto, pictorum nullus inuentus, qui supremam ausus fuerit manum apponere, rarę virtutis periculum subiturus. Facessant leues tabellæ, humani artificis industriæ, in re nauci æmulos absterrentes. Quis tanta prosequi ausus esset, & euexisset ad fastigium molimina Ecclesiæ, quam vix fundauerat CHRISTVS Dominus, ni ab eodem acce-

pisset virtutem operi parem? *Fundamentum aliud nemo potest ponere, prater id quod positum est*, 1. Cor. 3. nec superædificare alius poterit, qui virtutem non acceperit à fundatore structuræ initijs proportionatam.

Hierosolymis, & circùm in exiguo Discipulorum manipulo coercebatur Ecclesiastica à Saluatore excitata Respublica, cum is recessurus è mundo Apostolis munus iniunxit, eandem per vniuersum Orbem ædificandi ad exemplar quod ipse ediderat.

29 Hoc sonant nouissima Ascendentis CHRISTI mandata ad Apostolos: *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra; euntes ergò docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sãcti, docentes eos seruare omnia quæcunq; mandaui vobis*, sicut Moysi dictum est olim. *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est*, Exod. 25. his dicitur, vt adhæreant exemplo à CHRISTO Domino præbito, in astruenda Ecclesia. *Docentes eos seruare omnia quæcunq; mandaui vobis.*

At quomodò (dicant illi) munus tantum erimus persoluendo? *Domine quis credet auditui nostro?* quo iure (obijcietur nobis) nouitates inuehitis? Mea potestate freti, cui contradicere nemo valet (dixit ille) aggredimini opus. Omninò deficiens fuisset illatio: Ergò euntes docete omnes Gentes, seruare omnia quæcunq; mandaui vobis: cooperamini mihi in propagatione Ecclesiæ; quia ego habeo potestatem; si qui cooperaturi similiter erant pari facultate non donarentur. propterea ostendit etiam alibi, se non temerè, ac sinè authoritate ad omnes Mundi plagas Apostolos legare: *Sicut misit me Pater, ità ego mitto vos; vt eatis, & fructum afferatis*, Atquì ipse ità missus à Patre legitur, vt in terras descendens, non in aliena, sed in propria venisse dicatur, Ioan. 1. ad quæ Greg. *non natura*, inquit, *neq; gratia, vel religione, sed potestate venit in sua*, idest non ratione Diuinæ naturæ, aut spiritualis Sacerdotij, sed potestate prodijt plenus Saluator nouum sibi conditurus Ecclesiasticum

Regnum, ad quod propagandum, & defendendum, cum ipſe ad paterna remeans Apoſtolos delegaſſet, Vicariumq; perpetuum inſtituiſſet, poteſtatem itidem operi parem par fuit contuliſſe.

30 Perrexerunt illi virtute magna teſtimonium fidei reddētes; In omnem terram Euangelicæ buccinæ intonuere clangorem: ante Reges, & Præſides interriti loquebātur cum fiducia Verbum Dei; quotquot ad ſalutarem fidem conuerterant, his dirimendarum litium proprium erigebant tribunal Iudices, & Arbitros de fratribus fidelibus conſtituentes. Compertiſſimum eſt Apoſtolum Corinthi ab infidelibus ergà fideles abſtuliſſe iudicium; hiſq; ſuccenſet, quòd ſuarum litium iudicem adirent Gentilem: *Audet aliquis veſtrum habens negocium aduerſus alterum iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos? An neſcitis, quòd Sancti mundum iudicabunt? & ſi per vos iudicatur Mundus, indigni eſtis, qui de minimis iudicetis? neſcitis, quòd Angelos iudicabimus, quantò magis ſecularia? ſecularia igitur iudicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in Eccleſia illos conſtituite ad iudicandum*, 1. Cor. 6. Ecce tantoperè zelat Paulus fideliũ emancipationem ab Ethnico iudicio, vt acquieſcat ſi Iudicium ad contemptibiliores de Eccleſia deferatur, modò eripiatur ab infidelibus. Qua virtute, qua poteſtate id actum? niſi quantùm Euãgelij promulgationi, ac defenſioni inſeruiebat ius habuiſſet, & poteſtatem, non quòd poteſtati Principũ honeſtæ etiam Ethnicorum derogarit, cæteroqui nil perſuadens magis quàm Principum quoruncunq; reuerentiam, ſubiectionem, & honorem; Sicut Magiſter quæ eſſent Cæſaris Cæſari decreuerat, ſic & Diſcipulus, cui tributum tributum, cui vectigal prædicabat vectigal eſſe reddendum: Obediendum volebat omnibus, vel infidelibus Magiſtratibus citrà Chriſtianæ legis offenſam, non autem ad eos vltrò deferri, ſi quæ fuiſſent inter ſe ſe criminationes fidelium, vt explicuit Clemẽs ex Petri præceptoris Doctrina relatus 12. q. 1. *Si qui ex fratribus negotia habent inter ſe, apud cognitores ſeculi non iudicentur, ſed apud Presbyteros Ec-*

clesia, quidquid illud est dirimatur, & omni modo obediant statutis eorum. Atq; ità explicat illud Apostoli relatum Theodoretus. *Sciendum est autem hac non repugnare ijs, qua ad Romanos scripta sunt, neq; .n. iubet resistere magistratibus, sed pracipit, vt qui iniuria affecti sunt, non vtantur magistratibus; eligere .n. aut iniuria affici; aut de ea re ab ijs cognosci, qui sunt eiusdem fidei pendet ab eadem sententia*.

31 Qualem potestatem idem ostendit Apostolus ijsdem Corinthijs interminatus: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?* Incestuosum deuouit Sathanæ in interitum carnis corporaliter vexandum 1. Cor. 6. hac Ecclesiastica vsus virga, & potestate de qua canitur *Virga directionis virga Regni tui*; relicta est ergò à Redemptore, & relinqui par fuit in Ecclesia potestas, ad dirigendos fideles in viam pacis, quocunq; opportuno, ac necessario medio, absolutè ab omni humano independenter imperio, nàm ex eo quod caussa alicui committitur, super omnibus, quæ ad caussam ipsam spectare noscuntur, plenariam ille recipit potestatem.

32 Cæterùm quoad temporalium rerum actuale dominium, in nullo sudarunt magis Apostoli, quàm in persuadendo Regibus, Ducibus, ac Populis, se nihil ex eorum re exquirere, nullum sibi de prædicatione quæsitum compendium, non opum, non gloriæ, existimationis, aut potentiæ; immò sinè sacculo, sinè pera aliquando missos propria non reliquisse, vt aliena ærucarent; paratos occursare ludibrijs, incommodis, supplicijs quibuscunq; & morti, modò vt eorum animas Euangelica luce illustratas saluificarent; Corinthum scribit Apostolus: *Non quæro quæ vestra sunt, sed vos*, 2. Cor. 12. & cum ijsdem dixisset aliàs iustè sibi licere carnalium subsidiorum exigere messem, pro spiritualis prædicationis semine, addidit statim, *sed non vsi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus*, 1. Cor. 9. *Argentum, & aurum, aut vestem nullius concupiui, sicut ipsi scitis*, Act. 20. Cui ergò sit de auiditate suspecta Apostolica potestas, tanquàm se se ipsam Principatibus terrenis superextollat, eo-

rum posseſsiones affectans, inhians dominatibus, quæ eſuriens, & ſitiens, & nuda refugiebat ab ijs paſci, & veſtiri, quibus aliquo modo verebatur ne foret in ſcandalum? ne auaritia prædicantium abhorrerent Gentes ab Euãgelio? Ità S. Eccleſiæ primordia erumpentia decebat; ne vi, & humana potentia potius, quàm Diuina inolere videretur regnum, quod in humilitate, & perſecutione, & ſãguine SS. Martyrum erat mirabiliter propagandum. quando autem adulta Eccleſia cæpit de perſecutorum defeſſa rabie triumphare, quàm congruerit aliquo temporalium rerum fulgore aſſurgere tremendam, ac venerabilem non poſt multa in ſequentibus oſtendemus.

33 Primùm inculcabatur vbicunq; locorum præambulum ad Euangelium: Obedite Præpoſitis veſtris, Heb. 13. *Subditi eſtote omni creaturæ humanæ propter Deum, ſiue Regi, quaſi præcellenti, ſiue Ducibus tanquàm à Deo miſsis, quia ſic eſt voluntas Dei. Deum timete Regem honorificate; Reddite omnibus debitum, cui vectigal, vectigal, cui honorem honorem. Omnis Anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Qui enim reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* ſuper quæ Chryſoſt. *Facit hoc Apoſtolus, vt oſtendat Chriſtum leges ſuas, non ad hoc induxiſſe, vt Politias euertat, ſed ad melius inſtituat.* Idipſum ſolicitus eſt Paulus, vt per alios coadiutores prædicationis cautum ſit, ſcribens Tito: *Admone illos Principibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe*, ad Tit. 3. tandem concludit Petrus: *Serui ſubditi eſtote Dominis, non tantùm bonis, & modeſtis, ſed etiam dyſcolis*, 1. Pet 2.

Nec aliter docere poterant, qui à Magiſtro IESV audierant reddenda quæ Cæſaris Cæſari; quin potiùs eundem viderant quantùmuis filium Regis immunem exactoribus perſoluiſſe didrachma ad ſcandalum declinandum, qui tamẽ, vt ex D. Th. retulimus Vicario vtebatur Cæſare, prĕter poteſtatem in orbe ſupremam, dominium iuris etiam, & habituale poſſidens excellenter. Cui ergò formido hæc inanis perturbet mentem, vt audiendo eſſe penès Eccleſiæ caput poteſtatem ſupremam, regno, dominioue ſuo pertimeſcat? cum veros poſſeſſionum

ſuarum dominos ſingulos relinquamus, iugum non imponentes aliud, quàm ex Diuina lege, & Gentium iure contractum, vt videlicet qui Caput Reipublicæ conſtituitur publici amator boni rectè omnia adminiſtret. Neq; legem, aut legislatorem inferimus, ſed ſolummodò ſupernaturalis poteſtatis excellentiam prædicamus, qua Eccleſiaſticum Regnum pias ſeculi poteſtates ſuis nutibus deuotas agnoſcit.

34 Multò minus Principes temporales, in ſuis dominatibus adminiſtri, & Vicarij ſunto Pōtificiæ poteſtatis; tùm primò, quia ſicut certò ſcimus, & oſtendimus CHRISTVM Dominum poteſtatem ſuam abſolutiſſimam in Eccleſia reliquiſſe, quæ omnimodè neceſſaria erat ad fidelium Remp. dirigendum, & coercendam: ſic non definimus ſuum etiam, quod excellens habebat reliquiſſe Orbis vniuerſi Dominium: illa .n. neceſſaria erat Eccleſiæ dirigendæ, hoc CHRISTI Domini potiſsimùm perſonali tribuimus dignitati; fortaſsè ab Eccleſiæ directione alienum. Conſtat Petrum à Domino relictum eſſe Vicarium; non ſucceſſorem, ſicuti ipſi Vicario deſtinatus eſt perpetuò ſucceſſor. Intereſt nanq; quòd ſuccedere eſt in decedentis ius omne intrare: ſic Petro Linus, & Clemens, & reliqui ſuccedunt pontificio pares Pontifices: Vicariatu autem fungi, ius ſolum eſt obtinere, quod ex officio competit, non ex perſona; Nec Petrus, aut alius relictus eſt cum omnibus perſonalibus CHRISTI prærogatiuis: ſicut neq; cum tota eius ſpirituali poteſtate, quæ Eccleſiaſtico regimini futura erat inutilis; condendi ſacramenta noua, miracula ad libitum perpetrandi.

35 Tum etiam quia, & ſi Dominium excellens CHRISTI in omnia temporalia, ſicut poteſtas, fuiſſet eius Vicario relictū tanquàm Eccleſiaſticæ directioni immediatè à Pontifice Summo per ſe cogendæ aliquando neceſſarium; adhuc qui vſu, ac facto dominia poſſident veri, & abſoluti eſſent Domini; Dominium .n. ſuperiotis ordinis, vt foret iſtud excellens, & ſupernaturale, inferius non excludit naturale, neq; in diuerſo genere vnum eſt vicarium alterius. Vt patet in cauſſis phyſicis, quarum non

impeditur concursus in diuerso genere simultaneus, & plures principales caussæ in suo ordine dari queunt subordinatæ. Impropriè autem dixit Angelicus Principes terræ CHRISTI fuisse Vicarios; proprius .n. Vicarius eius, est Summus Pontifex, qui potestate illius etiam supernaturali gubernat. Quòd si contemporaneos Saluatori nato Principes, autumes eius veros fuisse Vicarios, etiam nunc eodem sedente ad dexteram Patris idipsum dicas oportet, cum Verbi humanitas idem semper super omnia imperium retineat, quod semel habuit. Nemo autem dixerit propriè Principes Mundi non esse absolutos Dominos in ditionibus suis in inferiori terreno ordine dominatus, quàmuis excellentiori subsint Dei, & CHRISTI supernaturali Dominio, sed & Apostolicam modèstiam experientia comprobat, nullus .n. conquæstus est meritò hucusq; aliquid, ne assem quidem sui dominij ab ea occupatum. Scilicet deesset hæc quoq; calumnia malignis Ecclesiasticæ impostoribus Maiestatis, vt rei tutandæ suadela homines à Catholica professione retraherent. Occasiones, & modi, quibus in seculares dominatus Ecclesiastica se se ingessit auctoritas aliò remittuntur, statuere interim est penes quem summa hæc CHRISTI Domini potestas, in Ecclesia relicta residcat.

CAPVT III.

B. Petrum super Ecclesiam, & Apostolos obtinuisse primatum.

ELENCHVS.

1 *Implici contemplationi intenti de Pontificij institutione non assumimus aduersus Hæreticos dedita opera præliū.*
2 CHRISTVS *Dominus prout est inuisibile Caput Ecclesiæ Vicarium non admittit, secus in Capitis visibilis functione.*

3 *Ecclesia Sancta regimen institutum Monarchicum, & quibus potissimùm in caussis.*

4 *Euidentia facti idipsum à posteriori commonstrat.*

5 *Nouatorum sophismata pro æqualitate Apostolorum: & primò ex collatione clauium facta cunctis Apostolis.*

6 *Alterum ex æquali confessione omnium Apostolorum in verbis illis Petri: Tu es* CHRISTVS *Filius Dei viui.*

7 *Esto Petrus solus esset fundamentum Ecclesiæ, & clauiger, quod non concedunt, adhuc nullus inde videtur importari primatus.*

8 *Petrum cæteris inquiunt, non prælatum, quia postmodùm Sathana conuitio auditur increpitus.*

9 *Apostoli non deferebant Petro, tanquàm Principi, ex Euangelio, & pluribus actis Apostolicis.*

10 *Paulus ad Gal. 2. & Petrum obiurgat, & parem se illi facit.*

11 *Primatus, si alicui, dandus Paulo potius, vel Iacobo.*

12 *Ex SS. Patribus habetur paritas Apostolorum ad inuicem.*

13 *Catholica veritas Petrum docet Pastorem esse constitutum præ cæteris Apostolis Ecclesiæ vniuersæ.*

14 *Ità expressè traditus à Domino Primatus Petro, vt clarioribus verbis, & circumstantijs non possemus imaginari tradibilem.*

15 *Confessionem illam: Tu es* CHRISTVS, *&c. quæ promeruit Pontificium esse non potuisse nisi solius Petri.*

16 *Non consensisse in ea omnes Apostolos, quomodo euincatur, & si consensissent minùs præmij merebantur, quàm primarius confessor.*

17 *Reliquorum cõsensus Apostolorum proportionatum retulit secundarium præmium.*

18 *Potestas clauium data cunctis Apostolis, at claues ipsas Petrus vnus recepit.*

19 *SS. Patres coæquant Apostolos in Apostolatu, non auferunt tamen Petro primatum in regimine totius Ecclesiæ, clarũ in Euangelio.*

20 *Potestate clauium quando insignes Apostoli.*

21 *Iidem inferiores Petro in potestate regendi vniuersam Ecclesiam, quam habuerunt delegatam, ipse verò ordinariam.*

DE REGVL. ARISTOCR. 22 *Præ-*

22 *Praefuit Collegis Petrus, tanquam ouibus de credito sibi ouili.*
23 *Petrus singularem nō rexit Ecclesiam, quemadmodū alij Apostoli.*
24 *Oppositis satisfit singulis: & primò quid importet resignatio clauium facta Petro.*
25 *Dominus increpans Petrum, primatui ipsi collato nil derogat.*
26 *Nil mirum, si Apostoli adhuc carnales, & rudes non intellexissent Petrum sibi praepositum.*
27 *Missio Petri cum Ioāne in Samariam cohaeret cum illius primatu.*
28 *Quanta habita ratio Petri in Ierosolymitano Cōcilio, de legalibus.*
29 *Intellectus verborum Pauli, act. 20. & Petri 1. Ep. 5. vbi singuli Episcoporū monentur incumbere suis Ecclesijs, non vniuersali.*
30 *Quarè ferat Petrus increpari à Paulo; & quomodò res se habuerit.*
31 *Paulus se Petro comparem iactat in Apostolatu, non in regimine totius Ecclesiae, quem alioqui maximè reuereretur.*
32 *Quomodò Petrus Iudaeorum, & Paulus Gētium dicantur Apostoli.*
33 *Cur Paulus antonomasticè dicatur Apostolus, & Petro sistatur dexter: sinistra olim honorificentior sedes.*
34 *Quòd Iacobo neutiquàm primatus conueniat.*
35 *Petrus se gessit, vt Principem Apostolorum, in actis Apostolicis.*
36 *Idipsum praestitit multotiès in Euangelio.*
37 *Immutatio nominis, quae soli ex Apostolis Petro contigit, primatum insinuat.*
38 *Solutio didrachmatis aequalis pro* CHRISTO, *& Petro, arguit hunc fore Dominicae Praefectum familiae.*
39 *Petrus ab Euangelistis, vt Princeps, nunquàm non recensetur in capite, inter numerandum Apostolos.*
40 *Nihil generaliter, vel specialiter Apostolis caeteris dictum à Domino, quod Petro non sit particulariter repetitum.*

1 FVndasse vidimus CHRISTVM Dominum (in cuius manu potestas, & imperium) nullis deserendam seculis, Ecclesię Sanctæ Rempublicam, & de consequio quantum conseruationi opus esset in ea potestatis reliquisse, ad cuius subiectum considerandum, iàm gradum facimus. Non est quòd hìc cum perfidis

fidis Nouatoribus nos expectes dedita opera velitari, propositum nanq; est simplicis veritatis illustratis fulgore, Maiestatis Pontificiæ celsitudinem contemplari. Verùm dum doctrinæ catholicæ Margaritam, ex limpidissimo Orthodoxorum Patrum expiscamur gurgite, prohibere non possumus, quin simul ab imo Hæreticorum limosæ ascendentes fæces aliquid lymphas turbent; sed citò innatæ feculentiæ grauitate, nullo impellente, seipsis descensuræ ad imum, statim ac apparuerit quiescens vnda, extracto thesauro, nitidior.

2 Non reuocamus in dubium, CHRISTVM Dominum ascendentem ad Cœlos, illinc quoad internum gratiæ inuisibilem influxum, omnem excludentem Vicarium, sed per seipsum regentem Ecclesiam, huic Vicarium prouidisse, qui visibilis in ea capitis munia solueret. Id caussæ cur, neq; Spiritui Sancto immediatè, & soli sint Ecclesiæ gubernacula commendata; ipse .n. pariter inuisibilis, visibilis capitis nō releuasset absentiam; tùm quia Verbum est caput Ecclesię primarium, secundùm humanitatem assumptam, qua maior est Spiritus Sanctus, nec ei debet pro vicario inseruire. CHRISTO igitur inferiori alicui homini, & visibili noto conuersatione, debuit in Ecclesia designari quam ostendimus necessaria potestas; nec est qui hoc vocet in dubium: quæ .n. ordinata sunt, absq; regimine non consistunt. Ecclesia autem ea est de qua dicitur: ***Terribilis, vt castrorum acies ordinata.*** Regimen igitur in ea necesse fuit sensibile, quàmuis Rex verus sit ipse Saluator, Præsules autem humani sint eius ministri, vt ait Apostolus: ***Sic nos existimet homo, vt ministros*** CHRISTI, *&c.* 1.Cor.4.

3 More terrenarum politiarum id non pluribus, quàm tribus ijs modis contingere potuit, vt nimirum, vel penès paucos, vel multitudinem, aut vnū publica collocaretur authoritas. Duobus primis reiectis, neq; Aristocratiam, neq; Democratiam, sed Monarchiam fuisse delectam par fuit: tùm primò ex præiacto eo fundamento de inuariabili vnitate Ecclesiasticæ Reipub. ac politiæ; quæ sub vno Principe seruatore primùm insti-

tuta Monarchicè, ne mutaretur in posterum, sub eadem dispo-sita fuit forma regiminis. Rationem hanc attigit Cyprianus lib. de vnit. Ecclesiæ: *Vt vnitatem,* inquiens, CHRISTVS *manifestaret, vnam cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem, sua auctoritate disposuit.*

Principalis alia ratio reddi potest; quòd nobilissimæ omniũ Christianæ Reip. ciues suos in maximâ vnitate euangelica ligaturæ spiritualis boni finem præstantissimum curaturæ, Monarchia seligenda erat, politiarum species, instituto huic optima, & opportunior. Minoribus hominum Politijs, Aristocratiam laudauimus, vbi crebriora comitia, & non difficiles generales cõuentus seruare queant Reip. communionem, & vnitatem: At vastiorem fidelium societatem, per omnes terrarum angulos fusam, quis frequens ad Concilium cogat? in vnum conuocet publicis negocijs definiendis? aut Ecclesia non communicaret vniuersalis, in singulos populos rescissa; aut incommoda nimis, atq; confusa, plurium regeretur arbitrio. Nil Ecclesiæ cauendum, nil perniciosum magis, quàm Schisma. At nihil ad illud procliuius Aristocratico Senatu, aut Democratico, opinionum semper fluctuanti varietate. pluralitas consiliorum frugi est in politijs humanis dubijs; detrimentosa, vbi reuelatæ fidei certissimæ Ecclesia nititur. Monarchia igitur, quæ cum cælestis assistentia numinis omne periculum erroris adimeret, maximæ vnitatis, & concordiæ index è re fuit Ecclesię, ad vnitatem sensus, & fidei conseruandam. Rationem hanc Hieronymus innuit, super Io. 20. scribens: *tamen inter duodecim vnus eligitur, vt schismatis tollatur occasio.* Mos est Patribusfamilias hæreditatem vniuersam ex fratribus vni legare, quibus alteris insedit cordi domesticæ substantiæ vnio, quæ in familijs pluribus ercíscundis, scissa, & imminuta debilior foret. Sic Isaac benedicens Iacobo: *esto Dominus,* ait, *fratrum tuorum.* An non debuit hac solicitudine tangi CHRISTVS Dominus, vt familiæ suæ tantò exoptatam vnitatem prouideret, per institutionem vnius primatus, inter cæteros fratres?

Militans Eccleſia, ad ſimilitudinem triumphantis, Monarchico regimine debuit gubernari; Viſa eſt nanque Ioanni in Apocalypſi noua Hieruſalem deſcendens de Cœlis. Monarchiam in Eccleſia probat alia ſimilitudo ad Synagogam, tanquam figurati ad ſuam figuram: iuxtà pronunciatum Apoſtoli: *Hæc omnia in figura contingebant illis*, 1.Cor.10. In ipſa autem ſynagoga, ſupremus ſemper Pontifex præfuit, cui obtemperarent Sacerdotes non modò, & Leuitę, in Iudęæ finibus cōmorantes; ſed etiam Synagogæ vniuerſæ, quas per diuerſas mundi Prouincias populus Hebræus habebat, non diffitentibus ipſis Hæreticis Magdebrugenſibus, quorum hæc ſunt in Cent.1.lib.1.c.7. *In Eccleſia populi Iudaici vnus tantùm erat, lege Diuina Sacerdos Summus, quem omnes cogebantur agnoſcere, eiq; parere.*

4 Sed quid Solem demonſtrare lucerna? fidelium Reip. vnum extitiſſe Paſtorem, retroacta ſecula memoria recurrentes inſpicimus, neq; contrarium vſquam in veterum monimentis apparet. Optimatum, aut popularem Magiſtratum non conſtituerunt Concilia Generalia coacta perrarò, ſed omnia vnius capitis in arbitrio reliquerunt, quod ipſa ſunt venerata ſemper, à quo, ſi ſtetiſſent, aut defeciſſent, robur, vel nullitatem eadem cognoſcebant, vt proſequemur inferius. Neq; ſi Magiſtratus huiuſmodi præfecti fuiſſent, ratum faciendum eſſet; cum ſolius Christi ſit, de politia regni ſui diſponere. Diſpoſuit autem, vt ſolus Petrus Monarcha eſſet, & viſibile caput in eo; nec monſtruoſam, capitibus voluit fœcundam hydram, vt Apoſtolos omnes in capita conſtitueret.

5 Aequalitatem Apoſtolicā inaniter conantur adſtruere Nouatores, quò ab Eccleſia Monarchiam ſubducant; hiſq; ferè argutantur: Si eſſet vndè probaremus Petro primatum, indè maximè, Matt.16. vbi per Dominum dicitur: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi nō præualebunt aduerſus eam, & tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcunq; ligaueris ſuper terrā erit ligatum & in Cœlis, & quod-*

cunq; solueris super terram erit solutum, & in Cælis. Sed hæc promissio est, non collatio ipsa; eaq; vel facta hic Petro alios coapostolos non excludens; vel omnibus Apostolis exhibita in illis verbis, *tibi, tu es Petrus*, ad vnitatem confessionis, & fidei eiusdem significandam, tanquàm pluribus moralem vnam Ecclesiæ personam, & stabilem petram fingentibus: quod exitus ipse probat; nam cum ad collationem ipsam clauium deuentum esset, Matt. 8. dictum est omnibus: *Quæcunq; alligaueritis super terram erunt ligata in Cælo, & quæcunq; solueritis super terram erunt soluta in Cælo*, manifestum indicium verba illa: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, non pertinuisse ad propriam Petri personam, sed ad omnes Apostolos, vel ad ipsum CHRISTVM, vt Caluinistæ contendunt; vel ad fidelium quemlibet, vt censuit Erasmus; vel demùm, nomine Petræ fundamentalis, ipsam fidem significare, cuius specimen in eo contingenti exhibuerat Petrus confitens: *Tu es* CHRISTVS *filius Dei viui.*

6 Et sanè suadet ratio, nil specialius in ea promissione concedendum Petro, cuius confessio cum socijs fuerat vnà communis. Cum .n. Dominus vniuersaliter Discipulos interrogasset, quid de se ipso sentirent, *Vos autem quem me esse dicitis?* alijs silentio consentientibus, omnium ore vnus, vt Chrysostomus, ait, respondit Petrus: *Tu es Christus filius Dei viui*, & Hieronymus homilia in hunc locum, *Petrus*, inquit, *ex persona omnium Apostolorum profitetur, Tu es* CHRISTVS *filius Dei viui, cui vicissim omnes referenti dictum est; Et ego dico tibi quia Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. & tibi dabo claues, &c.* Si ergò ratiocinatur Paulus fidem credentibus reputandā ad iustitiam, quia reputata est Abrahæ, cur non eadem confessio fidei communis operetur Iacobo, & Ioāni, & reliquis, quam Petro operata est, clauium, & potestatis parem retributionem?

7 Sic enim Petrus solus fuisset fundamentalis Ecclesiæ Petra, & non omnes Apostoli, quod contrariari videtur Apoc. 21. *Et murus Ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in eis duodecim*

nomina Apoſtolorum Agni. Solus etiam recepiſſet claues, & ligandi facultatem, atq; ſoluendi. Eſſe Eccleſiæ fundamentum, poſſeq; ligare, ac ſoluere, primatum abſolutè nequaquã euincunt; niſi pariter fidem regnare concedas, quia itidem Eccleſia fundata eſt ſuper fidem, ſoluere autem, & ligare quid ſit, exponitur Io. 22. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quod eſt per fidei prædicationem homines illuminare, & à peccatorum vinculis liberare, vel non, miniſterium Diſcipulis omnibus certè commune.

8 Præſertim de Petro perſonaliter intelligendam nõ eſſe confeſſionem, & reuelationem illam: *Tu es* CHRISTVS *filius Dei viui*, ſed de vniuerſali Apoſtolico cætu, indicatur, dum alibi eidem Petro prorſus in faciem exprobratur Diuinorum inſipientia, iàm non fundamenti petra, ſed ſcandali dicitur: *Vade poſt me Sathana, ſcandalum mihi es, non .n. ſapis, quæ Dei ſunt*, Matt. 16. Sic ſubamarè increpatur fidiſſimum, ſapientiſſimum, cælitùs edoctum Eccleſiæ caput? tàm citò Dominus palinodiam recinit? Vt Sathanæ conuicio modò vituperet, quem antea beatitudinis, & reuelatorum myſteriorum præconio commendaſſet?

9 Senſum hunc de Petri primatu, non eruerunt Apoſtoli, ex ijs verbis Petro in totius Collegij prolatis perſonam. Ad quid .n. ab hinc vlteriùs dubitare: *Quis eorum videretur eſſe maior?* Cur non omnes, ex tunc Petrum prælatum ante cæteros reuereri? Cuius contrarium conſtat, cum neq; poſt Domini aſcenſum Apoſtoli exhibuerint Petro huiuſmodi capitis reuerentiã; in actis nanq; Apoſtolicis nullum traditur de illius ſuperemineutia indicium, quin potius aliquando ſubeſſe videatur inferior: *Cum audiſſent Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quòd recepiſſet Samaria Verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Ioannem*, Act. 6. Hic percontari: quis præſtat, mittens, an qui mittitur? Serui hoc profectò eſt. Erat igitur ſuprà Petrum Apoſtolicus coetus omnis, à quo ille cum Ioanne in Samariæ miniſterium legabatur.

Cum ſuborta eſſet legalium controuerſia, ex Phariſæis, qui crediderant prædicantibus, de Gentilibus: *Quòd oporteret circumcidi eos, præcipere quoq; ſeruare legem Moyſi; Conuenerunt Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc,* Act. 15. Eccè penès multitudinem de eccleſiaſtica re derelictum arbitrium vniuerſum; tantùmq; abeſt, vt Petrum vnum litis adierint diremptorem, vt potiùs eius in tali Concilio ſententia, ſit Iacobi conſilio poſthabita, dum decernitur, quod hic dixerat, non quod ille: *Primos Diaconos, Apoſtolicum omne collegium, non Petrus ſolus inſtituit,* Act. 6. & infrà c. 20. ſcribitur Epiſcopis onus Eccleſiæ regundæ committi: *Attendite vobis, & vniuerſo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Immeritò igitur hanc prouinciam ſummam demandemus Petro, vel renuenti, quandoquidem nec ipſemet ſibi arrogans Principatum ſe facit collegam Presbyterorum, quibus Dominicarum ouium paſtum commendat, ſcribens: *Seniores, qui in vobis ſunt obſecro conſenior, & teſtis* CHRISTI *paſsionum, paſcite quantum in vobis eſt Gregem* CHRISTI, 1. Pet. 5.

10 Paulus ipſe, qui ex duodecim nō erat, & ſe minimū Apoſtolorum non recuſat fateri, indignū vocari Apoſtolū Petro non concedit: Capiti ſummo debitum honorem nō defert, dum ait: *Cum autē veniſſet Petrus Antiochiā, in faciē ei reſtiti, quia reprehēſibilis erat,* Galat. 2. Adeò ne Paulus cuius in ore nil ſonat frequentius, quàm in Præpoſitos obſequiū, & obedientia, procax, & arrogans iactet ſe in faciē ſuo Præſidi, & Eccleſiæ vniuerſali reſtitiſſe; reprehenſibilitatē eius diffamet, & crimen, ſapiētiorē ſe ſe præſumat ſuo Paſtore? ſed Paſtorē abiurat qui ſe facit illi, & cæteris per omnia parē. ibid. *Mihi. n. qui videbantur aliquid, nihil contulerunt. Sed contrà cum vidiſſent, quod creditū eſt mihi Euangelium præputij, ſicut & Petro circumciſionis* (vbi Gloſſa: creditum eſt Euangelium mihi fideli, ità principaliter, ſicut & Petro) *qui. n. operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes, & cum cognouiſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videban-*

tur columna esse, dextras mihi dederunt, &c. Par ergò fuit Paulus Petro, vt cæteris Apostolis: quod innuit Hier. hìc; & refertur c. Paulus 2. q. 7. *Paulus Petrum reprehendit; quod non auderet, nisi se non imparem sciret.*

11 Si Primatus tandem Apostolorum debetur alicui, detur potiùs ipsi Paulo, qui antonomasticè vocitatur Apostolus, qui plus omnibus laborauit, 1. Cor. 15. cuius etiam imaginē dextro honorant latere diplomata Pontificia, & vsus communis, vbicunq; propè Petrum venit sistendus. Iacobum vbi relinquimus? nullus potiori iure sibi Apostolorū vendicaret Principatum, quotiescunq; alicui deberetur. Sit ipse vniuersalis Ecclesiæ Præses, qui Christo Domino in primaria Hierosolymitani Episcopatus sede successit; cuius omnes steterunt voto in relato Concilio de Legalibus; de quo Chrysostomus hom. 3. in act. *Considera autem,* ait, *& aliorum Discipulorum singularem modestiam, quo pacto concedunt ei solium, nec ampliùs ambigunt disceptantes inter se.* Eundemq; Clemen. 1. Ep. Episcoporum vocat Episcopum, & vniuersæ Ecclesiæ rectorem.

12 At verò Apostolorum neminem fuisse prælatum cæteris Euangelium suadere videtur, ex quo facultas alligandi, & soluendi omnibus attributa dignoscitur; Et SS. PP. id confirmant apertissimis testimonijs plurimis, quæ inter, habetur illud Cypri. lib. de simpl. Prælat. *Hoc erant vtiq; & cæteri Apostoli, quod Petrus fuit, & pari consortio præditi, & honoris, & potestatis, &c.* Hilar. quoq; lib. de Trin. *Vos ò Sancti, & Beati viri* (Apostolis loquitur) *ob fidei vestræ meritum claues Regni Cælorum sortiti, & ligandi, atq; soluēdi in Cælo, & in terra ius adepti.* Leo. ser. 3. de assumpt. explicans Dominica verba: *Tibi dabo claues, &c. Transiuit,* inquit, *in alios Apostolos, vis potestatis istius, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti huius cōstitutio commeauit.* Similiter de ijsdem verbis August. tract. 50. in Ioan. *Si hoc,* inquit, *Petro dictum est, non facit hoc Ecclesia: si autem hoc in Ecclesia fit, Petrus, quando claues accepit, Ecclesiam Sāctam significauit.* Apostolis tandem canimus omnibus: *Qui Cælum*

verbo clauditis, serasq; eius soluitis, &c. Politia ergò Ecclesiastica Monarchicè non instituta, ad Monarchiam nunquàm debuit (aiunt illi) transferri.

13 Argutiæ hercle impudenti Hæreticorum dignæ proteruia, Dissimulare in primis verba illa in Petrum non tendere, *Beatus es Simon Bar Iona; Tu es Petrus; Ego dico tibi; Tibi dabo claues, &c.* deinde nullum importare primatum? *Cunctis scientibus Euangelium liquet* (ait Greg. lib.4. Ep.43.) *quòd voce Dominica Sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro, totius Ecclesiæ cura commissa est, ipsi quippe dicitur: Tibi dabo claues Regni Cœlorum.* Athanasius Ep. ad Fælicem, *Tu es Petrus,* ait, *& super fundamentum suum, Ecclesiæ columnæ, idest Episcopi, sunt confirmatæ.* Nazianzenus orat. de Modest. in disp. ser. *Petrus,* ait, *Petra vocatur, atq; Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habet:* Cyril. lib.2. in Ioan. c.2. *Nec Simon,* ait, *fore iàm nomen illi, sed Petrum prædicit: vocabulo ipso commodè significans, quòd in eo tanquàm in petra, lapideq; firmissimo, suam esset ædificaturus Ecclesiam.* Basilius lib. 2. in Eunomium: *Petrus,* inquit, *per fidei excellentiam Ecclesiæ ædificationem in se ipsum suscepit.* Cyprianus in Ep. ad Quirinum: *Petrum,* ait, *Dominus primum elegit, & super eum ædificauit Ecclesiam suam.* Hieron. in c. 6. Matt. *Secundùm,* inquit, *Metaphoram petræ, rectè dicitur ei, ædificabo Ecclesiam meam super te.* Sed quid vltrà sigillatim memoro, qui ex eo Euangelij, Petrum Principem Ecclesiæ dixerint constitutum? immò potiùs verbo vnico rem absoluamus, quis idipsum non dixit, aut quis contrarium non perfricta queat dicere fronte?

14 Petro dicta nõ sunto, verba illa Matt. 16. quibus, ex te opto, clarioribus circumstantijs, & clausulis exprimi debuisset sententia Saluatoris, si vni Simoni Petro ea voluisset dicta? proprio nomine illum compellare? audis *Simon*. Paternum etiam desideras, vt cum eiusdem nominis altero Apostolo tollatur æquiuocatio? ideò dicitur *Bar Iona.* Demonstratiui pronominis quæris indicium? *Tu, Tibi,* habes. Ni hæc sufficiant super-

additur Petri agnominatio, quod nomẽ illi soli proprium pollicitus dudùm fuerat Saluator, & nemini aliorũ, cum primùm in eum sibi ab Andrea fratre adductum oculos iniecisset: *Intuitus autem eum* Iesvs *dixit, tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpratatur Petrus*, Ioan. 1. Ecclesia in omnium Apostolorum collegio repræsentata, cui conceduntur falsò ea verba, nunquam mihi Simon vocari audita est, filius Iona, aut Petrus. dicito tu, quomodò significasset distinctiùs, si Petro eadem placuisset proferre? Non diffiteor præter Caluinistas D. etiam August. ser. 13. de Verb. Domini, tract. vlt. in Ioan. & alibi, ità Euangelicum textum explicare, vt ea verba: *Super hanc petram*: referat ad ipsum Christvm. Hæc tamen expositio sicuti in rei ipsius substantia verissima est, etenim si Petrum dicimus fundamentum Ecclesiæ, multò magis id dicendum de Christo, qui illum constituit in fundamentum, & propterea audimus ab Apostolo: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est* Christvs Iesvs. Ità si litteralis sensus cupidi simus, huiusmodi expositio nequit aptari verbis citatis, Matt. 16. vbi certum est, quòd si Dominus loquutus esset de propria excellentia, secundùm quam ipse est caput Ecclesiæ, & fundamentum, prorsus fuisset impertinens præmissa ad Petrum illa conuersio: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus*, cui subderetur, *& super hanc* (perpendas demonstratiui pronominis emphasim) *petram ædificabo*. ipsaq; locutio de futuro satis indicat, non fuisse Domino de seipso sermonem, qui iàm erat semper qualis futurus esset.

Nugatur Erasmus, licèt pro se habeat Origenis interpretationem quandam allegoricam, cum ait ad fidelium quemlibet ea verba spectare. Planè si fideles omnes fundamenta sumus, qui parietes, quæ contignatio, quale tectum, qualisuè structura reliqua erit Ecclesiæ? *Si totum corpus oculus, vbi auditus?* 1. Cor. 12. Quæ Lutheranis placet expositio, intelligendam scilicet eam petram, in quà erat fundanda Ecclesia, esse ipsam fidei confessionem, eadem placuit Ambros. lib. 6. in Luc. c. 9.

Chrysost. hom. 89. in Matt. Hilario lib. 6. de Trin. Cyril. dialog. 4. de Trinit. sed principalem sensum non debet excludere; quem indicant tot illæ circumstantiæ personaliter Petrum significãtes. Benè dicitur ipsam fidem esse petram Ecclesiæ fundamentalem, sed vt qua, non autem substantialem, vt quam; per eam .n. meruit Petrus collocari in Ecclesiæ fundamentum.

15 Illi claues Regni Cœlorum destinari, cuius confessio illa fuerat: *Tu es* CHRISTVS *filius Dei viui*, per aduersarios non negatur. Petrus autem pro se solo ad interrogata responderat. Quid .n. graue illi fuisset si pro omnibus loqui pararet, dicere sicut alibi: *Nos credimus, & cognouimus, quia tu es* CHRISTVS *filius Dei viui?* Ioan. 6. Chrysostomus os omnium Apostolorum dicit Petrum, & Hieronymus pro omnibus fatum, non quòd ipse omnium sententiam intelligeret promulgare, sed quòd reliqui nihil addentes, Petri visi sunt subsequenter comprobare sermonem; idem nanq; optimè hom. 55. in Matt. ait: *Quando quidem de sententia vulgi petebat, omnes responderunt, cum verò de sua eos rogaret, Petrus confestim præsiliuit.* Et re vera, quid de magistro proloqueretur populus referre potuerunt omnes, dum: *Illi dixerunt: alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis.* Sed nunquid poterat eodem modo vnus Petrus sociorum animum intueri, quidq; sentirent de Domino diuinare, vt ipse pro cunctis audeat respõdere? esto etiam priuatis collocutionibus potuerit eorum aliàs didicisse sententiam, sicut & vulgi omnes nouerant, cur non reliquit Petrus, vt quisq; in propria opinione loqueretur; sicutì cum mox omnes rumorem vulgi renũciarunt? Sed procul à verò est, Petre, te ex mutua communicatione responsionem edoctum, pro omnibus fatum; ideo .n. beatificaris: *Quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater, qui in Cœlis est.* Quarè Hilarius lib. 6. de Trin. de hac Apostoli Petri fatus confessione: *Loquutus est, quod vox humana nondum protulerat.* Dederim adhuc, quod pro omnibus confessus esset, nonne hoc ipsum primatus est cuiusdam futuri indiciũ: vt eius

ſententiæ cuncti ſubſcriberent; vnus loqui pro omnibus deputaretur? ita viſum Cyrillo lib. 12. in Ioan. c. 64. vbi ait: *Vt Princeps, caputq; cæterorum primus exclamat: Tu es* CHRISTVS *filius Dei viui*. Et ne dicatur intelligendum de reuelatione facta Diuinitus Apoſtolis cunctis;ità vt pronomen illud *tibi* ſignificet denuò myſticam Eccleſiæ vnam perſonam, in eorum collegio repræſentatam,redeatq;ad idem quæſtio;eruitur ex ſequenti contextu,Diſcipulos hactenùs de filij hominis Diuinitate ignaros, tunc primò per illam Petri confeſsionem, & Saluatoris approbationem, Myſterium fuiſſe edoctos, dum ſubditur: *Tunc præcepit Diſcipulis, vt nemini dicerent,quòd ipſe eſſet* CHRISTVS. Quaſi conticeſcerent de nuper reuelato arcano; Vt quid .n. ſilentium indicere,de re, quæ prius ab ipſis poterat eſſe vulgata, eo modo, quo & Petro,& ad inuicem collatam dicis?

16 Pro omnibus ſaltem Apoſtolis non reſpondiſſe Petrum eluceſcit, nàm aliàs, aut ipſe mentitus eſſet, aut Saluator; qui Iudæ perfidiam inter duodecim notauit: *Sunt quidam in vobis, qui non credunt; Sciebat .n. ab initio* IESVS, *qui eſſent non credentes,& quis traditurus eſſet eum*,Ioan.6.Si Apoſtoli eandem cum Petro tenebant reuelationem, & fidem de Magiſtri Diuinitate, eum vtiq; inſpectorem cordium credidiſſent, ac proinde ab eo requiri niſi ore quid ſentirent profiterentur, iuxtà illud: *Ore autem confeſsio fit ad ſalutem*. Quarè ergò obmuteſcentes dicere trepidant, ſoliq; Petro reſponſum relinquunt? ergò vel ex hoc vno capite fides Petri præferenda eſt,& Primatus præmio digna præ cæteris, quia, vel cõſtantior dicere non expauit; vel promptior ſocios confeſſione præuènit. Ità Leo PP.ſerm.11. de paſs. Dom. *Meritò*, inquit, *B. Apoſtolus Petrus in huius veritatis cõfeſsione laudatus eſt, qui cum Dominus, quid de ipſo intelligerent Diſcipuli ſcrutaretur, omnium celerrime eta præueniens. Tu es*, inquit, CHRISTVS *filius Dei viui*.

17 Conſenſerunt ſilentio Apoſtoli cæteri? etiam; nec fides eorum abeat immunis præmio; eadem quæ hic conceduntur Pe-

tro excellenter, vt capiti confitentium, concedantur etiam in inferiori gradu & socijs; fundetur Ecclesia etiam super Apostolos reliquos, si de fidei fundamento loquamur, quod est reuelatio, & Diuinæ doctrinæ traditio, qua omnes pariter ab eodem sunt edocti Magistro; in quo sensu solus Saluator caput est, & nos dicimur: *Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide* CHRISTO IESV. Et allatum Apocalypseos confirmat, siue etiam de particularium Ecclesiarum fundatione sit sermo, nemo ex Apostolis est, qui suas non fundarit Ecclesias, per varios suarum peregrinationum, & prædicationum tractus. Nihilominùs in gubernatione vniuersalis Ecclesiæ Petrus solus ea petra dicitur, super quam illa ædificatur, vt frustrà inferorum portæ aduersùs infremant. Nunquid confessioni fidei hæc habetur necessariò retributio Prælaturæ super Ecclesiam vniuersalem, vt omnes Apostoli contendantur Prælati, quia omnes fidem confessi? Eia nos quoq; singuli, & paruuli, & magni, atq; mulieres Pontificium promeremur, quia fidem, & Diuinitatem CHRISTI clarigamus apertè. Confessio fidei, iustitiam vtiq; extrinseca natura operatur in omnibus, vt sicut reputata est fides ad iustitiam Abrahæ, & posteris suæ Gentis; ità reputetur ad salutem Apostolis, & fidelibus omnibus, sicut & Petro. Si tamen placuit Saluatori munus aliud supererogare huic Pontificij vniuersalis, quod alijs denegauerit, quid tu inde? neq; .n. omnes de Circumcisione meruerunt fieri Patres multarum Gentium, sicuti Abraham, quàmuis communem fidem cum ipso tenuerint iustificantem æqualiter.

18 Si de altero huius confessionis præmio quæratur, quod est collatio clauium Regni cælestis, non negamus clauium potestatem Apostolis singulis, à CHRISTO immediatè receptam; acclamamus & ipsi libenter: *Qui Cælum verbo clauditis, serasq; eius soluitis.* Claues ipsas tamen solus recepit Petrus, siue tunc quando dictum est ei: *Tibi dabo claues Regni Cælorum.* Nil .n. prohibet sacra phrasis assueta præteritum pro futuro, aut præ-

ſenti, & contrà vſurpare, vt ſentiunt Tertullianus, Ambroſius, Auguſtinus, Hilarius, Chryſoſtomus, & Patres alij non pauci; ſin minùs tunc attributas, ſolùmq; promiſſas dixeris; abs fideli promiſſore certò ſcio aliquando collatas poſteà ſoli, ſicut vni fuere promiſſæ; quod fuerit poſt reſurrectionem, cum ſemel, atq; iterum, & tertiò, Ouilis ſui paſtum, & curam Petro Dominus commendauit, Io. 21. *Paſce agnos meos, Paſce agnos meos,* iterum, *Paſce oues meas.*

19 Quæ verba ſicuti ſoli Petro, & nuſquam alijs dicta à Domino euidenter habetur ex eo, quod præmiſerat Dominus, *Simon Ioannis diligis me plus his?* manifeſtum peculiaris allocutionis cum Petro, nomine Patris compellato, & ſeorſim à reliquis, cum quibus comparabatur, ità hoc indicarunt diſcrimen, quòd licèt in Apoſtolatus honore, dignitate, & poteſtate erant Apoſtoli pares, vt ex Cypriano obijciebatur, Hilario, Leone, & Auguſtino; regiminis tamen vniuerſale onus eſt demandatum Petro, ordinariò: paſcere enim, & regere idem ſunt. Regi Dauid eſt dictum: *Tu paſces populum meum Iſrael,* 2. Reg. 5. Paſtoris autem eſt omnimodam curam gerere gregis, paſcendo, dirigendo, cogendo, ſeparando, & diſponendo creditas oues. Non inſulsè Reges vocati ſunt ab Homero Paſtores ob diſciplinæ affinitatē: Philone atteſtante Iudæo lib. de Ioſepho. *Quæ diſciplina* (de paſtoritia inquiens) *cum ciuili conuenit; & hoc eſt opinor, cur Poetæ Reges vocant Paſtores Populi. Nam qui ſummus eſt in arte pecuaria, facilè bonus Rex euadet, pulcherrimo gregi hominum præpoſitus, approbata induſtria in minori negocio.* Similiter non negligunt Patres, quod Moyſes Dux Synagogę datus, in paſtoralibus curis fuerit ante verſatus. Clemens Alexandr. 1. Chron. *Moyſes,* ait, *oues paſcit, vt qui ad principatum Paſtoralem prius erudiretur. Ei .n. qui hominum gregi eſt præfuturus, eſt præexercitatio ouium paſcendarum ſcientia. Ab ea autem ducit Deus, vt eſſet Dux Hebræorum exercitus:* Necnon idem argumentum illuſtrat D. Ambroſius lib. 1. Epiſt. 4. *Abraham,* ſcribens, *& Iacob, & poſtea Moyſes, & Dauid Paſtores fuerunt,* re-

regalem quandam in hoc munere disciplinam induentes. Sed omnium luculentissimus habetur D. Basilius, hom. 26. de Martyre Mamante: *Qui Deo,* ait, *primus placuit Abel pastor fuit: Moyses magnus ille legislator pecudes pauit in monte Horeb, & per pasturam ad colloquium Dei peruenit: Iacob Patriarcha pecudes pascendo, pro veritate patiētiam ostendit, & in modica imagine vniuersam vitam suam, quasi quodam charactere obsignauit: Dauid à pecudum pastura peruenit ad Regnum. Sorores quadam sunt pastura, & Regni administratio, quapropter Dominus vtraq; complexus, & Pastor est, & Rex.* Affertq; in probationem illud psal. 22. *Dominus regit me*, seu vt LXX. transtulerunt *pascit me.*

Per illa autem verba *Oues meas* vniuersum fidelium Regnum significatur, quatenus ouis nulla, quæ CHRISTI sit, excludatur. Disertè Bern. lib. de Consid. *Cui non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolutè, & indiscretè tota commissa sunt oues? si me amas Petre, pasce oues meas. Quas? illius, vel illius populos Ciuitatis, aut Regionis, aut certè Regni? oues meas, inquit.* Et Leo ser. 3. de Assumpt. *De toto mundo Petrus eligitur, qui & vniuersarum Gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisq; Ecclesiæ Patribus præponeretur, vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multiq; Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & CHRISTVS.* Necnon idem, Ep. 89. ad Episcopos Vien. *Cui,* inquit, *Petro cum præ cæteris soluendi, & ligandi potestas tradita sit, pascendarum tamen ouium cura specialis mandata est.*

20 Præ cæteris, Leo ait, soluendi, & ligandi potestas tradita Petro est, quia autem illi, tametsi diuersimodè, potestatem clauium omnem à Domino retulerunt, non quidem vt opinantur aduersarij tunc, cum Matt. 18. dicitur: *Quæcunq; alligaueritis super terram, &c.* Vbi solum promissum fuit, seu significatio potestatis maximæ, quam tandem Apostoli erant consecuturi esto pro tunc eius forent expertes, potissimùm quæ ordinis est, cum ante cænam supremam Sacerdotes, non fuerint ordinati; sed potestatem iurisdictionis Sacerdotalis Apostoli sunt

post resurrectum CHRISTVM adepti, ibi Io. 20. dum dictum est eis: *Pax vobis: Pax vobis: sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Ordinis verò, quò ad absoluendum, potestatem in immediatè sequentibus: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.*

21 Haud tamen eos Petro æquipares, primò, quia & si potestatem iurisdictionis Episcopalis, non habuerint à Petro, vt multorum est opinio; sed à CHRISTO, eam tamen, quæ vniuersalis erat in totam Ecclesiam habuerunt delegatam, vt nomen ipsum Apostoli indicat, sonans legatum, & Paulus fatetur, 2. Cor. 5. *Legatione fungimur pro* CHRISTO. Petrus verò, vt vniuersam in Ecclesiam influxurum caput ordinaria extitit præditus potestate; Leonem consule cit. Ep. *Huius muneris Sacramentum,* dicētem, *ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in Beatissimo Petro Apostolorum omniū summo, principaliter collocaret, vt ab ipso, quasi quodam capite, dona sua, velut in corpus omne diffunderet.* Necnon cit. serm. de Petro habet: *Si quid cum eo commune cæteris voluit esse Principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quod alijs non negauit.* Ità vt ipsi etiam Apostoli, si non potestatem iurisdictionis, quam fortè à Domino retulerint, Episcopalem tamē à Petro receperint consecrationem, qui ipse à Domino solus (vt probabilius est) fuerat consecratus; Vnde meritò Anacletus Ep. 1. *In nouo,* scribit, *testamento post* CHRISTVM, *à Petro sacerdotalis cœpit ordo.* Maiorum videlicet, & Episcoporum, cum Sacerdotio minori, quò ad offerendum, simul omnes Apostoli fuerunt in vltima cœna initiati à Domino, & quoad absoluendum, vt dictum est modò, Io. 20. Innocentius primus in Ep. ad Conc. Cartag. de Petro fatur: *A quo ipse Episcopatus, & tota auctoritas nominis huius emersit.*

22 Subsunt iterum Coapostoli Petro, quia ad hunc eorum pertinet cura, vniuersalem ouium Dominicarum Pastorem. Nulla subterfugit; immò in chariores Domino, & præstantiores, Vicarius solers accuratiùs tenetur inuigilare; Chrysost. innuit in

Io. 21. *Alijs omissis*, dicens, *Petrum dumtaxat affatur, fratrum curam committit*. Qui proinde, vt oues crediti Gregis illi subijci tenebantur; neq. ægrè ferebant, Nazianzeno dicente, orat. de Modest. in disput. *Vides quemadmodum ex* CHRISTI *Discipulis, magnis vtiq; omnibus, & excelsis, atq; electione dignis, hic petra vocetur, atq; Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habeat, ac reliqui Discipuli posthaberi se tranquillo animo ferant*. Concordat Epiphanij illud hæres. 51. *Petrum elegit, vt Dux esset Discipulorum*.

23 Adde (qui maioritatis Petri est index) Apostolos in particulares quenq; suas præfuisse Ecclesias, prout eas sibi dederũt ordinaria potestate regendas, præter delegatam, quam obtinebant in vniuersam Ecclesiam. Ioannes Ephesi, Iacobus Hierosolymis præfuerunt, &c. Petrus verò non item, qui cum Romanæ suæ Ecclesiæ cura solicitudinem simul fidelis gregis gerebat vniuersalem: de quo Leo eleganter, Ep. 84. *Magna prouisum est*, ait, *dispensatione, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis Prouincijs, quorum inter fratres haberetur prima sententia: Et rursùs quidam in maioribus Vrbibus constituti solicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri sedem, vniuersalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil vnquam à suo capite dissideret*.

24 Firmato iàm, quomodò cum Apostolici muneris paritate primatus Petri consistat, in vniuersali Ecclesiæ sanctæ regimine, nullius negocij est, quotquot obijciebãtur particularia enodare. Quid .n. dicebatur? traditionem clauium cum soluendi, & alligandi facultate primatum non importare; sed solùm piacula posse remittere? Equidem effectus vnus is clauium est, at inadæquatus, præter hoc enim, quod ordinis est, iurisdictio quoq; in ijs includitur serans, ac reserans. Quarè metaphora satis est trita, claues absolutè habere, pro plenaria potestate significare. Maximi Principis potestas sic circumscribitur: *Qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit*, Apoc. 3.

25 Inculcabatur obiurgati insipientia Petri, quòd non saperet, quæ Dei sunt, quando Magistro blanditus: *Absit à te Domine*, de passione dixit: *Non erit tibi hoc*. Et istud etiam perperam; etenim aliud est de primatu, aliud de Petri deceptibilitate certare. Nondum firmati lababant Apostoli cuncti, vt prolapsi sunt tādem, passione instante Dominica; multorum inscij, multis cæcutientes, audiebant sæpe: *Adhuc vos sine intellectu estis? Quod facio nescis modò, scies autem posteà &c.* Petri error remouentis crucem à Iesv, magis, ac magis confirmat eundem non, nisi reuelatione edoctum, quæ anteà de Christi Diuinitate dixisset, alioqui tàm altum ipse nihil sapiens; suæ itaq, ignorantiæ huius excusat se se, apud Chrysost. hom. 15. in Matt. *Cur mirum tibi videtur, si in ea re id passus, de qua mihi nihil reuelatum est?*

26 Idem ignorantiæ stupor, carnales adhuc Apostolos potuit occupare, quò minùs Petri primatum apertè dignoscerent, quanquàm non leuiter illū semper fuerint suspicati, eius nanq; occasione lis de primatu surrexerat inter eos. Obseruabant rudes, quæ procedente die sensim edocerentur, totalem exitum rei haudquaquam tenentes. Veluti si legens quis in librum irruperit, animo hærens parum intelliget, quandiu ignorauerit operis scopum, & quò res casura sit tandem.

27 Cum Ioanne Petrus mittitur in Samariam. Ergò inferior mittentibus? qui hanc approbarit sequelam, concedat etiam oportet Filium, & Spiritum Sanctum esse Patre minores: quia hoc non misso, illi mittuntur. Nonne Ciues Imperatorem, & Consulem in expeditionem bellicam mittunt, qui tamen sunt Reip. capita? Misit Herodes Magos in Betlehem, iniungens insuper renunciarent sibi de puero, &c. in ipsos attamen potestatem nullam habuisse, quis dubitet? Indidem veriùs Petri arguo principatum, quòd Cathecumenis, aut Neophytis Samaritis reuisendis, & confirmandis Legatus sit, immò legari consenserit, tanquam Dux, & caput credentium.

28 Legalium quæstionem ad Cōcilium fuisse deductam, in quo

præsideret Pastor vniuersalis Petrus, eius nō tollit primatum. Controuersiarum dica, non solùm Pontifici Maximo, sed Concilio etiam tradi potest, eius auctoritate coacto. Satis quidem est, quòd in eo cætu nullus ante Petrum ausus sit fari: maioritatis in cōsessu argumentum, eius minimè est reprobata sententia; sed cum Iacobi modificatione recepta; ille nanq; fideles penitùs à legalibus abiugabat; nonnulla hìc seruanda censuit: vt minùs durum foret Hebraizantibus. An huius approbatio quidquam derogat Petri dictis? ideò coadunantur Concilia, vt auditæ Præsidentis opinioni addat quisq; quod sentiat, cum duo plusquam vnus intelligant: secus Concilijs nihil opus, si Pontifex Maximus omnia nutu suo, vt potest, vellet definire; nec sapientum multitudini morem gerere aliquando. Deinde paucis diebus seruatum est, quod fuerat ex Iacobi opinione sancitum: *Vt abstinerent se à contaminationibus Simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine*, Act. 15. Quandoquidem, & hæ legis reliquiæ sunt breui abolitæ, scribente Paulo Corinthijs: *Omne quod in macello venditur edite; nihil interrogantes propter conscientiam*. Ex quo absolutè Petri sententia deinceps inualuit. Igitur, neq; Concilium conuocatum, neq; quid aliud ab Apostolis omnibus collectìm præstitum, circà Ecclesiæ regimen vniuersale, quidquam obest, quandocunq; Petrus semper, vt Primas interuenit, vt puta in prima ordinatione Diaconorum.

29 Ex Paulinis verbis, Act. 20. *Attēdite vobis, & vniuerso Gregi, &c.* sensus extortus est, quòd in Ecclesiæ regimen vniuersæ Episcopi incumbere debeant, nanq; *vniuerso Gregi* illimitatè non dicitur, Sed, *in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Non secus, ac si Pont. Max. Vrbanvs viii. Attende (alloqueretur me) Religioni vniuersæ, super quam te constitui Rectorem; Ergone intelligerem vniuersalem Religionis cuiusq; me esse Præfectum, & non potiùs Oliuetanæ meæ solius, in qua positus sum vniuersæ?

Neq; aliud vult Petrus, quàm vt quisq; suum persoluat munus,

nus, Presbyteris scribens: *Pascite quantùm in vobis est* (non absolutè) *Gregem* Christi; Se comprȩsbyterum vocans, memor præcepti Dominici: *Qui maior in vobis est, fiat sicut minister.*

30 Ideò etiam redargutus à Paulo non subirascitur, specimen daturus Præsulibus, ne vnquam iustas admonitiones inferiorum contemnerent. Audiatur Cyprianus, Ep. ad Quinctum. *Nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circuncisione disceptaret, postmodum vendicauit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, vt diceret se primatum tenere, & obtemperari à nouellis, & posteris sibi potius debere.* Quanquàm si quis diceret Cepham illum ab Apostolo reprehensum, non fuisse Apostolorum Principem, sed alium ex LXXII. Discipulis, auctorem haberet probatissimum, Apostolicis tẽporibus proximum, Clem. Alex. relatum ab Euseb. lib. 1. hist. Ecclesc. c. 14. Vel sanè si ille fuerit, reprehensionem dic fuisse simulatam, & apparentem coram Gentibus, ne scandalizarentur ex Petro Iudaizante; sicuti etiam apparenter, & simulatè coràm Iudæis ipse Paulus, & alij Apostoli iudaizabant, ne isti scandalizarentur de prorsus abiecta lege; ita Hieronymus, Theophylactus, & Chrysostomus interpretās illud *in faciem*, quasi in speciem. *Etenim*, ait, in eam Pauli Epistolam: *Si verè fuisset inter eos contẽtio, nequaquam, præsentibus Discipulis, se increpassent inuicem; nunc autem vtilis erat palàm in speciem adhibita dissensio.* Hieronymus explicatur ibi à Gratiano, quomodò pronunciauit Paulum Petro non imparem: sanctitate s. vitæ, & conuersationis; non autem officij dignitate; & à S.Th. 2.2. q.34. ar.4. paritas hæc declaratur, quoad Apostolatum, scilicet defensionem fidei, &c. non tamen quoad prælationem.

31 Quæ iactat Paulus, ab Apostolis nil sibi collatum, Petri Cathedram primam eum reueritum de magis confirmat, dum qui & ipse Apostolus erat, electus diuinitus, nullius indigus, Petrum adit, nō ad se accit reuerentiæ ergò; rectè ibi Ambrosius:

Dignum fuit, inquit, *vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apostolos, cui & delegauerat Saluator curam Ecclesiarum, non vtiq; vt ab eo aliquid disceret, qui iàm ab eodem auctore didicerat, à quo ipse fuerat instructus Petrus, sed propter affectũ Apostolatus*. Oppidò Petrum magnificiebat Paulus, siquidem Hierosolymam ad eum ascendit, sin minus, vt ab ipso erudiretur, saltem, vt suam doctrinam, & prædicationem ei communicaret, à quo esset confirmanda, cum dicit: *Et contuli cum illis Euangelium, quod prædico in Gentibus, seorsum autem cum ÿs, qui videbantur aliquid, ne fortè in vanum currerem, aut cucurrissem*. Gal. 2. Quod de Petro principaliter, cui adstabant Ioannes, & Iacobus intelligit Hieron. Ep. ad August. Et hæc ipsa est prærogatiua summi Ecclesiæ Pastoris: Canonicas approbare scripturas, vt idem, Petrum fecisse de Euangelio Marci, adnotauit Tertullianus lib. 4. contra Marcionem.

32 Putasne bicipitem Ecclesiam cum audis: *Creditum est mihi Euangelium præputÿ, sicut & Petro circuncisionis*? Petrus Iudæorum, Paulus sit Gentium fidelium caput? absit. Ille, quia Generalis Christi Vicarius denominationem à nobiliori Gregis sui accipit parte, vt Iesvs dixerat: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel, idest principaliter: Paulus verò in Gentibus gloriatur, in quibus plus omnibus laborauit, & maiorem retulit fructum: cum tamen, & Iudæis euangelizauerit, quibus oportebat prædicari Verbum Dei, antequam conuerteretur ad Gentes. Sicut à Petro primus Gentilium Cornelius est baptizatus, & ipse ait: *Viri fratres vos scitis, quòd ab antiquis diebus Deus inter nos elegit, vt per os meum audirent Gentes verbum Euangelÿ*, Act. 15.

33 Paulus antonomasticè vocatur Apostolus, quia omnium maximè Ecclesiæ proficuus, vberrimam de suæ prædicationis semine segetem videns, Apostolico excellenter est munere functus. Et Apostoli antonomasia decuit eius scripta citari, qui inter Apostolos sapienter plura cõscripserit, Petrus tamen Principis Apostolorum semper est nomenclatura potitus, eius

veluti armiger præcedens, dextrum latus tegit ille (quod olim consueuerant) Ab Apostolis ipsis Paulum ita honoratum reor, quòd considerarint ipsum à Domino in Cœlis iàm regnante ad Apostolatum vocatum, non sicut ipsi ab eodem passibiliter terras perambulante; estq; indicio, ni fallor, Gal. 2. *Cum cognouissent gratiam, quæ data est mihi Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi societatis.* Vndè qui se minimum Apostolorum fatebatur, Beniamin hinc imitaretur, qui natu minimus, fratribus antepositus est, & filius dexteræ appellatus, in Pauli figuram de sua tribu descensuri; Augustino teste ser. 14. de Sanctis, dum pro Paulo illam vsurpat etiam Patriarchæ Iacobi benedictionem. *Beniamin lupus rapax, manè comedet prædam, & vespere diuidet spolia.*

Sed nec illud prætereundum, quod neminem fugit ex eruditis, in antiquioribus monimentis fuisse olim honorificentiorem locum ad sinistram. Ità Xenophon de Cyro tradidit, eum solitum locare ad læuam prudentissimos conuiuas honoris ergò. Ità Euandri Regis filium excepit Aeneas apud Virgilium:

Pallasq; sinistro
Affixus lateri. Aeneid. 10.

quod non ad inurbanitatem referendum, sed ad seculi existimationem, qua plurimum loco huic tribuebatur: ad sinistram recipiendo digniores; tanquam cordi magis affines.

Ouidius idipsum perhibet, de seniori grauis authoritatis dicens, aut medium inter plures comites, aut sinistrum honoris caussa consueuisse incedere:

In medio Iuuenum non indignantibus ipsis
Ibat, & interior, si comes vnus erat.

ire autem interiorem esse idem, ac sinistrum, explicant Seruius, & Cælius Rhodiginus in illud Aeneid. 5.

Radit iter læuum interior, subitusq; priorem.

& aliud eodem lib.

Nanq; furens animi, dum proram ad saxa suburget
Interior, spatioq; subit Sergestus iniquo.

Cumq; receptissimum sit ex partibus mundi Australem dexteram dici, Borealem verò sinistram, hanc eandem interiorem nuncupauit, Horat. 2. serm. sat. 6. canens:

Siue Aquilo radit terras, seu bruma niualem
Interiore diem gyro trahit.

Quibus cognitis, quis sciat an ab ijs temporibus, quandò pingi cæperunt, aut quandò coibant Petrus, & Paulus, eadem duraret consuetudo locandi ad sinistrum latus ex comitibus digniorem?

34 Iacobum non præferendum ob applausum suæ sententiæ in concilio, ostensum est; De Hierosolymitano Episcopatu respondeat Chrysost. hom. 81. in Ioan. *Si quis à me percontaretur* (dum ait) *quomodò Iacobus sedem Hierosolymis acceperit, responderem ego, hunc totius orbis magistrum præposuisse Petrum.* Et meritò, hic nanq; CHRISTI Domini Vicariatum obtinuit, qui non Solymorum dumtaxat fuerat Antistes, sed vniuersæ Ecclesiæ fundator, & Caput. Quarè Isid. in præfat. de actis Nicenæ Synodi ait: *Hierosolymitanus Episcopus, pro tanti loci reuerentia habetur ab omnibus honorabilis, maximè quòd illic primus Beatissimus Iacobus cognomento iustus, qui etiam secundùm carnem frater Domini nuncupatus est à Petro, Iacobo, & Ioanne Apostolis est ordinatus Episcopus; tamen secundùm antiquiorum Patrum definitionem, sedes prima Hierosolymis esse, minimè dicitur, ne fortè ab infidelibus, & idiotis sedes Domini Nostri* IESV CHRISTI, *qui in cœlis est, in terris esse putaretur.* Clementi visum est honorificis titulis Iacobum prosequi, eo quod frater Domini esset; sed potiori iure Episcoporum illum dixit Episcopum, eo quòd ipse verum esset Sanctimoniæ Episcopalis exemplar cæteris proponendum Episcopis; vel etiam, quia in Prouincia Palestinæ non simplex esset Episcopus, sed Metropolita plurium Episcoporum Episcopus.

35 Curam hanc Apostolici Collegij, & Ecclesiastici totius Regni gubernandi (vt satisfaciamus poscentibus primatus Petri e sacris litteris testimonium) præ se tulit apertè in actis Apo-

stolicis, cùm in proditoris locum ipse author fuit sufficere aliquem ex discipulis, ità consurgens in media concione: *Oportet viri fratres*; Imperatiuè decernens, non consulens. Pro omnibus sæpe interrogat, & respondet; coràm eo nullus auditur assurgere publicam caussam agere: *Ecce nos reliquimus omnia, &c.* pro cunctis interrogat: *Nos credimus, & cognouimus, quia tu es* CHRISTVS, Ioan. 6. pro omnibus respondet, vbi Cyrillus: *Opus erat*, inquit, *diuinitùs comprobatæ prudentiæ, soli responsionem committere illi, qui ordine maior erat.* Quis culpatos ebrietatis Apostolos excusauit? quis concionari primò medijs in Hierosolymis est aggressus, cum animarum circiter trium millium accessu ad fidem? quis in miraculorum editione primus? quis fœcundior? nonne Petrus, qui claudum ad portam templi erexit consolidatis plantis? cuius vmbra sola prætereuntis conualescebant infirmi? Dies dicitur Apostolis coràm Principibus Sacerdotum, vniuersalem caussam is dicit; Ananias, & Saphira mentiuntur de pretio agri, ipse vlciscitur; Dùm conijcitur in carcerem, oratio fit sinè intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.

36 In Euangelio soli Petro fit reuelatio prima Diuinitatis Saluatoris; solus graditur ante Magistrum super aquas; stabilitas perpetua promittitur eius sedi; cum Apostolorum aliæ multæ defecerint, præualentibus in ea parte inferorum portis. Resurgens Dominus primo ex Discipulis apparuit Simoni, vt Lucas ait 24. & Paulus confirmat: *Visus est Cephæ, & post hoc vndecim*, 1. Cor. 15. Quæ omnia quis non videat quomodò Petrum super discipulos omnes extollant? sit qui tantis insignitum prærogatiuis tentet, cum Apostolis cæteris in ordinem redigere?

37 Verumenimuerò tria sunt præter hæc, quibus diligentiùs perspectis, absolutus Petri primatus inuenitur. Non .n. primùm mysterio vacat magno noui illa impositio nominis peculiaris eius, & propria; sed, vt synagogæ, in figura omnia contingebant Ecclesiæ, sic & vtriusq; capiti pares acciderũt euen-

tus, audiuit Abraham: ***Faciem te in Gentem magnam***, & Petrus: ***Faciem te piscatorem hominum***; ille: ***in semine tuo benedicentur omnes nationes***; hic: ***iudicabis*** XII. ***tribus Israel***; alter, ***sicut stellas cæli ponam semen tuum***; alter, ***Tibi dabo claues Regni Cælorum***; sed præcipuè vni dicitur: ***Non vocabitur vltra nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia Patrem multarum Gentium constitui te***; alteri: ***Tu vocaberis Cephas, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*** Sed hic longè meliori sorte sui Domini vocabulum ipsum accepit, de quo passim scripturæ: ***Ecce ego mittam in fundamentis Syon lapidem probatum, angularem.*** Isai. 28. ***Qui demisit lapidem angularem***, Iob. 38. ***Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.*** Ps. 117. Mutatio quidem, aut impositio nominis facta diuinitùs, magnum quid præsagit semper, vt Abrahæ, Isaaco, Iacobo, Salomoni, Ioanni, &c. sed consequi ipsius Messiæ nomen, quà Ecclesiæ fundator est, quid significat aliud, nisi ad munus idem in Vicarium eligi? quorsum vni inter Apostolos mutatur, & tale nomen imponitur? nisi dixeris etiam filios Zebedæi Boanerges de nouo vocatos, qui tamen specialibus priuilegijs etiam ipsi ornati fuere præ cæteris, esto Epitethon quoddam illud potiùs fuerit, quod nunquàm ampliùs in appellationis transijt vsum.

38 Iterùm quòd sui cõmunicatione nominis intellexerit Dominus quodammodò sibi Petrũ consociare in munere, illumq; constituere super familiam suam, intelligitur inde, quòd pro eo, sicut pro se, Capharnaitis voluit didrachma pendere, solis Patribusfamilias, & Capitibus societatum impositũ, vt multorum est opinio verosimilis, alias onerosum nimis fuisset tributum, viritìm duas drachmas ab inopibus quoq; exigere piscatoribus, quæ Romanos duos conficiebant denarios, singulos argenti siliquas quatuordecim pendentes; ex Plin. lib. 21. c. vlt. neq; exactores, pro duodena turba cum magistro, quatuor drachmis contenti acquieuissent; sed à solo capite Societatis, & familiæ illius poposcerunt alloquentes Petrum: ***Quarè***

Magister vester non soluit didrachma? Vndè ergò tanta liberalitas Domini, vt staterem, seu duplum didrachma solui imperet Petro: *Pro me, & pro te*. Qui anteà contestatus erat se esse immunem, vt filium Regis, tantùmq; ad euitandum scandalum proferre tributum? rem attigit Augustinus q. 75. vet. test. (si eius reputetur liber ille) *Saluator cum pro se, & Petro dari iubet, pro omnibus exsoluisse videtur, quia sicut in Saluatore erant omnes Magisterij caussa, ità & post Saluatorem in Petro omnes continentur; ipsum .n. constituit caput eorum.* Nec mysterium Apostolos latuit, quorum statim subortam quæstionem, quis maior futurus esset in regno cœlorum, originatam ex æquali hac pensione tributi pro Domino, & Petro, scribũt Origenes, Hieronymus, & Chrysostomus ibi.

39 Quamobrem de Petro, vt de familiæ capite, ac Apostolorum Duce semper loquitur Euangelium: *Petrus, & qui cum illo erant,* Luc. 9. Marc. 16. Et alibi, aut seorsim ab alijs, aut in capite omnium recẽsetur, vbicunq; de Apostolis incidat mentio: *Petrus, & Apostoli dixerunt*, Act. 5. *Nunquid potestatem non habemus sororem mulierem circumducendi, sicut cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* 1. Cor. 9. Vides ab Apostolorum turma segregari, & vltimum poni in illa gradatione suprà fratres Domini? Euangelistæ omnes ordinem confundunt in reliquis numerandis, vnus Petrus, nunquam præposterus inuenitur, neq; casu factum putes, sed ex debito, cum Matt. 10. dicit: *Apostolorum nomina sunt hæc; primus Simon, qui dicitur Petrus.* Neq; maioritate ætatis, aut Discipulatus, aut Sanctitatis, potuit fieri, cum Andreas senior esset, & ad Dominum accesserit prior. Ex Epiphan. hær 51. *Occursus*, dicente, *Andrea primus contigit, cum esset Petrus minor tempore ætatis*. De sanctitudine verò, Euangelistæ non poterant iudicare, immò Iacobus singularis iustitiæ in populo est habitus; Ioannes virgo Christi dilectus nuncupatur, ergò cæteris Petrus antelatus est semper, solij maiestate, & prælatura.

40 Obserues Saluatorem quoq; quidquid Apostolis commu-

niter omnibus dixisset, Petro sigillatim ferè omne repetere: *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Promissum est cunctis, Matt. 24. Petro specialiter, Luc. 5. *Ex hoc iàm eris homines capiens; Vigilate, & orate* dicitur illis, Marc. 14. huic verò: *Simon dormis? non potuisti vna hora vigilare mecum?* alibi: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c.* Io. 20. Collegio dicitur vniuerso; Principi tamen excellentiùs, Matt. 16. *Tibi dabo claues Regni Cælorum.* Insuper, *Euntes* (præcipitur omnibus) *in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Simoni: *Pasce oues meas*; alijs dicitur: *Venite post me*, Petro verò: *sequere me.* Tandem orat pro Grege suo Dominus toto, Io. 17. *Ego pro eis rogo, &c.* Sed pro suo Vicario ampliùs: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Id quod non obiter perpendendum; dicta porrò hæc fuere coram Apostolis tunc de maioritate certantibus, vt Petrum futurum caput intelligerent aliquando, quoniam sathana omnes excribrare postulante, pro solo Duce rogatur, vt fortitudinem eam consequatur, qua ipse reliquum agmen valeat sibi subditum confirmare: *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Quorsum tanta specialis de Petro, & non de alijs solicitudo? certè satis erat ipsum generaliter cum cæterorum prærogatiuis communicare, nisi aliquid ampliùs præ cæteris illi Dominus tradere voluisset. Collige à posteriori, quòd si Ecclesia non erat instituenda in Anarchia dissoluta, sed Princeps fuit aliquis designandus, cum ex Apostolis, nemo Petri prærogatiuas assequatur, & de eo specialiùs, atq; honorificentiùs semper scripturæ loquantur, hunc ipsum esse, oportet, quem constituit Dominus super familiam suam, dato adhuc, quòd deessent euidentissima testimonia, quæ de eius institutione retulimus ab Euangelio. Doctorum autem, & Patrum sententias de Petri Monarchia longum foret attexere, cum adeò perspicuè loquantur de ea singuli Catholici, vt Catholicus non sit quicunq; apertè id professus non fuerit. Sed neq; humanum recipient testimonium, qui tot Diuina exploserint.

CAPVT IV.

Apostolo Petro esse perpetuò datos successores; eosq; non alios, quàm Romanæ Vrbis Antistites.

ELENCHVS.

1 *PErfidia Hæreticorum de D. Petri primatu conuicta denegat successores; tandem Romanam Cathedram detestatur.*

2 *Insipienter fundata esset Ecclesia cum vnius hominis vita ruitura.*

3 *Episcopi in quo successores sint Apostolorum: nec singulos singulas regere decet Ecclesias, absq; supremo vniuersali Pastore.*

4 *Inuisibile Caput* CHRISTVS, *non sufficit ad vnitatem fidelium sensibiliter colligendam.*

5 *Idem finis, ob quem Ecclesiastica Monarchia est instituta primùm in D. Petro, hanc expostulat perpetuò conseruari.*

6 *Duplex consideratio in verbis:* Pasce oues meas, *quibus institutum est Pontificium, huius manifestat necessariã perennitatem.*

7 *Ex Pontificatu veteris synagogæ comprobatur intentum.*

8 *Multitudini Episcoporum nullum ius ad regimen vniuersalis Ecclesiæ.*

9 *Nemini integrum est auferre ab Ecclesia Monarchiam, quam eius conditor semel instituit: & incommoda indè imminentia.*

10 *Asserta Conciliorum, & Patrum, pro successione Summorum Pontificum, vni Leoni subscribunt.*

11 *Perfugia contrarium opinantium, & primò, quòd in D. Petro potestas non fuerit ordinaria, & perfectissima, quàmuis excellentior cæteris.*

12 *Argutantur à paritate laicæ potestatis, quæ valdè inconuenienter penès Monarcham vnum collocaretur vniuersi Orbis.*

13 *Item quia reprehenduntur Discipuli de maioritate certãtes; neq; S. Petrus vniuersalis Episcopi sibi vnquam nomen imposuit.*

14 *Respondetur ad primũ, quomodò D. Petri potestas fuerit limitata.*

15 *Apostolus Ephes. 4. non recensuit Ecclesiasticam Hierarchiam; nihilominus inclusit maximum Pontificium.*

16 *Quanam fuerit Apostolis singulis solicitudo omniũ Ecclesiarum.*

17 *Disparitas de laico, & spirituali Imperio vniuersi.*

18 *Sensus Dominicorum verborum:* Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non sic, *Luc. 22.*

19 *Qui à vocabulo abstinuit, D. Petrus facto sæpè sæpius se declarauit vniuersalem Pastorem.*

20 *Si debeantur D. Petro successores, non videntur huiusmodi fore soli Romani Pontifices, ex priuilegiorum natura sufficienter considerata.*

21 *De hac Romana successione monimentum, desiderant in scripturis; eò magis, quòd obitus D. Petri in Vrbe nihil arguat.*

22 *Negant Apostolum Petrum fuisse aliquando Romæ, ob discrepantiam de hoc scribentium.*

23 *D. Petri tempora, & Mansiones singulæ recensentur, quæ prohibent ipsum fuisse Romæ.*

24 *Additur, quòd Paulus nihil de Petro, siue Romæ, siue Romam scribens loquatur. item, quòd hic longè senior nequierit alteri commori, & consenescere.*

25 *Diluitur primum; & ostenditur quale sit priuilegium Pontificiæ successionis.*

26 *Nihil refert, quòd de Romano primatu scripturæ conticeant, quando id ex Concilijs, & PP. habetur, per os Ecclesiæ fidem astruens parem.*

27 *Traditio antiquorum PP. est; institutione Diuina Cathedrã Apostolicam fuisse translatam, quàmuis solum factum sufficeret.*

28 *Summi Pontifices primatum dant Romanæ Ecclesiæ; nec eorum testimonium est repellendum.*

29 *Concilia vniuersalia deferunt Episcopo Romano primatum super Ecclesiam vniuersam.*

30 Nicæni Concilij Canones, de maioritate Romanæ Sedis.

31 Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, & Nicænum alterum, confirmant eundem primatum.

32 Aliorum Conciliorum consensus habetur ex Sacr. Can.

33 Obitus D. Petri in Vrbe optimè sufficit ad successionem Romanorum Pontificum in eius Cathedra. Disparitas de obitu Moysis, & Aaronis in deserto.

34 Quàm perfidum sit scriptorum multitudini non acquiescere: nullamq; discrepantiam essentialem esse inter memorantes aduentum D. Petri in Vrbem.

35 Retexitur breuiter vera historia, de incolatu D. Petri in diuersis locis per varia tempora.

36 Cur de Apostolo Petro Paulinæ Epistolæ non meminerint; & an hæc præteritio queat officere attestationi positiuæ eiusdem D. Petri Romæ scribentis.

37 Apostolos Petrum, & Paulum commori potuisse; vt verè commortui memorantur.

38 Romanæ Ecclesiæ primatus ex antiquissimis eius innotescit prærogatiuis, & primò quòd eius Antistes, non vtatur pedo.

39 Item quòd cæteri Episcoporum à Romano semper consueuerint ordinari.

40 Quòd Romani Pontifices constituant Decretales, & leges vniuersales.

41 Quòd inappellabiliter appellationes suscipiant ab alijs Ecclesijs vniuersis.

42 Quòd soli Romani Pontifices Vicarios instituant, per quaslibet mundi Prouincias.

43 Demum quòd in causis fidei contrà Romanum Pontificem nefas sit hiscere.

44 Antiquissimis PP. in his adhibenda fides, tanquam oculatis testibus; & qui temporibus scriberent, quando verosimile non est voluisse Romanæ Ecclesiæ palpum obtrudere.

1 ADuersùs hæreticam prauitatem certantibus non est ex integro profligata contentio hinc, quòd primatum Petri euicerint super omnes Apostolos,& fideles; nec dùm receptui canere, victoriam conclamare. Reinsurgunt si quando prima hac acie fracti, fateri cogantur Petrum inter socios in Ecclesia vniuersa obtinuisse primatum; noua instaurant certamina. Dant quod rationum vi est ereptum; Ast inficiari non ipsos pudet huiusmodi Principatum cum ipsius euanuisse vita, nullo debitum successori. Et statim ac congressu hoc quoq; ceciderint, Sathanica resumunt arma. Romanam saltem Cathedram detestantur, & si aliquis Apostolicæ potestatis hæres perpetuò sit assignandus. Imbecilliora semper tela, agmina languidiora *Gentis bis victa*, Aeneid. 11. Quæ cum semel ferro fuerit dearmata,saxa præripit,quibus cedentibus,apprehensos fustes substituit, vltimò glebas,& stipulas,& quidquid cęcus furor obuium arripuerit. Arma deficiunt, in catholicum nomen magis, atq; magis glisçente liuore. Eò deueniunt tandem, vt spem in hac procacitate reponant; si negent audacter Apostolum Petrum Romæ Cathedram instituisse, aut ibi vnquàm commoratum. A' nostro quàmuis procul sit instituto cum nebulonibus hisce rixari, nec inutile tamen, nec iniucundum, hìc Orthodoxam stabilire sententiam,& eorum obiter irridere conatus; dum sic expostulat assumpti thematis ordo, ne quid indiscussum prætereamus, procedentes ad vlteriora gradatim;ne proinde videamur super inane construere,quemadmodum illi sua ipsorum CHRISTVM notantes amentia Ecclesiam fundasse volunt inaniter.

2 Profectò inaniter Dominus fundasset Ecclesiam in solo Petro hæredibus instituto; non suprà latum lapidem angularem, sed super scrupum, nō supra firmam Petram, sed in sabulo ædificasset insipienter. Iàm mihi videatur omnipotens manus perpetes architectata cœlos,quæ terræ fundamenta appendit,vallo cinxit abyssos, fontes aquarum æquilibrio didit, lusuram in orbem terrarum descendere;carnale pondus, infirmitates, &

 mala-

mala pœnæ sibi vltrò assumere, vt pueriliter chartaceas, aut luteas ædiculas construat, quas multo labore compactas euertat actutum, siue reformet. Erecta est Ecclesia Iesv auspice, Vicario Petro, Apostolis coadiutoribus, de eorum viuit vita, spiritu spirat; cœlos conscendit ille, moriuntur hi, quid superest, nisi, vt simul parentemus Ecclesiæ, eodem cum Petro illam tumulemus sarcophago?

3 Episcopi ais, in Apostolorum locum ipsi succedunt, his cura erit de Ecclesia, sed frustrà. Episcopi enim Apostolorum Episcopatum, nō verò Apostolatum accipiunt. Pastoralem de sua Ecclesia solicitudinem, non Apostolica priuilegia, Ecclesias fundandi, Canonicos cōscribendi libros, miracula perpetrandi, non donum linguarum, non facultatem Episcopos alios constituendi; Quis ergò eos intrudat in Dominica pascua, si vnus desit Pontifex Summus, qui in Ecclesiastici regiminis potestate successerit Petro, illam habenti ordinariam, cum à cæteris Apostolis, non potuerit transisse, penès quos solùm, fuerat delegata? An nē Domini hæreditatem diripiant, qui inuaserint primi? Ecclesia non ruit, inquis, quæ non deseritur, cui non subtrahitur, sed multiplicatur fundamentum; Vnusquisq; Episcoporum commodiùs in suam Ecclesiam sit pastor solus; Ergò tunicam Domini diffuis inconsutilem, rescindis, de cuius integritate cauere satellites, & carnifices; nullo inseruiet vsui, neminem operit, quæ frustatim conciditur. Os ex paschali agno comminuis; sponsum crurifragio crucias, & tamen: *Crura eius columnæ marmoreæ, quæ fundata sunt super bases aureas*, Cant. 5. *Diuisus est* Christvs, dum singuli dicant: *Ego sum Pauli, Ego autem Apollo, Ego vero Cephæ*, 1. Cor. 1. mutilatus truncus euadit Ecclesia, absq; proprio capite, cui capita supposititia affigas innumera.

4 Caput, inquis, Ecclesiæ permanet Saluator, inuisibiliter in eam influens de Cœlis; & sufficit. Nequaquam; integra persona est Ecclesia, inuisibili anima, & sensibili corpore cōstans; illius nil prodest insecabilitas, quotiescunq; huic sensibile ca-

put obtrunces. De Ecclesiastico corpore loquitur Paulus,cum dicit huiusmodi caput in eo constituendum, quod pedibus nequeat respondere: *Non estis mihi necessarij*, 1. Cor. 12. Atqui CHRISTVS tale caput non est, potest quippe omnes nos perdere dicens, nihil mihi opus estis; Humanum igitur infirmitati nostræ accommodum exigimus etiam caput, cuius onus subiacentia omnia membra comportent. Sponsa prout est à Sponso distincta, qui eam alloquitur suum habet Caput,vt Carmelum. Eodem pacto tolli possent de medio omnes administri Sacramentorum; quandoquidem CHRISTVS adest, à quo omnia perficiuntur; ipse.n. est qui baptizat, ipse est qui peccata dimittit, Io.1. ipse est verus Sacerdos,qui semetipsum obtulit in ara Crucis; in cuius virtute corpus eius continuò in Altari consecratur,vt habetur extrà,de Summa Trinit.& fide Cathol. c.1.§.vna de Cõsecr.dist.2.c.quia Corpus; Nihilominùs,quia spiritualis,& insensibilis est iste influxus CHRISTI, necesse fuit sensibiles Ministros in Ecclesia designare;sensibile etiam caput eidem affigere,quod perpetua successione D.Petri Cathedram teneat, & principatum, vti de fide credendum Constantiensis decreuit Synodus, sess. 8. 15. & 27. accedente Bulla Martini PP. V.

5 Vt finem primatus Petri inspexeris, Maximum Pontificium identidem colliges perpetuò necessarium. Nonne Monarchiæ primùm in Petro instituendæ ea fuit ratio, vt fidelium multitudo in vnitatẽ subordinata,ab vno dependens Principe,schismata, & dissensiones caueret? Arctissimus Euangelicæ Charitatis nexus in CHRISTI Rep. quæritur, præter fidei identitatem; At quò longiùs absumus ab signiferi temporibus Seruatoris, deferuet, tepet, refrigescit eò ampliùs charitas; & maior in dies intrà Ecclesiam credentium confluit multitudo; ergò si pauculis regendis ouibus, temporibus Apostolicis, cum plurimum charitatis, dissensionis inerat minimum, Aristocratica insuper comitia conuocari facilè poterant, duodenæ Apostolorum, aut septuagenariæ Discipulorum classis, Monarchia

nihilominus vniuersalis instituenda fuit, multò minus deserenda erat in posterum, quando Rep. latè succrescente, iam impossibile sit vnitatem seruare, per magistratum publicum aliquem ex optimatibus vndequaq; collectis. Pontificatus quo insignitus est Petrus in Ecclesiæ vtilitatem certò fuit inuectus, cum ille nullum exinde temporale retulerit commodum; & Principes propter Resp. constituantur, non verò hæ propter illos; quarè igitur vtili hoc fraudetur Ecclesia, tunc cum maximè præsidio indiget?

Perseuerare in Rep. fidelium oportuit Monarchiã; tùm primò, ne variaretur illa, vnà cum politiæ alteratione, scripturis vndiq; reclamantibus, quibus identitas Ecclesiæ inuariabilis commendatur; tùm etiam, quia cum CHRISTI fundatoris sit de suæ Gentis politia disponere, disposuerit autem sic in Petro Monarchiam primò, vt de eius contraria voluntate nil deinceps appareat, non nisi temerè quidquam poterit per homines innouari.

6 Vniuersale Pontificium his vocibus primò est institutum dicente Domino ad Petrum: *Pasce oues meas*, Io. 21. Pascere pastoris est ordinarium munus non auferendum, quamdiù sit ouile superstes; dissipare vtiq; intendit Gregem percussor Pastoris; quantò magis pastoralem prorsùs amoueat curam? Zelatus est Dominus suarum ouium incolumitatem, illis ideò destinauit Pastorem vnum cum ouilis longæuitate perennaturum. Quod non obscurè insinuauit Apostolus ibi: *Quosdam dedit Pastores ad consummationem Sanctorum, donec occurramus omnes in virum perfectum*, Ephes. 4. nempè non deficient, vsq; ad vniuersalem resurrectionem extremam de Ecclesia, qui eam regant Pastores, & seruent. Qui autem necessarios dixit Pastores, multò magis voluit necessarium supremum caput, à quo Pastores reliqui, id est Episcopi instituuntur. Bene ergò *oues meas*, non has, aut illas expressit, quascunq; includens in aliqua differentia temporis acquirendas, qui *oues meas* dixit, de omnibus quas habebat intellexit; habebat autem plurimas,

quæ Petro non fuere coæuæ, nanq; dicebat: *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, quas oportet adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus Pastor.* Ecce quomodò sub vnitate Pastoris indiuiduum ouile sit congregandum semper ex omnibus Gentibus, quæ quandocunq; prædicationis audita voce ad CHRISTUM sint conuertendæ, quòd si Pastor bonus, & principalis sit ipse Saluator, non tollitur, quin visibili adhuc sit opus vnico Pastore, quemadmodum opus extitit, cum diceretur Petro: *Pasce oues meas.* Sapienter Chrysost. Dominici cruoris effusi caussam reddit, lib. 2. de Sacerd. *Vt pecudes eas acquireret, quarum curam, tùm Petro, tùm Petri successoribus committebat.*

7 Si nihil affuit in Synagoga veteri, quod non illi in figura contingeret, qua mysterium aliquod nouæ legis, & suscitandæ Ecclesiæ signaretur, quid Pontificum in ea series illa, non intercisa significat, abs Aarone, Eleazaro, Phinee, & reliquis successiuè? nostri vtiq; vnitatem Pastoris supremi, qui quaquàlibet oues palari non sinat, super omnes inuigilans, quas Præsulibus inferioribus commisit, qui & ipsi oues sunt, sed maiores veluti anteambulones Gregis. Episcopi multiplicantur in Ecclesia custodes, vni tamen locatur possessio Dominica, qui ab omnibus exigens particulares rationes censum vniuersalem persoluat, sic dicitur Cant. 8. *Vinea fuit pacifico in ea qua habet populos, tradidit eam custodibus*, vnus tamen *Vir affert pro fructu eius mille argenteos.*

8 Quid ais ad plures partiales præsides Ecclesiæ moderamina pertinere? superstite Petro iàm plurimi, præter Apostolos extabant in varijs locis Episcopi, qui ab eo dependebant, & perfectissimè illi suberant (nam de primatu Petri ampliùs nô contendimus, qui iàm, quoad eius personam, stabilitus habetur) quo ergò iure, Petro migrante è viuis, in Apostolicam iurisdictionem intrarunt Episcopi? Certè Petrus, qui potestatem in Ecclesia obtinebat vniuersalem ordinariam, & in successores transferendam, eam non est Episcopis dilargitus, quin potiùs

hæredem vnicum Clementem ſubrogauit, qui Hieroſolymas ſcribens ad Iacobum de tranſitu Petri hæc habet: *Simon Petrus, vbi finem vitæ ſuæ adeſſe ſenſit, in corona fratrum poſitus, apprehenſa manu mea, hunc, inquit, Epiſcopum vobis conſtituo; ipſi trado à Domino mihi traditam poteſtatem ligandi, & ſoluendi, vt de omnibus quæcunq; decreuerit in terris, hoc decretum ſit in cælis.* Quanquam humillimè de ſe ipſo ſentiens Clemens, pro tunc Prouinciam detrectarit, viuentibus Lino, & Cleto præcipuis Petri Diſcipulis, quibus vtriſq; vita functis, quam ijs ceſſerat non recuſarit Imperij poteſtatem, 8. q. 2. c. ſi Petrus. Cui autem non ſit obuium maximum inconueniens, ſi Eccleſiæ vniuerſale regimen ſtatuatur apud Epiſcopos? hoc porrò perinde eſt, ac ſine rectore Eccleſiam derelinquere, neminem de ſui boni ſolicitudine tangere. Singuli. n. ſigillatim Epiſcopi, nec poſſunt de vniuerſis Eccleſijs cognoſcere, illiſq; proſpicere, & parum nō reputabuntur perfeciſſe, ſi optimè ſuper commiſſo particulari grege inuigilauerint, neq; ſi poſſent eorum intereſt, ſcribente Hieronymo ad Pammachium: *Reſponde mihi, ad Alexandrinum Epiſcopum, Palæſtina quid pertinet?* Quòd ſi ad Epiſcopos omnes collectos Eccleſiæ vniuerſæ regimen reſpondeas pertinere, ergò tribus immediatis ſeculis ab aſcenſu CHRISTI Domini, vſq; ad Nicænam Synodum, quæ fuit prima conuocatio Epiſcoporum, nullum fuit Eccleſiæ regimen, & nullum pariter habebitur, niſi cum actu fuerint aperta Concilia, quod euenit perquam rarò. Saltem quando ſunt Concilia diſſoluenda, Præfectum vnum conſtituerent cum authoritate regendi Chriſtianam Remp. ſupplendo defectum vniuerſalis Concilij, vt eligebat Senatus Romanus Cōſules, & noſtræ Regularium Ariſtocratiæ ſuos creant paucorum hominum magiſtratus. Sed quando vnquam auditum eſt Concilia generalia quid huiuſmodi attentaſſe; cum ipſa potiùs dependentiam ſint ſemper profeſſa, tum in conuocatione, tum in diſſolutione à nutu ſupremi Monarchæ Pontificis Maximi.

9 Mens conditoris CHRISTI, & Vicarij Petri decedentis fuit

vnicum Generale Ecclesiæ relinquere caput, cur Monarchiam illis inuitis tollamus de medio, statim erepto Petro? quotiescunq; controuersiæ circa fidem surrexerint, quis adeundus Iudex de multis, qui variè sentiunt Episcopis? fidem bifidam remanere inconuenit, vna est in Ecclesia fides, & contradicentium opinionum alterutra oportet sit falsa; sed inter Episcopos, qui sunt authoritate pares, neuter potest alterius damnare sententiam: Si Concilium dixeris iudicem constituendum, & hoc ipsum falli potest, ni authoritate Pont.Maximi roboretur, vt suo loco docebitur. Quid si fides Regnis infidelium fuerit disseminanda? quomodò prædicabunt, nisi mittantur? à quo autem Episcoporum particulariũ mittentur illuc Euangelij præcones? cum eorum nemo extra suam dioecesim iurisdictionem habeat? Detur igitur rerum Ecclesiasticarum supremus arbiter vniuersalis, & perpetuus CHRISTI Vicarius, qui fidei vnitatem determinet, nouasq; fundet Ecclesias.

10 Conciliorum, & Patrum si exquiras sententias, Leoni omnes acclamant, ser. 2. de sua assumpt. habenti: *Manet dispositio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine Petræ perseuerans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit, perseuerat videlicet Petrus, & viuit in successoribus suis.* Quam veritatem contraria aliqua suadela vix credam posse obnubilari, vt ab humano animo dissimuletur; nisi quia Pontificis Max. oppugnatores genus hominum sunt, quod refractis, honestatis, & conscientiæ repagulis, dum exteriùs criminibus suis refugit iudicem, interiùs omnem expulit fidem; ità quidem, vt prætensa in Dei Ecclesia Anarchia, non obscurum sit atheismi indicium. Legatos, & Proreges, quicunq; dignè non recipit Regi contumeliam facit; Deficit primò à suo Principe Prouincia, immissos illius nomine Gubernatores eijciens. Tantòne esset si crederetur CHRISTVS fidelium Princeps, vniuersalem eius pati Vicarium? cum patiamur terrenorum Regum, qui tamen cum inter nos corporaliter degant, eò minus indigere videntur? O' humanitatem ingratam! & tu quidem pectora habes, quæ

hæredem vnicum Clementem ſubrogauit, qui Hieroſolymas ſcribens ad Iacobum de tranſitu Petri hæc habet: *Simon Petrus, vbi finem vitæ ſuæ adeſſe ſenſit, in corona fratrum poſitus, apprehenſa manu mea, hunc, inquit, Epiſcopum vobis conſtituo; ipſi trado à Domino mihi traditam poteſtatem ligandi, & ſoluendi, vt de omnibus quæcunq; decreuerit in terris, hoc decretum ſit in cælis.* Quanquam humillimè de ſe ipſo ſentiens Clemens, pro tunc Prouinciam detrectarit, viuentibus Lino, & Cleto præcipuis Petri Diſcipulis, quibus vtriſq; vita functis, quam ijs ceſſerat non recuſarit Imperij poteſtatem, 8. q. 2. c. ſi Petrus. Cui autem non ſit obuium maximum inconueniens, ſi Eccleſiæ vniuerſale regimen ſtatuatur apud Epiſcopos? hoc porrò perinde eſt, ac ſine rectore Eccleſiam derelinquere, neminem de ſui boni ſolicitudine tangere. Singuli. n. ſigillatim Epiſcopi, nec poſſunt de vniuerſis Eccleſijs cognoſcere, illiſq; proſpicere, & parum nō reputabuntur perfeciſſe, ſi optimè ſuper commiſſo particulari grege inuigilauerint, neq; ſi poſſent eorum intereſt, ſcribente Hieronymo ad Pammachium: *Reſponde mihi, ad Alexandrinum Epiſcopum, Palæſtina quid pertinet?* Quòd ſi ad Epiſcopos omnes collectos Eccleſiæ vniuerſæ regimen reſpondeas pertinere, ergò tribus immediatis ſeculis ab aſcenſu CHRISTI Domini, vſq; ad Nicænam Synodum, quæ fuit prima conuocatio Epiſcoporum, nullum fuit Eccleſiæ regimen, & nullum pariter habebitur, niſi cum actu fuerint aperta Concilia, quod euenit perquam raro. Saltem quando ſunt Concilia diſſoluenda, Præfectum vnum conſtituerent cum authoritate regendi Chriſtianam Remp. ſupplendo defectum vniuerſalis Concilij, vt eligebat Senatus Romanus Cōſules, & noſtræ Regularium Ariſtocratiæ ſuos creant paucorum hominum magiſtratus. Sed quando vnquam auditum eſt Concilia generalia quid huiuſmodi attentaſſe; cum ipſa potiùs dependentiam ſint ſemper profeſſa, tum in conuocatione, tum in diſſolutione à nutu ſupremi Monarchæ Pontificis Maximi.

9 Mens conditoris CHRISTI, & Vicarij Petri decedentis fuit

vnicum Generale Eccleſiæ relinquere caput, cur Monarchiam illis inuitis tollamus de medio, ſtatim erepto Petro? quotieſcunq; controuerſiæ circa fidem ſurrexerint, quis adeundus Iudex de multis, qui variè ſentiunt Epiſcopis? fidem bifidam remanere inconuenit, vna eſt in Eccleſia fides, & contradicentium opinionum alterutra oportet ſit falſa; ſed inter Epiſcopos, qui ſunt authoritate pares, neuter poteſt alterius damnare ſententiam: Si Concilium dixeris iudicem conſtituendum, & hoc ipſum falli poteſt, ni authoritate Pont. Maximi roboretur, vt ſuo loco docebitur. Quid ſi fides Regnis infidelium fuerit diſſeminanda? quomodò prædicabunt, niſi mittantur? à quo autem Epiſcoporum particulariũ mittentur illuc Euangelij præcones? cum eorum nemo extra ſuam diœceſim iuriſdictionem habeat? Detur igitur rerum Eccleſiaſticarum ſupremus arbiter vniuerſalis, & perpetuus CHRISTI Vicarius, qui fidei vnitatem determinet, nouaſq; fundet Eccleſias.

10 Conciliorum, & Patrum ſi exquiras ſententias, Leoni omnes acclamant, ſer. 2. de ſua aſſumpt. habenti: *Manet diſpoſitio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine Petræ perſeuerans, ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit, perſeuerat videlicet Petrus, & viuit in ſucceſſoribus ſuis.* Quam veritatem contraria aliqua ſuadela vix credam poſſe obnubilari, vt ab humano animo diſſimuletur; niſi quia Pontificis Max. oppugnatores genus hominum ſunt, quod refractis, honeſtatis, & conſcientiæ repagulis, dum exteriùs criminibus ſuis refugit iudicem, interiùs omnem expulit fidem; ità quidem, vt prætenſa in Dei Eccleſia Anarchia, non obſcurum ſit atheiſmi indicium. Legatos, & Proreges, quicunq; dignè non recipit Regi contumeliam facit; Deficit primò à ſuo Principe Prouincia, immiſſos illius nomine Gubernatores eijciens. Tantòne eſſet ſi crederetur CHRISTVS fidelium Princeps, vniuerſalem eius pati Vicarium? cum patiamur terrenorum Regum, qui tamen cum inter nos corporaliter degant, eò minus indigere videntur? O' humanitatem ingratam! & tu quidem pectora habes, quæ

maximam gratiarum tibi collatam à Domino respuant, quam si non haberent, enixè à Domino flagitare deberent, immò sperare nimiæ esset audaciæ. Quale priuilegium hominem ex nostris portitorem Cœli & gratiarum dispensatorem, vniuersalem Patrem nobis dari diuinitus? Qualis filiorum barbaries, vt Patrem oderint, & tollere de medio conentur, quò liberiùs queant in paternam substantiam luxuriari?

11 Præsidio est perditis hisce (sed perquàm debile) ex Ephes. 4. vbi dicitur: *Vnicuiq; nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis* CHRISTI. Ex quo autumant Petrum minimè recepisse vniuersalem potestatem ordinariam, & totalem successoribus relinquendam, & si ipse in socios ordinis quadam prælatione gauderet, quandoquidem, sicut & cæteri non plenitudinem potestatis, sed mensuratè illam recepit. Vt propterea vnum Corpus dicatur ibidem Ecclesiæ, vnus spiritus, spes vna vocationis, vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma, at non vnus, qui contenditur, solus Pontifex vniuersalis; sed Ecclesiastica Hierarchia illis exprimitur gradibus: *Ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores,* Ephes. 4. Vbi est, aiunt, Pontifex iste Maximus vnicus? quin potiùs numero multitudinis Pastores recenset Apostolus. Cum Ecclesia exiguo adhuc coarctaretur fidelium numero, Apostolorum temporibus, neq; si voluissent poterant multiplicari Pastores, sufficiebat vnus satìs, & super; immò neq; tunc nascenti gregi vnus sufficiens erat Petrus, sed in duodecim Apostolos dispertitũ erat onus vniuersalis Ecclesiæ regendæ, licet Petro quendam concesserimus, primatum in ordine, singuli quod Paulus efferre poterant: *Instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum,* 2. Cor. 2. Quantò magis exundans iàm vndiq; Christiana Resp. plures postulat Gubernatores?

12 Non expedit, neq; factum est vnquam, vt politicum, seu secularé Orbis vniuersi regimen vni pareret Monarchæ; quia sic remota nimis à suo capite membra, ægrè illius participarent

influxum; malè continerentur in ordine; pax, & iustitia pessum irent; nàm antè reis vita deficeret, quàm sceleris nuncium Iudicis aures perculisset, atq; vltrix ab ipso exiens reuerteretur sententia; Vnum esse in Orbe Monarcham, perinde foret in remotissimis ab eo locis, ac si viueretur in Anarchia. Neq; satis prouisum foret incommodo, per Præpositos Regios ad singulas Prouincias destinatos; nàm & isti frequenter de suo regimine certiorem facere tenerentur Monarcham vniuersalem, & hic supra populorum, ac ministrorum conuersatione inquirere; Qui munus id queat persoluere, scripta, & rescripta vltrò, citròq; semper ad innumeros terræ tractus expediendo? quod in laico inconuenit dominatu, perfectiori Ecclesiæ, non est politiæ tribuendum; ne dum prænimis capitis vnitati studemus, extremè dissita frigentia membra, capitis nihil iuuētur influxu.

13 Cum altercarentur Discipuli: *Quis eorum videretur esse maior*, Luc. 22. Statim à Domino sunt increpiti: *Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non sic*. Vides vt malè audierint de principatu in Ecclesiastica societate instituendo loquentes, neq; illa debeat ex Saluatoris imperio, Gentium politicis regiminibus, præsertim Monarchicis dominatibus conformari.

Re ipsa neq; Petrus, cum suo qualiquali primatu ausus est sibi vnquam Episcopi vniuersalis nomen arrogare, multò igitur minùs nuncupatio hæc alijs à Petro in Ecclesia est permittenda. Sunt Episcopi æqualiter astra Dei, super quæ qui machinetur conscensum Lucifer fit, quem inanis superbia faciat ampullari. Antichristi est se cæteris superextollere, schismati fores pandere.

14 Quæ sophismata singula, vt nullo refelli negocio; ità vtinam sophistarum contundi posset audacia. Responsum ad omnia præsto est ex præmissis. Quid mihi de gratia? quòd Paulus dicat eius distributam fuisse singulis certam portionem, & nemini plenitudinem ipsam? de potestate loquimur; An non est distinguendum, inter potestatis collationem, & gratiæ? Concedam etiam lubens, quòd sicut plenitudinem gratiæ ne-

mo est in CHRISTI comparationem sortitus, ità nec respectu eiusdem plenitudinem potestatis. Ille nanq; absolutissimum Ecclesiæ caput est, militantis, ac triumphantis, superioris nullius Vicarius; at verò Petro, ac successoribus intra certos fines est impertita potestas, vt terrenam dirigant Sion, quoad sensibilem dumtaxat influxum; nihil tamen innouent in Sacramentis, sinè illis gratiam parare, miracula perpetrare sint impotes, quod nullatenus interdicitur CHRISTO. Veruntamen plenaria est Petri potestas, si cum cæteris comparetur in terris, comprehendit Episcopalem non solum sigillatim, sed etiã omnium Dynastarum collectim.

15 Quod Apostolus non prætcrijt; huius capitis vnitatem necessariam includens, vbi Corpus vnum dixit Ecclesiæ, vnum spiritum; vndè & corporeum sensibile, & spirituale inuisibile caput oporteat designare. Neq; allatus Ecclesiasticæ est Hierarchiæ recensus, quæ non consistit in Apostolatus, Euangelistatus, aut Prophetiæ donis; alioquin nunc de ea conclamatum esset, quandoquidem non sunt amplius inter nos Apostoli, Euangelistæ, siuè Prophetæ. Sed eo loci describitur altissimi munificẽtia, in suorum distributione donorum. Adhuc non excluderetur Summi Pontificatus Maiestas, quantùmuis ea esset Ecclesiasticæ Hierarchiæ recensio. Eo .n. ipso, quod enarratur quosdam à Deo datos Apostolos, simul etiam innuitur, Apostolica pollet facultate circà Ecclesiæ Sãctæ regimen Max. Pontifex, cui Apostolicus honos exhibetur, Hieronymo Ep. 2. ad Damasum scribente: *Qui Apostolos honore sequeris, sequaris & merito*. Plures autem Pastores seorsim vltimo numerati sunt loco, ad quos de Apostolatus iurisdictione nil pertinebat.

16 Nàm solicitudinem omnium Ecclesiarum habuerunt Apostoli quidem omnes, non quòd Petrus vnus exigui ouilis succumberet oneri; sed fidei propagatione, & explicatione sic exigente, vt vbiq; terrarũ Apostolico munere fungerentur; Apostolatu .n. vniuersali super partialem Episcopatum fuerant insigniti; At ipsis decedentibus fundata iam satis, & propagata

fide, eorum delegata Apostolica facultas interijt, Episcopali ad illos Episcopos transeunte, qui in eorum sedibus successerunt; Nec .n. vniuersaliter verum est Episcopos omnes successisse Apostolis, quibus viuentibus Episcopi iam plurimi aderant consecrati. Quæ autem in Petro aderat ordinaria, & suprema pastoralis cura ad successores peruenit, ab inde .n. impendiò magis necessaria erat inter infideles vnitas Monarchiæ, & præcautio schismatum.

17 In eo quod dicitur de laico totius orbis, & de Ecclesiastico Imperio parilitas claudicat. Docuimus & nos Monarchiam, non habendam expedientiorem politiam, non modò pro vniuerso mundo; sed neq; pro minoribus Rebusp. Imparitates retulimus plurimas; duæ argumento satisfaciunt propiùs, altera, quòd laico regimini Spiritus Sancti desit illud alleuamentum, sine quo Ecclesiastico etiam vniuersali orbis imperio impar foret Pontificatus, altera quòd à Principibus non constituuntur in populis veri Rectores, cum ordinaria potestate, sicuti præsunt Episcopi in diæcesibus suis congruè distributi; qui pontificio passim rescripto, non indigent in subditis gubernandis, quòd si maxima vlla quæstio sit ad supremam sedem referenda, nonne præstat adesse aliquem, quantùmuis remotum arbitrum infallibilem, quàm nullum constitui? rationem aliam reddit Gerson de potest. Eccl. Consil. 9. quòd Ecclesiastica Monarchia vniuersali orbi conueniat, non verò secularis, qua illa gladium habet spiritualem excommunicationum, censurarum omnia vbiq; attingentem, at secularis principatus solo materiali ferit gladio, qui ad vniuersos homines se nequit extendere. Deinde falsum est, non dari vnum supremum Monarcham, penès quem sit potestas tēporalis in vniuerso orbe; cum inferiùs ostensuri simus aliqua ratione Summum Pontif. illam habere; licèt non naturali expetitioni naturaliter constitutum, cum potestate sola vniuersali in temporalibus, non verò Dominio.

18 Meritò idcircò Reges Gentium dominantur eorum, Eccle-

sia autem non sic, quæ nullibi per rescriptum, per ordinarios vbicunq; regit Pastores. Et quia in regno Gentium repugnaret vna totius orbis Monarchia, in regno Ecclesiæ non sic. Maioritas pastoralis Apostolis non interdicitur; sed aliqua approbatur ibi: *Qui maior in vobis est fiat sicut minister*; Hoc vnum inhibetur: ne eo modo, quo Gentium Reges imperitent in tumore superbiæ. Et forsitan Discipulis absolutè vetuit dominari, quia dominium, & potestatem habens absolutissimè in mundum omnem, vt diximus, hanc solam, non illud Vicario reliquerit suo, cuius sententiæ videtur Bern. 3. de Consid. c. 1. *Pontifex*, inquiens, *habet dispensationem orbis terræ in bona temporalia*, Christvs *etiam possessionem*; Et infrà alloquitur Saluatorem; *Quid præesse non negas, & dominari vetas? planè sic; quasi non benè præsit, qui præest in solicitudine, præsis vt prouideas, vt consulas, vt procures, vt serues*. Sed quia de hoc nil definimus, an fuerit etiam decens excellens dominium temporale Pontifici Summo relinqui, pro exactiori spiritualis directione, responsionum non coarctamur angustijs; nihil .n. prohibet humilitatem ministratoris, cum excellenti Imperio, ac potestate coniungi, quemadmodum filius hominis vtroq; insignitus, *non venit ministrari, sed ministrare*.

19 Petrus facto sæpissime se vniuersalē declarauit Episcopum; nomine abstinuit, quod cum à nemine sibi contenderetur, modestia Apostolica egredi noluit ad iactantiam. Inde colligunt Innouantes, de Pontificatu Max. non fuisse olim, qui ambigeret, cum ne verbum quidem fiat de eo à Petro, qui tamen nil prætermisit, quod esset eius muneris exequendi; vt recēsuimus illius probātes primatum. Lucifer est, qui super astra Dei proprio nisu parat conscendere, nō qui superimponitur institutione Diuina. Si Christi Vicarius Antichristus sit, si vnitatis maximæ in Ecclesia ordinatio schismati videatur fores pandere, iudicent ipsi. Certè Antichristus, idest contrà Christvm est, qui eius Vicarium abiurans, eundem contemnit; & qui hæretico gladio in fidem inducit scissuras, & schismata.

DE REGVL, ARISTOCR. 20 Pri-

20 Primo hoc iam fusos conflictu hostes spectare est ad secunda prælia redeuntes. Debetur Petro successor, fatentur; sed huiusmodi priuilegium, inquiunt, vel est locale, vel personale, vel mixtum; si primum, non poterit à loco ad locum transferri, & sic translatio sedis Romam ab Antiochia nulla fuit; debetq; ibi permanere primatus; si secundum, locus nihil iuris habet in ea successione, sed omnia à persona dependent, quæ migrare quolibèt valet; neq; Roma præ Vrbibus reliquis ad successores Petri est destinata; si tertium, pariter idem sequitur, nempè priuilegiũ partìm personale, partìm locale tamdiu spectare ad aliquem locum, quamdiù in eo reperiatur ea persona, non autem ex absoluto iure loci.

21 Fieri addunt minimè potuisse quin de hoc scripturę aliquod testimonium perhiberent; at nuspiam illæ meminere de Roma ad Pontificij sedem electa; neq; institutor Ecclesiæ CHRISTVS verbum quidem de ea fecit in Euangelio. Deinde non alio iure contendi potest Romanæ Ecclesiæ primatus, nisi quia ibidem cum tali munere defunctus est Petrus; atqui futilis ratio hæc est; non enim quia Moyses, & Aaron primi Hebræorum Pótifices obierunt in deserto, ibidem Pontificatus iugiter perseuerauit; Si igitur volumus aliàs omnia contigisse illis in figuram nostræ Ecclesiæ, & hanc quoq; recipiamus constitutionem; Quin potius si locus obitus primi Antistitis determinatur ad succedendum, cum Pontifex Summus primus, & Maximus fuerit Saluator Hierosilymę passus, ibi sit Pótificius thronus; scriptum est enim: *De Syon exibis lex, & verbum Domini de Hierusalem.*

22 Sed prò commento etiam habent Petrum Romæ vnquàm fuisse, nedum ibi functum; Argumento est primò Historicorum discrepantia, qui de aduentu Petri Romam tradiderunt, alij secundo, alij quarto, alij quartodecimo anno Claudij; efficax falsitatis indicium. Itidem alij Linum, alij Clementem successorem immediatum Petri enumerant.

23 Petrus prætereà ab Herodianis vinculis liberatus, 3. Clau-

dij anno, vt ex act. 12. colligitur, secundo eius Imperatoris Romam contendisse non potuit; sed nunquam deinceps potuit; siquidem Claudius anno Imperij sui nono, qui octauus decimus fuit à passione Dominica, Iudæos omnes trusit ab vrbe, Act. 18. nedum nouiter aduenientes excipi passus est; Antè autem hoc tempus, Petrum Romæ non fuisse ostenditur; quia repertus est in Concilio Hierosolymitano, quod in ipsum duodeuigesimum annum à Domini incidit passione; Paulus. n. Galatis narrat: post tres annos à sua conuersione, quæ vno anno ascensum Domini subsecuta est, ascendisse videre Petrũ, Gal. 1. *Et post annos quatuordecim iterum*, ait, *ascendi Hierosolymam cum Barnaba*, Gal. 2. Qui fuit conuentus ad Concilium. Sed certo certius est etiam Petrum quinquennio in Iudæa commoratum, post ascensionem Dominicam, septennio Antiochiæ; Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, & Bythiniam peragratum; in qua prædicatione vix minùs sex annis credibile est impendisse. Immò post peractum Concilium, anno Claudij nono, adhuc Petrus à Paulo Antiochiæ reprehenditur, Gal. 2. non ergò ante id temporis Romam coluit. Quod si ab hinc Petrum demus furtim in Vrbem illapsum contrà Imperatoris edictum, si sedit ibidem, vt fertur annis 25. iàm sub Nerone, non erit passus, sed ad tempora vsq; peruenit Galbæ, Othonis, Vitellij, atq; Vespesiani, à quo mitissimo Principe nemo Christicola perhibetur vexatus.

24 Colophonem vrgent, quòd Paulus Romam scribens inter cæteros quos salutat oblitus non esset Petri, si ibi adfuisset, & Roma Galatis scribens, Ephesijs, Colossensibus, Philippensibus, Hebræis, Timotheo, ac Philemoni nihil de Petro loquatur, immò de Marco, Aristarco, & Iesu iusto ait: *Hi soli sunt adiutores mei in regno Dei*, Colos. 4. *Et in prima mea defensione nemo mihi adstitit, sed omnes me dereliquerũt*, Tim. 4. quod non diceret si Petrum Romæ socium habuisset; sed prout sibi diuiserant, Paulus Gentibus, Petrus Hebræis prædicarunt. Difficultatem etiam mouent in ætate, quòd Petrus iàm senex, quan-

do Paulus dicitur adolescens, Act. 7. conuiuere nequierit huic etiam inueterato, vt ipse de se ait Philemoni; ac proinde stare nequeat vna die, vno loco, vnius Tyranni ambo tolerasse sententiam, vt scribit Ambros. Ser. 67. eo magis quòd contradicat Linus in passionibus Petri, & Pauli, asserens diuerso tempore, loco, & Tyranno enectos.

25 Plura, aut pluris facienda non habent Romanæ Cathedræ inuidentes. Primum eludas, respondens priuilegium de Romana successione in Pontificatu esse mixtum, non tamen locale, & personale priuatum, sed publicum; idcircò ad successores eadem lege, de loco eodem dependenter transferendum, iure videlicet, non facto, neq; .n. quinq; illi Pontifices, qui sederunt in Gallijs, Pontifices Romani ideò non fuerunt.

26 Successor Petri è sacris litteris satis euidenter eruitur: quòd hic Romanus sit Pontifex solus, expresiùs in Euangelio, non oportuit declarari: plura .n. sunt (Ioanne attestante) quæ Dominus reseruauit vnctione spiritus docere Discipulos: plura se habere dicenda significauit Magister Apostolis, eaq; grauiora, quæ non poterant tunc rudes portare; Significatum igitur est in Ecclesia vniuersa, per Spiritum Sanctum Patrũ, & Conciliorum ore loquentem; Vnde pariter vtrumq; de fide est, & Petro deberi successorem, & huiusmodi Romanum esse Antistitem, esto illud ex scripturis, hoc ex dogmatibus, & Ecclesiæ traditionibus habeatur diuinitus institutũ. Dato etiam quòd humano facto, & non institutione Diuina Petri obitus, & Cathedræ derelictio Romæ potiùs, quàm alibi accidisset; nihilo seciùs de fidei esset integritate, Romanum non negare primatum; plurima .n. citrà institutionem Diuinam opus est credere.

27 Veriùs tamen à communiori non discedamus sententia, quę euidentissimis ferè testimonijs primatum Romæ Diuinitùs institutum commonstrat. Constans in primis traditio Patrum est, Marcelli, Athanasij, Ambrosij, & aliorum, Petrum monitu Diuino Antiochia deserta Romam transuectasse sedem, & inde profugum regredi iussum, Martyrium subiturum; Vnde

Innoc. in c.peruener.qui fil.sint legit: *Locus*, inquit, *quem elegit Dominus Apostolica sedes esse cognoscitur; cum .n. Petrus Vrbem fugiens exiuisset, volens eum Dominus ad locum, quem elegerat reuocare, interrogatus ab eo, Domine quò vadis? respondit: venio Romam iterùm crucifigi, quod intelligens pro se dictum ad locum ipsum protinùs est reuersus*. Et Nicol. I. apud Gratianum c.omnes, dist.22. *Omnes*, ait, *siue Patriarcha apicem, siue primatus excellentiam, siue Episcopatus potestatem, siue aliarum Ecclesiarum dignitatem instituit Romana Ecclesia, illam verò solus ipse fundauit, qui B. Petro æterna vitæ clauigero terreni, & cælestis Imperij iura commisit*. Tertius additur testis Nicol. IV. in c.fundamenta de elect. in 6. sic fatus de Romana Vrbe: *Vbi Sacerdotij principatum, & Christianæ Religionis caput Imperator cælestis instituit, illic Imperator terrenus, non habet potestatem; quin magis, vt ipsa Petri sedes in Romano iam solio collocata, libertate plena in suis agendis per omnia potiretur, nec vlli subesset homini, quæ iure Diuino cunctis dignoscitur esse Prælata*. Anacleti est etiam Ep. 2. *Sacrosancta Romana Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino, & Saluatore nostro primatū obtinuit*. Iulius PP. tandem c. dudum 3. q. 6. ait: *Et sicut B. Petrus primus fuit omnium Apostolorum, ità & hæc Ecclesia (Romana scilicet) suo nomine consecrata, Domino instituente, prima, & caput sit cæterarum*.

28 Pro primatu Romanę Ecclesię acriter decertarunt in decretalibus suis Sanctissimi Pontifices, pluresq; ex his Martyres, nihil minùs quàm gloriam propriam, & ambitionem quærentes, dignissimi idcircò quibus habeatur fides, tanquam non in caussa propria, sed totius Ecclesiæ, & veritati testimoniū reddentes intrepidè: Clemens, Anacletus, Zephirinus, Iulius, Gelasius, Vigilius, Leo, Gregorius, Agatho, & alij præter nostris temporibus propinquiores quàmplures, quorum Epistolas, dicta, & rescripta, semper sunt omnia secula venerata, vt proinde non nisi impudentis temeritatis sit, quòd nouatores hesterni conentur aduersùs ea latrare, contrà quæ pijssimi con-

temporanei Antiqui PP. non ausi sunt hiscere, sed in plenissimis vnanimiter subscripsere Concilijs.

29 Ne verò Sanctissimorum Pontificum attestationes despexeris, tanquam suspectæ fidei, & suam ipsorũ caussam agentium, Orthodoxorum Patrum multitudinem adi, & audi in plenis Concilijs vno efferentem ore suprà cæteras omnes, Ecclesiæ Romanæ primatum. Diuina quandoquidem dispositione, vt os tandem obloquuturis obstrueretur, res vsq; adeò in Ecclesia est vniuersa quandocunq; protrita, vt siue Oecumenica, siue prouincialia id Concilia ferè nulla conticeant, nulla denegent Romanæ Cathedræ dignitatem vniuersalem, quam soli loculeij conantur abolere nouantes.

30 Nicæna celeberrima Protosynodus (si vera sunt quæ Athanasius Fælici II. scribens iureiurando confirmat, suoq; Alexandrino Concilio adstipulante) per viginti Canones priuilegia, & excellentiam primariam Romanæ Ecclesiæ est prosecuta; Quanquàm Græcorũ historia nihil eius Concilij, præter Symbolum, aliosq; viginti retineat Canones, cæteris eiusdem actis igni traditis ab Arrianis, aduersùs quos Athanasius integros Nicænos Canones à Marco PP. impetratos protulit, in sui defensionem, dùm argueretur erroris, quòd à damnatione Arrianorum Antiochena ad Papam Iulium appellasset; Extat siquidem Canon. 2. Nicænorum Patrum, quòd ad Romanum Episcopum omnibus liceat appellare. Sexto item Canone eadem Synodus rotundo ore pronunciat: *Ecclesia Romana semper habuit primatum*; ità referente Chalcedonense, Act. 16. Et pluribus reddẽtibus exemplaribus, esto in ea quæ circumfertur editione sint ea verba expuncta, ab eorum malignitate, non dubito, qui eundem Canonem contrà Ecclesiæ Romanæ primatum audent reiaculari, eo quod ità contineat: *Antiqua consuetudo seruetur, per Aegyptum, Libiam, & Pentapolim, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & Vrbis Romæ parilis mos est.* Quasi Romanus Episcopus, non maioris esset auctoritatis in suo circumscripto Episcopatu, quam

Alexandrinus in suo. Sed nequiter verborum horum sensum dissimulant, quem Nicolaus PP. Epistola ad Michaelem explicuit: non esse per Aegyptum, Libyam, atq; Pentapolim dimittendam cõsuetudinem, quæ honorem debitum deferebat Alexandrino Episcopo, quam consuetudinem parilis mos est Romano Pontifici ratam habere.

31 Damasus Papa Constantinopolitano Concilio gratulatur in rescript. c. 10. *Quòd vestra charitas Apostolicæ Sedi reuerentiam debitam tribuit.* Illi nanq; Patres ad eum Epistolas dederant, quas Theodoretus refert lib. 5. hist. c. 9. In quibus Romanæ Sedis dignitatem confitebantur præcipuam, & commendabant. An non contestatur Ephesia Synodus se deiecisse Nestorium Cęlestino Romano mandante Episcopo, cuius vices gerentem Legatum Cyrillus receperat? Chalcedonense præter recitatam Nicæni sententiam, eandem Act. 16. confirmat, & alibi passim Leonem Romanorum antistitem vniuersalem acclamans. Bizantia Concilia alterum, atq; tertium Romanæ Cathedræ maioritatem prædicant, illud Act. 4. & in Ep. Orientalium, necnon in clamatione Hæreticorum, istud Epistolis Agathonis reuerenter assurgens, plaudensq; D. Petrum in ijs locutum, in quibus de Romano primatu disserebantur nõ pauca. Non secus, atq; Nicænus alter conuentus Adriani Papæ venerabundus recepit literas, eundem Romanæ Ecclesiæ primatum multis prosequentes.

32 Non aliter alia censuerunt legitimè celebrata concilia, de quibus sacri loquuntur Canones, vt c. definiuimus, dist. 22. vbi sextæ Synodi ergà Romanã sedem perhibetur reuerentia c. vbi periculum de elect. in 6. innotescit sententia Lateranensis sub Innoc. III. & Lugdunensis sub Greg. X. Græcis Latinisq; consentientibus de Romano primatu, c. damnamus de Sum. Trin. Viennensis sub Clem. V. & alterius Lugdunensis sub Innoc. IV. decreta de eodem non habentur dissonantia. Addas si plura expetas, Constantiense sess. 6. & in Bulla Mart. V. Florentinum in literis vnionis, in quibus S. Romanam Ecclesiam definit in

alias omnes habere primatum, voluntate CHRISTI. Lateranense alterum sub Leone x. idipsum statuens, sess. 11. Tridentinum demum (vt à primo perexerimus vsq; ad nouissimum) Sanctam Romanam Ecclesiam Matrem vocat, atq; Magistram cæterarum Ecclesiarum, sess. 7. c. 3. de baptism. sess. 14. c. 7. & sess. 25. c. 1. & 2. id quod olim consimilibus enunciauerat verbis Cœtus Lateranensis, sub Innoc. Græciæ Latijq; Sacris Proceribus concordantibus c. 5. *Romana Ecclesia, disponente Domino, super omnes alias ordinaria potestatis obtinet principatum, vtpotè Mater vniuersorum* CHRISTI *fidelium, & Magistra.*

Tantæ rei multò pridem, non defuit vaticiniũ ex Erythræa Vate, cuius hæc translata referunt verba Antonin. in Chron. p. 1. tit. 3. c. 9. & Bernardinus Senens. 6. par. ser. 1. de B. V. *Elegit sibi ex piscatoribus, & delectis numerum duodenariũ, vnumq; Diabolum, non in gladio, belloue Aeneadem Vrbem, Regesq; subijciet, sed in hamo piscantis.* Vides hinc Romam electam, sicut & Apostolos ad subigendos CHRISTO Reges, & fidei metropolim constitutam. Qua fronte Ecclesiæ Romanæ primatum impugnẽt Hæretici, quorũ vnus ex choriphæis Henricus VIII. Angliæ Rex, antequàm sanam haustam doctrinam Apostata nequam reuomeret, eandem his aduersùs Lutherum est defensatus, in assert. 7. Sacram. art. 2.? *Negare Lutherus non potest,* scripsit, *quin omnis Ecclesia fidelium Sacrosanctam sedem Romanam, velut matrem primatemq; recognoscat, ac veneretur: quæcunq; saltem, neq; locorum distantia, neq; periculis interiacentibus prohibetur accessit; Quanquàm si vera dicunt, qui ex India quoq; veniunt huc, Indi etiam ipsi tot terrarum, tot marium, tot solitudinum plagis disiuncti, Romano tamen Pontifici se submittunt; Ergò si tantam, & tàm latè fusam potestatem, neq; Dei iussu Pontifex, neq; hominum voluntate consecutus est, sed sua sibi vi vendicauit, dicat velim Lutherus, quando in tantæ ditionis erupit possessionem, &c.* Quid vnum commemoro? quasi non ipsi Hæresiarchæ ferè omnes, antequàm funditùs in perditum sensum corruerent, Romanam authoritatem supplices, sint re-

ueriti, quam eorum erroribus aduersantem sustinere impotes tandem maledictis tentarunt impetere; immò ex ijs plures, quò suæ sectæ pararent fidem, authoritate Romani Pontificis abutebantur. Arrius in Athanasium cupiens lege agere Romanum tribunal ipsum appetijt, teste Nicephoro lib. 9 c. 6. Zonara lib. 4. tripart. c. 16. & ipso Athanasio Ep. ad solit. vit. ag. Pelagius aliquando pollicitus est se Innocentij staturum iudicio, referente Augustino lib. 2. contrà Iulianum. Fortunatus, & Abailardus ad Romanam sedem in suis caussis, primò appellasse dicuntur; ille apud Cyprianũ lib. 1. Ep. 3. & 4. alter apud Bernardum Ep. 109. Recentiores Vuicleph, & Lutherus in Romanam Ecclesiam non ante lympharunt, quàm eidem suam submisissent approbandam doctrinam, quod de Luthero tradit Sanderus; de Vuiclepho autem ipsius Epistola legitur ad Vicarium Christi; Nempè nequierunt Apostolicæ Cathedræ terga vertere, quamdiù aliqua extimulati Synteresi, Conscientiæ claustra penitùs non perfregerant. Quarè caussantur immeritò Hæretici à Domino Romæ præteritam mentionem, cum ab eodem illi tributum primatũ tàm euidens sit traditio.

33 Merito iure Romana Ecclesia vendicat sibi primatum, eo quòd ibi defunctus sit Petrus; nàm huius successor eiusdem debet Cathedra potiri; Duplicem ille habuit sedem; Antiochenam primò septennem, subinde Romanam quinquelustrem; At non potuit Antiochenus Episcopus Petro succedere, qui viuens, & Pontificatu se non abdicans Ecclesiam illam solam Ennodio commendauit, postea Ignatio; succedet igitur Romanus Episcopus, non enim alicui succeditur, nisi per mortem, siue naturalem, siue legitimam depositionis, aut abdicationis in Apostolicæ sessionis honorem: gaudeat solum Antiochena sedes titulo Patriarchatus, eoq; non primo, sed tertio, ex Nicæna Syn. c. 6. *Postquàm in vnam, eandemq; sedem Romanam coniunxerat Petrus particularem, & vniuersalem Episcopatum, hæres esto, qui illi decedenti sit in ea sede suffectus.*

Moyses, & Aaron non fixerunt in deserto sedem, sed mor-

tui ſunt ibi peregrinantes. Non ſic Petrus, qui ſucceſſores Romanos reliquit, nõ tàm quòd ibi defunctus fuerit, quàm quòd ibi ſedem elegerit. Figuram quæris? Deſertum ſynagogam ſignificat, Terra promiſſionis Eccleſiã, in ea mortuus eſt Pontificatus, in iſta reuixit. Primus Pontifex CHRISTVS deceſſit quidem in Iudæa, quæ facta eſt illi deſertum, vt ſæpè ſæpiùs Prophetæ pronunciant, inde migrarunt reliqui Pontifices ſucceſſores; Quod allegant *De Syon exibit lex, &c.* gladius eorum intrat in corda ipſorũm, & incidunt in foueam quam fecerunt, ſi .n. exibit, ergò non permanebit.

34 Iàm verò, quid ab hæretica non metuamus perfidia? miramur in abditiſſimis myſterijs Sanctiſſimæ Trinitatis, Incarnationis, & Iuſtificationis offendiſſe Arrianos, Neſtorianos, Pelagianos, quandoquidem non deſunt, qui venerandam non reueriti antiquitatem, hiſtoricam omnem veritatem obliterent? Ecqualis ſupereſt fides de ijs, quæ in temporum ſucceſſionem ſunt geſta, ſi imaginaria noſtra placita fidelibus, qui interfuerunt ſcriptoribus prætulerimus? Negabo & ipſe Cæſarem vnquàm Romæ fuiſſe; nec maior eſt ratio cur Suetonij, & Taciti narrationibus acquieſcam, ſi mihi grauiorum millium ſcriptorum cõtrouertatur auctoritas, qui nec in narratione diſsident; conſtans .n vniuerſalis probatorum auctorum relatio eſt, ſecundo Claudij anno, Petrum appetijſſe Romam; & pauci licet aliqui aliàs narrent, communiorem ſenſum nõ deſtruunt; neq; quoad rei ſubſtantiam diſcrepant; Omnes nanq; aduentum Petri Romam deſcribunt, quàmuis in accidentarijs aberrent à reliquis. Quomodò Clemens fuerit à Petro inſtitutus, hicq; ceſſerit Lino, & Cleto explicatum eſt ſuprà, & quomodò in ſerie numeranda Pontificum conciliari queant, qui Cletum, Linum, & Clementem recenſent præpoſteros.

35 Quinquennio fuit in Iudæa Petrus ab aſcenſu Dominico, & quinto anno Antiochiam profectus (tradit Euſebius) ſeptennio ibi ſedit, Cathedræ tranſlatæ iure, non facto, nàm eodem tempore Pontum, & Aſiam, & reliquas illas prouincias pera-

grauit; ficut nec illos quinq; annos Hierofolymis exoluit integros: conftat .n. Act. 8. & deinceps eundem tunc peregrinatum in Samariam, Ioppen, Lyddam, & Cæfaream. Septimo Antiochenæ Cathedræ anno, qui vndecimus erat à Christo afcenfo, & Claudij fecundus, Romam tranftulit fedem diuinitùs monitus. Ibi vfq; ad nonum eiufdem Imperij annum permanens, tunc exeunte Imperatoris edicto, decimooctauo anno poft Afcenfionem Domini, cum cæteris Iudæis, exul ab Vrbe Hierofolymam eft reuerfus, vbi Concilio præfuit tunc celebrato; & Antiochiam rediens ibi à Paulo eft obiurgatus; poftmòdum ceffante Claudij furore, Romam repedauit, vbi à Paulo ad Romanos 16. falutari iubentur Aquila, & Prifcilla Iudæi, poft biennium circiter ab expulfione reuerfi. Nec ex Apoftolicis actis colligitur Petrum comprehenfum fuiffe ab Herode in carcerem tertio Claudij anno, quo ipfe Herodes obijt, ex Flau. Iofeph. 19. antiq. c. 7. cùm poft liberationem Petri Herodes profectus dicatur in Cæfaream, ergò aliquis ante fuum obitum, & Claudij annum tertium coniecit Petrũ in carcerem.

36 Neq; Petrum nunquam difceffiffe Roma contendimus ijs xxv. annis, quibus illic habuit fedem; quin potiùs eundẽ fuiffe frequentem in varijs Ecclefijs huc, illucq; fundandis, firmandis Epiphanius tradit hæref. 27. Vt propterea nil miri acciderit, fi in Paulinis Epiftolis Romam, feu Roma dimifsis nihil de eo; Sicut .n. certiffimum eft ipfum abfuiffe ab Vrbe, quando ad Romanos fcribebat Paulus fub anno xi. aut xii. Claudij, Petro Roma pulfo, nec dum reuerfo, ità idem abeffe potuit aliorsùm peregrinus, dùm plures illæ Pauli Romæ darentur; Quòd fi etiam ibidem tunc temporis fuerit, negatiuum argumentum præteritæ commemorationis nil officit pofitiuæ atteftationi eiufdem Petri fcribentis: *Salutat vos Ecclefia, quæ eft in Babylone collecta.* Quod cum de neutra queat intelligi Babylone vera Afsiriorum, aut Aegyptiorum, in quibus nulla erat Ecclefia, de metaphorica certè loquitur Babylone, quæ Roma eft (nuncupatio haud infolens in fcripturis, cum ante fidei fu-

sceptionem errorum esset confusio, vt Apoc. 17. Hæreticis ipsis plaudentibus) Hieronymus idcircò lib. de Vir. Illustr. *Petrus*, ait in Ep. 1. *sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans, salutat vos, inquit, Ecclesia quæ est in Babylone.* Quid deinde, si hic, vel ille de hoc Petri Romano incolatu conticuerit, cum ipsius, & aliorum millium loquatur testimonium? Marcus, Aristarcus, & Iustus soli dicuntur adiutores à Paulo, videlicet domestici administri, non quasi Romæ deessent plures fideles cooperantes in Ministerio verbi, vt eadem docet Ep. ad Rom. c. 16. Miraris pro Paulo Neroni non adstitisse Petrum, qui nihilò gratior, sed æquè Imperatori erat inuisus?

37 Quod superest de partitione illa prædicationis, explicabitur aliàs, quomodo Petrus, & Paulus indiscriminatim prædicantes omnibus, hic ab vberiori fructu, ille à priori, ac nobiliori parte Gentium, & Iudæorum sint Apostoli nuncupati. Excessus xxv. annorum sat erat, vt iuuene Paulo, senior diceretur Petrus; Neq; ideò tollit, quin ambo quiuerint consenescere, altero semper eodem excessu ætatis maiore; pariter .n. senes sunt nonagenarius, & sexagenarius, quocirca non Ambrosij solius; sed concors Ecclesiæ sententia vera permanet, de simultanea horum Apostolorum passione; Lino non refragante, cui fabula illa falsò imponitur.

38 Vt negatiuo tandem efficacissimo argumento rem omnem probemus, considerandæ sunt vniuersales excellentissimę prærogatiuæ, quibus Romana sedes in omnes Ecclesias gauisa est semper; vt vel sic intelligas, cum iàm firmatum fuerit deberi fidelium Reipublicæ visibile caput in terris, eumq; successorem Principis Apostolorum, neminem vnquam Romano Antistiti fuisse prælatum. Hic solus inter Episcopos pedum non defert, quod iurisdictionem signat in certo loco coercitam, sed semper, & vbiq; pallium gestitat, quia vbiq; plenitudinem possidet potestatis Episcopus vniuersalis, per Canonistas in c. nouit, de Iudicijs. Patriarcha etiam nonnunquam dicitur, quia dignitates omnes eminenter includit.

39 Ipsius semper est agnitum cæteros vndecunq; terrarum Episcopos ordinare, instituere, ac destituere, à quibus consueuit reposcere iuramentum præstandi obsequij Romanæ, & Apostolicæ sedi, dùm consecrantur. Hinc ea Gregorij querimonia lib.4.Ep.34.ad Const.Aug.quam habes dist.63.c.24.ibi: *Salonitana Ciuitatis Episcopus me, ac Responsali meo nesciente ordinatus est, & facta res est, quæ sub nullis anterioribus Principibus euenit.* Quòd si Euangelica, & Catholica fide latè succrescente per orbem, nouos oportuit Episcopatus institui, ecquis id est ausus perficere, nisi cuius interest solus Romanus Pontifex ab Anacleti, & Clementis temporibus, vt eorum testâtur Epistolæ? vt propterea non iniuria Nicolaus I. Michaeli scriberet Imperatori: *Romana Ecclesia alias omnes, siue Patriarchales, siue Episcopales erexit: ipsam verò solus* CHRISTVS *instituit, qui B.Petro æterna vitæ clauigero terreni, & cælestis Imperij iura cōmisit.* Sacrum pallium nemo induit Episcoporum, aut Metropolita, sibi à Romano Pontifice non acceptum, vt ex pluribus Sacr.Can. liquet, extrà toto tit. de vsu pallij. Damasus immò dicitur decreuisse, vt Archiepiscopus ab accepta authoritate decideret, quicunq; post tertium à sua consecratione mensem Romam pro pallio non misisset. Fuit quoq; id generale cunctis Orientalibus Patriarchis, vt suam electionē Romano Pontifici significarent, à quo eiusdem reciperent firmitatem, quod ex dist. 100. passim agnoscas. Et contumaces fuisse, non rarò per eandem Apostolicam sedem deiectos non dubiè constat, cum de Bizantijs solis plures hac sententia ictos recenseat Nicolaus cit. Epist. ad Michaelem.

40 Leges itidem condere decretales, & Canones, quibus vniuersa ligetur Ecclesia, superioritatis in vniuersam Ecclesiam, quis non habeat pro argumento? Atqui Vaticani Præsidis hoc nunquam non fuit agnitum munus, vt fidelium Remp. vniuersalibus præscriptis instrueret, quemadmodum significat Epist. 2. Gelasij ibi: *Conueniens est, vt totum corpus Ecclesiæ, in hac obseruatione sibimet concordet, quam in Petri sede vigere conspicit;*

vbi Dominus totius Ecclesiæ posuit principatum. Id quod facto indicant summorum rescripta Pontificum, quibus tanquam cælicis oraculis Orthodoxa Ecclesia regitur. Ad Legislatiuam potestatem consequitur legirupas plectendi authoritas, quam sibi non deesse Romani Episcopi frequenter, cum dicto, cum facto significarunt; primum quidem in Leonis Ep. 1. est intueri ibi: *Hoc admonitio nostra denunciat, quòd si quis fratrum contra hac constituta venerit, vel venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio submouendum*. Et Greg. sub finem priuilegij cuiusdam concessi Monasterio S. Metardi: *Si quis*, mandat, *Regum, Antistitum, Iudicum, vel quarumcunq; secularium personarum huius Apostolicæ authoritatis, & nostræ præceptionis decreta violauerit, honore suo priuetur*. Facto etiam hac potestate coactiua sunt vsi Romani Antistites, qua se vniuersalis Ecclesiæ Pastores ostenderent, ad remotas valde ditiones Christiani Orbis sontes corripiendo, vtriusq; fori Summates, atq; Dynastas, vt cum Victor I. multas exauguraυit Ecclesias Asiaticas in celebratione Paschatis contumaces Pij I. edicto, & Innocentius I. eadem sententia perculit Arcadium, & Eudoxiam Augustos, quòd ab insectando Chrysost. non desisterent. Quod & si alij minores Episcopi sint quandoq; aggressi in laicos Principes, cum id Ecclesiæ expostulauit constanter asserenda incolumitas, & libertas, vt Ambrosius Theodosio acriter obsistens, & ad pænitentiam vocans, nullus attamen infrà Romanum Antistitem suam Diœcesim egressus longinquum peccantem anathemate ferijt, quasi vniuersali ostenderet se vbicunq; iurisdictione potiri. Innocẽtius Roma, Constantinopoli commorantes attigit Cæsares; Ambrosius Mediolani Theodosium iudicauit ouem de suo ouili.

41 Romana sedes appellationes recipit ab Ecclesijs omnibus per Concilij Sardicensis Canones 4. & 5. de quibus Gelasius Ep. ad Faustum: *Ipsi*, inquit, *sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius sedis examen voluere deferri, ab ipsa vero nusquàm prorsus appellari debere sanxerunt*. Ipse Romanus Pon-

tifex solus humani cuiusuis est exors iudicij, Synodo Sinuessana pronunciante: *Prima sedes à nemine iudicatur.* Et Rom. Conc. sub Adriano II. *Romanum Pontificem*, refert, *de omnium Ecclesiarum Præsulibus iudicasse legimus, de eo verò quenquam iudicasse non legimus.* Res in multis Sacris Canon. & Concilijs explorata, nec minus historijs ferè innumeris cõprobata; quibus Sanctissimis Episcopis ad Romanam sedem appellantibus iniuria est prohibita.

42 Nemo ex alijs Episcopis legat, vel etiam Vicarios instituit ad remotissimas Prouincias, quòcunq; libuerit per vniuersum orbem, nisi solus Romanus; Sicut Leo per Orientem constituit Anastasium; Hormisda Sallustium per Hispanias, in Gallijs Gregorius præposuit Vigilium, quod sanè illimitatæ per orbem vniuersum potestatis, non leue est argumentum. Ostendit .n. se Rex ibi regnare, vbi vices suas alicui committit ad libitum, & verè Romanæ semper fuit Ecclesiæ in fidei propagationem incumbere, Reipublicæ fidelium satagere incrementum, Euangelij quòcunq; dimittendo præcones. De hoc progressi sunt Capitolio Duces, qui fæliciter CHRISTO regna infidelium subiugarent. Augustinus Monachus, à Gregorio Magno in Angliam missus, Bonifacius in Germaniam, à Greg. II. Chilianus, indidem ad Francones, alijq; aliò expeditione ab Apostolica sede suscepta strenuè decertantes, de integris conuersis populis triumpharunt: quod etiamnum iugiter prosequitur Sancta Romana Sedes, pijssimi D. N. VRBANI PP. VIII. illustrata, & succensa zelo, Eminentissimorum Patrum congregationi de propaganda fide insistentis. Eadem demùm ipsa sola est Romana Ecclesia, vniuersarum hæresum quæ insultus excipit, & retundit; in vnam omnes elatrant, furunt, insaniunt, qui blasphemias à Tartaris reuocãt, & errores. Omnes vnam impugnant, nullus expugnat, quanta disrumpantur contentione, non proficiunt hilum.

43 Eiusdem Romani Pontificis partibus tenentur adstare fideles, quotiescunq; in fide fuerit suborta dissensio, ità vt ipse Ro-

manus Pontifex vnus, omnibus alijs Capitibus, & Concilijs cateruatim coactis præponderet. Sic inter cæteros ex Græcis ipsis est testis Maximinianus Episcopus Constantinopolitanus, Ep. ad Orientales: *Omnes fines terræ* (scribens) *qui Dominum sincerè receperunt, & vbiq; terrarum Catholici veram fidem confitentes in potestatem Romanorum Pontificum, tanquam in solem respiciunt, & ex ipsa lumen Catholicæ, & Apostolicæ fidei recipiunt.*

44 Verùm de his in sequentibus vberior manet tractatio, vbi de Romani Pontificis auctoritate suprà Concilia Generalia; satis interim enucleatum relinquitur ex Patribus, Concilijs, & ratione, ac experientia functionum, Romanum Antistitem solũ verè B. Petro succedere in Ecclesiastici Imperij Monarchia, quod attestati sunt Patres omnes, posteriorum non modò seculorum, quorum sinceritatem hæreticos damnare non pudet, & assentationis in Romanam Ecclesiam insimulare, sed antiquiores quoq; Apostolis ætate proximi, idipsum tradidere constanter, qui vt optimè nosse poterant, ità de re, & personis toto orbe notissimis impossibile erat mentiri. Nec credibile est insudasse, vt palparent Romanum Antistitem, cum nil esset aliud Pontificium, præter immensum onus, & Martyrium certum.

CAPVT V.

Romani Pontificis auctoritati Ecclesiastica subesse Concilia.

ELENCHVS.

1 *Proportio Summi Pontificis ad cæteras Ecclesiasticas Dynastias, qualis Solis ad minutissima sydera.*

2 *Qui auctoritati Generalium Cõciliorũ Papam subijciant.*

3 Constantiense Concilium aliquibus visum in Papam tulisse sententiam.
4 Nihil de præsenti quæstione ab eo Concilio definiri potuisse.
5 Constitutiones Summorum Pōtificum damnantes, quasi hæreticos, quicunq; Papam subiecerint Concilio.
6 Vox Doctorum Communis quodcunq; Concilium subijcit Romano Pontifici.
7 Sophismatibus vt abundent aduersarij.
8 Argumentum eorum primum de Constantiensis Concilij decreto.
9 Concilijs Generalibus præest Spiritus Sanctus.
10 Ratione morali dictante iudicium plurium præferendum vnius sententiæ.
11 Ex fine subordinatur Papa Ecclesiæ, non è conuerso.
12 Incommodum maximū, si in Papam superius iudicium nō supersit.
13 Paritas ex synagoga ostendit auctoritatem supremam in Ecclesia collocandam in multitudine.
14 Si Concilia maioris auctoritatis non sint, quàm solus Romanus Pontifex, ad nihilum deseruient in Ecclesia.
15 Concilium CHRISTVS Dominus maioris auctoritatis, quàm Papa instituit, & quamobrem.
16 Ex verbis Matt. 18. Dic Ecclesiæ dignoscitur tribunal vltimum esse multitudinis.
17 Papa à correptione, & denunciatione non immunis, quia & ipse est frater.
18 Pauli factum comprobat dictum, reprehensibili Petro non parcentis.
19 Idem Petrus Concilio Hierosolymitano paret.
20 Ex eo quòd ipse Petrus non auditus ad Ecclesiam remittatur, claret hanc auctoritate præcellere. Exempla Summorum Pontificum, qui hanc superioritatem Ecclesiæ agnouere.
21 Canones Summorum Pontificum, ex quibus idem eruitur.
22 Claues ipsæ sunt Ecclesiæ, quarum solùm Romanus Pontifex est Minister, & Clauiger.
23 Papatus inabdicabilem de se potestatem, non importat.

24 *Criminosum Pontificem posse deijci docent sacri Canones.*
25 *Paritas subiectionis Papalis, à foro conscientia ad forum iurisdictionis exterioris.*
26 *Sentētia Romanorū Pontificū aliquandò in Concilijs examinata.*
27 *Exempla Symmachi, & Anastasij Pontificum, quos Ecclesia iudicauit.*
28 *Papam esse non posse fidei regulam, eo quia de eius fide Ecclesia iudicet.*
29 *Synodus Constantinopolitana octaua suffragatur Constantiensi, & Basiliensi.*
30 *In scriptura sacra iudicium Concilij praefertur cuilibet humano iudicio.*
31 *Constans profertur assertio, Papam oportere nulli subesse Concilio, si debeat Ecclesiasticum regimen esse absolutè Monarchicum.*
32 *Terrena Monarchia quàmuis in quibusdam communitati subdantur, Ecclesiastica Caelestis nō tamen ità, & vnde disparitas.*
33 *Ecclesia Monarcham ab eius potestate non pendere, ex sacris similitudinibus, quibus illa significatur.*
34 *Nulla potestas collata fuit Ecclesiae vniuersali à* CHRISTO *Domino, & si qua fuisset collata, adhuc superior non esset Pontificia, sed par, vt summum.*
35 *Ecclesia, pro vt summum caput excludit, corruit, nedum aliqua pollet potestate.*
36 *Ex Decreto ipsius Concilij Constantiensis habetur, Papam non esse Ecclesiae subijcibilem, quia vices insubijcibilis gerit* CHRISTI.
37 *Illustratur Augustinus, asserens Dominicam pascuam omnibus commendari.*
38 *Idem quo sensu dicat Claues attributas Ecclesiae.*
39 *D. Petrus ouium vniuersarum ipse constitutus est Pastor, & quomodo recipiens claues figuram totius gessisse dicatur Ecclesiae.*
40 *Ordinem rerum deposcere, vt ad vnum supremum omnia reducantur, in spiritualibus non minùs, quàm corporeis.*
41 *Infallibilitas iudicij in rebus fidei summo soli data Pontifici: nec aliter in synagoga olim extitit.*

1 IAm tantò Ecclesiasticus splendor seculari præfulget, quantò Soli Luna concedit. At ipsas inter Ecclesiasticas potestates, Sol Pontificij Maximi suspiciendus hic, astrorum non modò singula vincit, sed collectorum omnium lumen absorbet suæ lucis abysso; Nec vniuersorum cœtus, quando simul accendit nocturna funalia, diem æquat; Diurni vnius syderis claritate millenarius tenebrescit chorus. Congerant Cœlum, terraq; faces, Ecclesiastici, Laiciq; Dynastæ conueniant, nox nihilominus confusa caligat, vbi diurnis radijs Sol apostolicus non affulserit.

2 Qui Monarchiam in Ecclesia oderunt Hæretici, his iuratum manet: Ecclesiasticam potestatem supremam penès Cōcilium multitudinis collocare; de Pont. Max. audire cum renuant. Hos aduersùs, probando Petri successorumq; primatum, ea protulimus alibi, quæ hìc sit superfluum recantare. Ijs audiant si velint; neq; enim modò curæ nostræ est Aethiopem tergere. Ad alios sermo conuertitur, qui catholicā (sed qualem, quanq; temerè) fidem profitentes, Monarchiam à Christi regno non ablegant, in Petro per Dominum institutam, ad successores Romanos Pontifices traducendam, cum primatu super omnes Ecclesias distributiuè, non tamen super omnem collectim Ecclesiam. Vt eum existimes in Christiana Republica Pontificem Maximum, quales Abbatem Generalem in Congregatione Monastica, instituta etiam Monarchicè: & Regē in politico regno; qui vt Monachis, & Ciuibus præsunt singulis, sic vniuersæ communitatis perferunt leges, corrigendi, & eijciendi de Monarchico Throno, quotiescunq; publico magis obfuerint bono. Immò veluti grauissimarum caussarum reseruatio facta est Reipublicæ vniuersalibus comitijs, & Religiosorum Capitulis Generalibus, non absimili modo Generale Concilium, Ecclesiam vniuersam repræsentans, habeat de fide sancire, de Pontificis moribus, & vita decernere: nec non si oporteat eundē abijcere, & repetundi degenerantis Imperij iura in Ecclesia retineri, non secus ac in humana politica cōmunitate.

3 Hæc ſentire indicat, non obſcurè, Cõſtantienſe Concilium, cuius in articulum Vuiclephiſtarum: *Non eſt de neceſsitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias.* Hæc eſt cenſura: Erroneus eſt ſi per Romanam Eccleſiam intelligatur vniuerſalis Eccleſia, aut generale concilium, aut pro quanto negaret primatum Summi Põtificis ſuper particulares Eccleſias; quaſi liceret ſuper vniuerſalem Eccleſiam Romani Pontificis inficiari primatum, qui ſolius ſit Generalis Concilij.

Errori huic Doctores, alioquì ſatis pij, dedere manum; an Concilij huius auctoritate diſtracti? Abulenſis in c. 18. Matt. q. 108. Iacobus Almainus, Cardinales S.R.E. Florentinus Cameracenſis, & Cuſanus. Abbas Panormit. Baſileenſi Concilio adhærens mordicùs, ſicut & Ioannes Gerſo Conſtantienſi; à quo ſuis diebus definitam acerrimã contẽtionem, peſſimumq; ſucciſum Eccleſiæ ſcandalum, palmas tendit in cœlum, contrà Pontificem latam ſententiam congaudens. Ex quo indubitatum mihi eſt, quæſtioni huic non feciſſe originem Concilium illud, vt aſſerunt quidam, à quo potiùs confoſſa putabatur, atq; ſepulta, in Eccleſia perantiqua; quanquàm renata inde magis videri poſſit.

4 Sed parce, mi Gerſo, tàm feruidè in Pontificiæ auctoritatis, ac veritatis fautores inuehi; quia, nec à Concilio aliquid litem dirimens eſt definitũ, & ſi aliquid ei definire placuiſſet, hydram ſecaſſet. Deſine gratulari; quandoquidem eidem cæno infigimur. Hæc eſt prorſus quæſtio, quæ reuiget: pluriſne ſint facienda Concilij decreta, quam Pontificis; liceat, nec ne illi in hunc ſententiam dicere. Et ſi Concilio contendas ſubſcripſiſſe Pontificem, nihil minùs videndum, an ille Pontificiæ dignitati valeat derogare, eam ſubijciendo Concilijs.

5 Sed contrarium reclamant Pontifices omnes, quos inter Pius, & Iulius ſecundi, appoſitis Conſtitutionibus damnarunt, velut ſchiſmaticos, & hæreſim ſapientes, quicunq; Pont. Max. Concilio ſubijci prædicaſſent; Hæreticorum, ſchiſmaticorum,

necnon perduellionis in Apostolicam sedem pœnis plectẽdos; ijdem diris deuouentur quotannis in Dominica Cœna, quotquot appellationem ad Concilium, tanquam ad tribunal superius à Papa proposcerint. Et cum alioquì pro Pontificibus statuerint Concilia plurima, Romanum alterum sub Siluestro, alterum sub Symmacho; Lateranense vtrunq;, cum Sinuessano, Chalcedonensi, ipsoq; Cõstantiensi (vt nostrum erit ostendere) ipsi videmur de re inaniter litigare, in qua nulla partium est dissensio, inter Papam scilicet, & Concilia, quorum non est in Põtificem insurgens, nisi schismaticum audias Basileense.

6 In quod Theologorum, & Canonistarum, & Romanæ fidei Schola omnis crepaci ore conclamat, ac tuetur intrepidè: Romanum Pontificem Ecclesiæ vniuersæ præesse; nullius Concilij subijciendum iudicio, qui illis leges tribuit, & virtutem; siue Prouincialibus, à Metropolita inductis ad Prouinciæ Ecclesiam reformandam; siuè semiœcumenicis, de re quidem ad vniuersalem Ecclesiam pertinenti, paucis tamen Prælatis negocia discutientibus; siue ipsis Generalibus, quæ & vniuersalem Christianæ Reipublicæ caussam agunt, & vndiq; terrarum confluentibus Consultoribus patent.

7 Argutiæ, & Sophismata tot ingruunt ex aduerso, vt non defuerit ex nostris, qui sexagena eorum perrexerit insectari, & soluere. Ast operæ nostræ futurum pretium ducimus, si prolixam contentionem vitantes, legentium animum battologia non implentes inani, sic rem ordinarimus dilucidè, sub primoribus fundamentis, leuioribus fartim succenturiatis; quatenùs vno elidatur conflictu quidquid à veritate catholicæ propositionis auocare videretur mentem, aut in contraria inclinare.

8 Primum aggerant vallum de Synodi Constantiensis decretis, cuius præter allatam in articulum Vuiclephi notam, apertior his habetur sententia, sess. 4. *Hæc Sancta Synodus declarat, quòd ipsa in Spiritu Sancto legitimè congregata, Concilium Generale faciens, & Ecclesiam Catholicam repræsentans, potestatem à* CHRISTO *immediatè habet, cui quilibet cuiuscunq; status, aut di-*

gnitatis, etiamsi Papalis existat obedire tenetur, in his quæ pertinent ad fidem. & dicti schismatis extirpationem, & reformationem dictæ Ecclesiæ, in capite, & in membris, &c. Ad hæc audita bicorne proponitur argumentum: Aut Constantiensis Synodus recipienda est, & legitima, aut reijciendum Conciliabulum. Vtrinq; fuga, & saltus intercluduntur; quodcunq; dixeris res cadit ex voto. Si nullius auctoritatis est Concilium, à quo deiectis tribus de Pontificatu certantibus, schisma est illud teterrimum resarcitum, per electionem Martini V. cui vsq; in diem hanc, successit Romanorum Pontificum linea, adhuc in schismate perdimur, & illegitimis vsq; modò paruimus Pontificibus, adeòq; verum manet istos pseudopontifices, nedum Concilijs non præesse, sed in Ecclesia Dei præsumptuosè regnare, institutos iniq;, per priorum Pontificum oppresionem ab illegitimo, & Schismatico Conciliabulo. Frustrà occurritur, quòd Concilium Constantiense validum, quoad schismatis solam ablationem, in eo casu extiterit, nàm reliqua tenent in eo de fide decreta, ritèq; ex tunc Hæreses Vuiclephistarum, & Husitarum anathematizatæ habentur: sin dederis, vt verè debes, Synodo illi reuerentiam, & fidem; triumphamus: eius sic aperta sunt eloquia recitata, aduersus quæ effrontis sit pertinaciæ cauillari. Distinctiùs immò eadem pensitando, latentes in eis rationes proderit obseruare.

9 In Spiritu Sancto Synodus se legitimè præmonet congregatam (quod Tridentinæ, & alius cuiusq; est proprium præmittere) vt pateat Concilia Oecumenica, neq; à Papa, neq; ab alio humano conuocante, in sui congregatione pendere. Multitudini soli Diuina promittitur assistentia, ideòq; sola iudicij est infallibilis, dicente Domino: *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, Matt. 18. Quantò magis vbi fidei Proceres centeni, & milleni confluxerint vnanimiter in nomine Seruatoris?

10 Idipsum morale est Reipublicæ cuilibet, vt: *Ibi salus, vbi multa consilia*. Vnius consilio nimiùm non fidendum. Iudi-

cij integritas, & inflexibilitas voluntatis, ne à vero, & recto declinent, vni hominum haud attribui possunt; illud, ob humani intellectus angustias, hoc, ob indifferentiam libertatis: Vniuersitas contrà, erroris expers, nunquàm tota falli, & peccare præsumitur; vndè nec valet excomunicari, c. Romana §. in vniuersitatem, de sent. excom. in 6. Non bene igitur audit, quòd Ecclesiasticæ Reipublicæ negotium vniuersum, & summa rerum vnius credatur sententiæ, & arbitrio, qui vt humana soboles à peccato nequaquam immunis, & quàmuis Pontifex: *Et ipse circundatus infirmitate*, Heb. 5. multoties in Ecclesiæ perniciem, susq; deq; omnia vertat: publicumq; bonum in priuati commodi gratiam perdat; quandoquidem & ipsæ nos humanæ reipublicæ arguent, apud quas tanti penditur cōmunis salus in politico terreno bono, vt nullum ius regium vniuersitatem priuet iure iniqui Imperij repetundi.

11 Finis vltimus, per Philosophum, ipse est regula mediorum omnium, quæcunq; in illum sunt ordinata; Dedecet finem medijs, immò hæc illi debent potius accomodari; Finis porrò est cuius gratia opus fit, nobilissima caussarum; reliquas alliciens obsequentes. Nonne quæcunq; auctoritas in Pont.Max. collocatur; quanta quanta est, ad bonum dirigitur Ecclesiæ vniuersalis? Sentiat igitur hæc ab obliquæ mentis Pōtifice se grauari, cur iniquum iugum nefas erit excutere? cur vice peruersa, non Pontifex sit propter Ecclesiam, sed Ecclesia propter Pontificem?

12 Considerandū quale subeamus discrimen, dùm extrà caulas non eijcitur morbida facta pecus sola, ne totū cōtagiosa mentigine corrumpat ouile: furens, & amens deinde Pastor ferendus, qui gregem omnem præcipitem abigat? Apostolicæ facultati limites inscribuntur per Paulum: *Potestatem nostram dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram*, 2.Cor.10. Nec diffitendum est Petri Cathedram, non meliorem, quàm Moysis nactam sortem, vt super hanc si sederint scribæ, & Pharisæi, imitatione indigni, illam quoq; Pontifi-

ces illaudati aliquandò conſcenderint.

13 Solita non deeſt ex ſynagoga regula, in qua Spiritus Sancti aſsiſtentiam infallibilem monemur, non vni attributam Pontifici defectibilis mentis, ſed multitudini Leuitarum, & Sacerdotum, ex alio ſæpius inducto textu: *Surge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesq; ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresq; ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcunq; dixerint, qui præſunt in loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te, iuxtà legem eius; ſequerisq; ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neq; ad ſiniſtram*, Deut. 17.

Zelatus eſt Dominus nouiſsimas cùm Eccleſia nuptias, præ veteri ſynagogæ connubio; quam huic certam ſpopondit indefectibilem iudicij veritatem, illi non denegauit; vtpotè noua in lege multò ampliùs neceſſariam, quæ non ſcripto determinata, ſed in viuis exarata pectoribus, per Apoſtolicas traditiones, eademq; toto orbe terrarum diffuſa, non in ſola ciuica Iſraelitarum cognatione arctata, perpeſſura eſſet quotidianas diſſenſiones, circà fidem, & mores. Sed quarè immutauerit Deus, quod pro ſynagoga ſemel opportuniùs approbauit, veritatem nimirum infallibilem de multorum concilio attendendam? hoc moralis experientia prohibet oſtendens, vnius mentem facilè, aut paſsionibus obliquari, aut ignorantia caligare: ipſumq; Pont. Max. vt in omnibus, tùm in fide poſſe deficere, c. ſi Papa 4. diſt. ſecùs Concilia, perſpicaciùs omnia prouidere, nil præterire indiſcuſſum; pacem vniuerſalem, & opinionum varietates, ad Catholicam redigere vnitatem.

14 Quid opus Concilijs in Eccleſia? quorsùm fiant per plura, quæ certiùs poſſent fieri per pauciora, ſi Spiritus Sancti dictamen indeuium Pontificia corda repleret? ab vno Petri ſucceſſore omnis veritas infallibilis eſſet attendenda. Nil aliud ex Conciliorum inſtitutione ſperare poſſemus, quam ſchiſmata; ſententiarum ſectiones; innouationes detrimentoſas; Maximum bonum, in quod, vt ſummùm, reſolui poſſet vniuerſalis

iste conuentus; pacifica esset, & concors multorum sententia; quæ si nihil addat auctoritatis determinationi vnius Pontificis, quã iàm tutò habere possumus; quid vltrà quærimus Concilia, ex quibus compendij nihil, dispendij plurimum aucupamur? Si frustratorias omninò generales Synodos nolimus cõtendere, sed ad multa prodesse, quæ æquè benè per solũ Pontificem nõ disponerentur; fateamur ergò, auctoritatis aliquam præeminentiam in Concilio, quà solius Papæ excedatur potestas.

15 Fecit CHRISTVS Dominus ipse Concilijs potestatem (quæ altera est clausula Constantiensium: *Cõcilium Generale faciens, & Ecclesiam repræsentans potestatem à* CHRISTO *immediatè habet*) fecit autem Petro, ac successuris superiorem, aliàs de inferiori nihil opus; sed oportuit per Saluatorem Ecclesiæ suæ sufficienter manere prouisum, ne deterioris sortis esset, quàm terrenæ Reipublicæ; possetq; vndè vndè suæ perditioni occurrere. Maximum vtiq; vastationi panditur ostium, quandò Principi vni licentia datur infrænis, quod nonnisi per communitatẽ obuiam euntem, obstrui potest. Iuxtà quæ S.Th.opusc. de Regim. Princ. & cum eo Politici tradidere, esse communitatis, à qua Rex per electionem creatur, eundem à Regno repellere; quandocunq; in graue Reipublicæ detrimentum potestate abutatur. Per electionem S. R. E. Cardinalium creatur Monarcha fidelibus; Nõ apparet, quì statìm ius saltem eligentium cesset, vt electi acta prohibeantur discutere; cum ab eadem caussa soleat effectus in conseruatione pendere, à qua prodijt in fieri primò.

16 Est alioquì in Euangelio meridie clarius, potestatem supremam reseruari Ecclesiæ synodaliter congregatæ. Seriò perpendatur illud: *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum, &c.* Vbi tandem vltimum iudicium, extremo morbo, extremum remedium adhibetur: *Dic Ecclesiæ; Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus; Amen dico vobis quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata in cælo, &*

quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta in cælo. Et quia tàm ex sequentibus, quàm ex præcedentibus verbis media declarari cōnsueuerunt, l. qui filiabus, l. si seruus plurium ff. de leg. 1. patet ibi sermonem fieri de Concilio, dum immediatè subtexitur: *Iterum dico vobis, quod si duo ex vobis consenserint super terram* (quasi à minori ad maius) *de omni re quamcunq; petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est; Vbi enim sunt duo, vel tres cōgregati in nomine meo, ibi sum in medio eorū*, Matt. 18.

17 Vberem verba singula præbent segetem argumentorum. Principiò, fratris nullius dissimulandum est crimen, nemine excepto correctionem fraternam alterutrum exercendam, in mandatis accipimus; Putasne Pontificem Maximum fratrem nostrum? vtiq;, si filius est vnicæ matris Ecclesiæ; si CHRISTO audit docenti: *Vnus est Pater vester, qui in cælis est*, Matt. 23. si nobiscum inuocat: *Pater noster, qui es in cælis*, Matt. 6. Nec nostræ fraternitatis dispudeat, quam non aspernabatur ipsum primariū caput Ecclesiæ CHRISTVS, post resurrectionis triumphum, dicens adhuc: *Ite nunciate fratribus meis*, Matt. 28. Et re vera Pontifex Max. fratres compellat Episcopos. Eundem peccati non viuere expertem, vtinam pluribus erubescendis antiquitatis exemplis, non esset facilè demonstratu, vt omnium parcatur honori.

18 Petrum reprehensibilem Paulus nō est reueritus; immò neq; Concilium, quod illum coegit reddere rationem coràm multitudinė, de suo ingressu ad Cornelium Centurionem gentilem: *Quarè introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis?* Act. 11. Non auditur respondere: quia sic visum mihi, cui vestrum est acquiescere, quid ad vos? verùm patienter, & modestè se se iustificauit, reuelationem cœlestem ordine exponens. Iterum in Hierosolymitano Concilio super legalibus: *Surgens Petrus dixit ad eos, &c.* Act. 15. assurrexisse, & stetisse reuerentiæ est index, non præsidentiæ in Concilio. Sed clariùs auctoritatem Petri super Concilium excludit; & quòd eius sit reprobata sententia, per multitudinem Iacobi di-

ctis assentientem, & quòd nomine Concilij sit facta rescriptio, tanquam Spiritus Sancti adsistentiam habentis solius, nulla Petri, velut capitis decernentis, commemoratione facta: *Placuit nobis collectis in vnum, &c. Visum est enim Spiritui Sancto, & nobis, &c.* Act. 15. Sicut & intimationem Concilij, non legimus à solo factam Petro, sed: *Conuocantes autem duodecim multitudinem dixerunt, &c.* Act. 5. &c.

19 Morigerus ipsi Concilio Petrus alibi habetur, missus in Samariam cum Ioanne. Eandem doctrinam idem Clementi successori reliquit in monitis, ipso Clem. referente, Ep. ad Iacobi *Si enim mundanalibus curis fueris occupatus, & te ipsum decipies, & eos qui te audiunt; non enim poteris ea, quæ ad salutē pertinent plenius quibuscunq; distinguere; & ex eo fiet, vt tu, tanquam qui non docueris, quæ ad salutem hominum pertinent, deponaris.* Quis dicit errantem non posse deponi Pontificem, cum Petrus pro sola negligentia hanc pęnam minitetur Clementi?

Iàm tacitè sit, qui respondeat, verba: *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* Simoni, & Pontifici Maximo dicta, quasi maiori in familia, minores fratres potenti corripere; hos tamen nihil posse in illum, veluti primogenitum, quàmuis etiam fratrem. Futilis euasio; nàm in Petri persona fideles omnes CHRISTVS alloquitur; ni existimes onus corrigēdi fratres solius esse Pontificis.

20 Deinde illa dicantur Petro (per me licet) saltem ipse despretus, pro fratre deferendo remittitur ad Ecclesiam, tanquàm hinc ea referatur sententia finalis, quam soli proferre Pontifici non licebat.

Do Gregorij testimoniū his reprehendentis Ioannem Constantinopolitanum, qui se vocabat vniuersalem. *Nos quidem in quibus, talis, tantaq; per ausum temerarium culpa committitur, seruamus quod præcepit veritas: Si peccauerit in te frater tuus, &c. Ego itaq; per responsales meos semel, & bis verbis humilibus, hoc quod in tota Ecclesia peccatur, corripere studui, per me scribo, quidquid humiliter facere debui non omisi; si in mea cor-*

rectione despiciat, restat, vt Ecclesiam habeam adhibere. Hæc Ep. 265. Non aliter Nicolaus PP. Regi Lothario fatur, c. præcipuè 11. q. 3. *Caue ne quando nobis secundum praeceptum Domini, duos, vel tres testes adhibeamus, immò verò, hoc Sanctæ Ecclesiæ dicamus;* Ecce Sanctorum Patrum, & Sacrorum Canonum interpretationem de recitatis Euangelij verbis, nimirùm post Papæ iudicium, Ecclesiæ supereſſe ſententiam; Hanc autem significare Concilium liquet, cum, vt exponit Albertus, nulli alij conuenire queat, niſi Eccleſiæ, ideſt Prælato, vel Synodo; Prælatum autem Papa ſuperiorem non habet; igitur ipſe nequit, niſi ad Concilium peccantem fratrem denunciare. Sed hoc parùm refert, ſit ne Concilium, an aliud; quod enim premit eſt, Papam ſuperius nullum tribunal cognoſcere, quod tamen ſunt Gregorius, & Nicolaus cum Euangelio faſſi.

21 Ad quorum aures, plures alij Pontifices Maximi ſummum auctoritatis adſcripſere generali Concilio. Hilarius, de firmitate cuiuſdam ſuæ Conſtitutionis ſollicitus, habet c. quodquis 35. q. 9. Quod vt deinceps poſſit illa tenaciùs cuſtodire, Sancta Synodus ſententiam, & propriam ſubſcriptionem accommodet, vt Synodali iudicio aditus recludatur illicitus. Eleutherius in c. quamuis 3 q 6. ideò, inquit, Epiſcoporum cauſſas ab Apoſtolica ſede definiendas; quia ſic ex Concilio ſancitum eſt, & Apoſtolis vniuerſis. Lucius, & Anacletus Eccleſias particulares, & epiſcopatus tradunt, nō à ſolius Petri, ſed ab Apoſtolici Collegij vniuerſi auctoritate diſtinctionem duxiſſe, c. vrbes 80. diſt. & c. prouidentiæ diſt. 99. Iulius in c. dudum 3. q. 6. Apoſtolorum, & Concilij dicit eſſe decretum, oportere præter ſententiam Romani Pōtificis Concilia celebrare. Symmachus in Concilio præſidens, vbi examinanda erat ſcriptura quædam, ſic incipiens: *Cum in Mausoleo, quod est apud B. Petrum Apostolum, resideret sublimis, & Eminentissimus* (tituli olim Præfecti Vrbis) *vir præfectus pratorio, atq; Patricius, agens etiam vices præcellentissimi Regis Odoacri Basilius, &c.* Qua contendebat idem Præfectus, electionem Romani Pontificis non ſine

se faciendam, dixit Pontif. *Ne verò ego idem disputem, vndè potest nostrum indicare Concilium; requiratur, & deferatur in medium, &c.* Vt c. benè 96. dist. Damasus, Ambrosio referente Ep. 12. sic Iudicibus scripsit deputatis à Synodo Capuana, in caussa Bonosi Episcopi: *Pro veritate, vel pro modestia nostram sententiam sciscitari voluistis, sed cum huiusmodi fuerit Concilij Capuensis iudicium, vt Bonoso, ac eius accusatoribus iudices tribuerent, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi, de eius factis agnoscerent, aduertimus, quod nobis iudicandi forma competere non possit.* Et infrà: *Vos enim totius Synodi vice discernitis, nos enim quasi de Synodi auctoritate iudicare non conuenit, vndè vestra normam expectamus sententia.*

22 Atq; ita Pontificibus Maximis cunctis profitendum, si meminerint, se tantùm Ecclesiasticæ potestatis esse Clauigeros; potestatem tamen, & claues ipsas esse Ecclesiæ; ex eodē Euangelico textu audientes multitudini, & Concilio dici: *Quæcunq; alligaueritis super terram, &c.* indefinitum signum: *Quæcunq;* Pontificem non eximit ab Ecclesiæ vinculis. Nolim reclames, immò hoc enunciatum Petro: *Quodcunq; ligaueris, &c.* eidem creditas claues Regni Cœlorum. Dictum insuper illimitatè: *Pasce oues meas*; quales esse non desinunt Patres in Concilio congregati, qui ab vniuersalis Pastoris soluantur obedientia. Etenim, sicuti de clauibus Augustinus, ait, tract. 50. ad c. 12. Ioan. relatus c. quodcunq. 24. q. 1. *Petrus quando claues accepit Ecclesiam Sanctam significauit*; ità de Pastoris officio idem asserit lib. de Agone Christiano: *Non sine caussa inter Apostolos, Ecclesia Catholicæ personam sustinet Petrus; huic enim Ecclesia claues datæ sunt, cum Petro datæ sunt; & cum ei dicitur, ad omnes dicitur, pasce oues meas.*

Sed absq; tot auctoritatibus, cur non ratiocinemur hoc pacto? Si claues, seu potestatem Ecclesiasticam dono receperit personaliter Petrus, ipso intereunte, fit de illis quoq; iactura. Vel quando successor illi creatur, claues ipse secum defert, quo nil absurdius, esset nanq; Pontifex ante electionem, vel passim de-

descenditat Angelus de cœlis, vnicuiq; electo Pontifici nouiter claues portans, quod itidem cachinno est dignum; habet ergò Ecclesia ipsa claues, quas in Pontificum interregno custodiat, futuro iterum Pontifici commendandas. Maior ergò viget Ecclesiastica potestas penès vniuersam Ecclesiam, per Concilium repræsentatam, in qua immediatè à CHRISTO recepta, nunquàm emoritur; quàm in Papa, qui eandem mediante Ecclesiæ electione recipit deserendam.

23 Deserendam inquam, non tàm naturalem ob mortem, quàm per legitimam abdicationem, nec enim inabdicabilem potestatem Papatus importat, aut characterem vllum indelebilem suprà Episcopatum infigit; ac proinde Pontifex nil est, nisi de Episcopis vnus, inter ipsos primus. An non sunt plurimæ leges, quæ ligant Episcopos omnes? An non subijciuntur singuli vniuersis synodaliter cōgregatis, tàm primus, & alter, quàm, tertius, quartus, & vltimus? quia inabdicabilis Papæ potestas non est, idcircò potest ei renunciare; Sponsam Ecclesiam repudiando, quod notatur 8. q. 1. c. si Petrus. Et de facto Sancti Pontifices repudiarunt, Clemens, Cyriacus, Marcellinus, & Cælestinus; Poterit pariformiter, ne nuptialis sit onerosus cōtractus, Sponsa Ecclesia Pontificem derelinquere, non modò impium, & immeritum, sed etiam alicuius potioris boni intuitu, non scelestum.

24 Nam de criminoso Pontifice, quòd ad Concilium accusari possit, docetur c. 5. si Papa 40. dist. vbi esto id solùm videatur concedi in casu hæresis, quatenus dicitur: *à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide deuius*. Gloss. tamen explicat, de quocunq; notorio crimine ibi: *Credo quòd si notorium est crimen eius, quandocunq; & inde scandalizatur Ecclesia, & incorrigibilis sit, quod inde possit accusari, nàm contumacia dicitur hæresis, vt 81. dist. c. Si qui Presbyteri, & contumax dicitur infidelis, vt 38. c. nullus. Hic tamen specialiter fit mentio de hæresi, idcò quia, & si occulta esset hæresis, de illa posset accusari; sed de alio occulto crimine non posset.*

Consona quidem rationi expositio; vbi enim reperitur in scripturis, à Domino concessam Ecclesię potestatem suprà Papam, maiorem in crimine infidelitatis, quàm alio quouis, ex quo pernicies aduentaret Ecclesiæ? ille sanè nihil excipiens protulit Discipulorum coetui, vt ostendimus: *Quæcunq; alligaueritis, &c.* Deinde si Cōcilium de Papa hæretico iudicat grauissimè sonti, poterit melius de leuioris criminis reo; qui enim potest maius, idem valet & minus c. ex parte extrà de decim.

25 Non videtur incongruum, quòd si Papa in quacunq; lethali noxa, subijcitur etiam ipse iurisdictioni sacramentali fori interni suo confessario, vbi tamen de sola ipsius agitur anima: subdatur nil minùs totius Ecclesiæ iurisdictioni forensi, prò scandalo vniuersali tollendo, in multarum animarum salutem, & rectum Christianæ Reipublicæ regimen. Nec dubites eius prærogatiuis quidquam hinc derogari; quotiescunq; enim audis Pontificem omnibus præesse, supremam sedem à nemine iudicari, & huiusmodi, de particularis personæ humanæ intellige iudicio, in quo sensu verissimum confitendum, Pontificem non attingendum, omnibus, idest singulis, supereminere fidelibus: At non Concilio, quod neq; persona est, neq; eius iudicium humanum, sed cælitùs inspiratum, vt Gregorius affirmat c. sicut 15. dist. *Sicut Sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia venerari me fateor, quia in his, velut in quadrato lapide Sanctæ fidei structura consurgit.*

26 Sententiæ Romani Pontificis, non examinarentur à Concilij Patribus, si ijs irrefragabiliter standum foret; nec Synodus earum esse posset correctiua; sicut examinatæ sunt in Chalcedonensi, depositio Patriarchæ Alexandrini Dioscori, facta per Leonem Papam; in octaua Synodo sententia lata per Nicolaum, & Adrianum in Phocium Constantinopolitanum: & in Constantinopolitano Concilio deiectio Pirrhi, & Sergij per Martinum. Rei non ignarus Augustinus de sententia, per Melchiadem cum Episcopis aliquot lata, in Cæcilianum, ità scribit ad Glorium, & Eleusium Ep. 162. *Ecce putemus illos Epi-*

ſcopos, qui Romæ iudicauerunt (quos inter Papa Melchiades) *non bonos iudices fuiſſe. reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ vniuerſæ Concilium, vbi etiam cum ipſis iudicibus cauſſa poſſet agitari, vt ſi malè iudicaſſe conuicti eſſent, eorum ſententiæ ſoluerentur.* Idem ac expreſsè teſtari, non modò à Papæ ſententijs, ſed & prouincialis Concilij cum eo dari appellationem ad generale Concilium, tanquam ad ſuperius Tribunal, & lib. 2. contrà Donatiſtas c. 1. concordans aliud habet teſtimonium, relatum c. puto 2. q. 7. *Cum Petrus à Paulo poſteriore corrigitur, & pacis, atq; vnitatis vinculo cuſtodito ad martyrium promouetur, quantò faciliùs, & fortiùs, quod per vniuerſæ Eccleſiæ ſtatuta firmatum eſt, vel vnius Epiſcopi auctoritati, vel vnius Prouinciæ Concilio præferendum eſt?* Omiſſa hic ſuperiùs cõſiderata correctione Pauli ad Petrum, animaduerſione dignum eſt, quòd à facto Petri arguat Auguſtinus, veluti à minori ad maius, ad determinationes vniuerſalis Eccleſiæ.

27 Duo addantur exempla è multis, alterum Symmachi Papæ de quo Gratianus 2. q. 7. *Symmachus Papa in Romana Synodo dignitate ſua ſpoliatus, priùs ſtatui priſtino reſtitui diſcernitur, & tunc venire ad cauſſam; & ſi ità rectè videretur accuſantium propoſitionibus reſponderet, digna res viſa eſt maximo numero Sacerdotum, ac meretur effectum; ſed cum poſtmodùm ordinaretur quomodò eſſet accuſandus, præfatus Papa, vt cauſſam diceret occurrebat, ſed ab æmulis eſt impeditus.* Alterum Anaſtaſij de quo diſt. 19. c. Anaſt. *Eodem tempore multi Clerici, & Presbyteri ſe a communione ipſius abegerunt, quod communicaſſet ſine Concilio Epiſcoporum, vel Presbyterorum, & Cleri cunctæ Eccleſiæ Catholicæ, Diacono Theſſalonicenſi nomine Photino, qui communicauerat Achatio, & quia voluit occultè reuocare Achatium, & non potuit, nutu Diuino percuſſus eſt.* Ergòne prohibeatur Pontifex Maximus, cum hæreticis communicare, abſq; participatione Concilij? non valeat ipſe ſolus illos abſoluere? ità; quia vt habet Gloſſa eo cap. in verbo Concilio: *Vbi de fide agitur, tunc Synodus maior eſt Papa* vt 15. diſt. c. ſicut argumento ad hoc 93.

dist.c.legimus, adde c.habeo librum 16.dist.vbi dicitur, quòd aduersus quosdam hæreticos: *Oportebat vt Synodus vniuersalis canones Ecclesiasticos promulgaret*. Verbum *oportebat*: vtiq; eam necessitatem importat, quæ per solum non posset suppleri Pontificem.

28 Et quis non cernat duo hæc inter se pugnare, & quòd Concilium posit de fide Papæ inquirere, seu iudicare, ità vt inuentum hæreticum queat deponere; & deinde regulam fidei, & credendorum esse à Papa sumẽdam? Nunquam hæreticus hic posset deprehendi, aut damnari; quia quodcunq; crediderit, dicturus est semper sic oportet credi ab omnibus, vos potiùs accomodamini mihi, quàm ego Ecclesiæ vniuersæ. Indeq; fieret, vt in alijs omnibus liceret ei impunè Christianam Rempublicam pessumpremere, fasq;, nefasq; confundendo. Dicatur amabò: Si Papa, vitam, vxorem, aut rem alicuius priuati ciuis conetur inuadere; nonne licebit cum moderamine inculpatæ tutelæ, vitam, honorem, & rem defendere, & in Sicarium, Mæchum, raptoremue insurgere? Si hæc ità; cur spiritualem incolumitatem publicam, vndequaq; æstimabiliorem eodem pretio nefas erit redimere? Saltem insimulatus criminis tenetur Pontifex se se iustificare coràm Ecclesia; nam qui scandalum vitare tenetur, multò ampliùs habet comprimere suscitatũ; iàm hinc superioritas Concilij habetur in Papam; non enim purgatio coràm inferiori fit iudice.

29 Ecce quantùm addatur fulciminis Concilij Constantiensis decretis relatis, quæ subsequens Basileensis Synodus est amplexata, Act.2.& 18.atq; antecedens priùs indicarat Constantinopolitana octaua pronuncians: *Si Synodus vniuersalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de Sancta Romana Ecclesia quauis ambiguitas, & controuersia; oportet venerabiliter, & cum conuenienti reuerentia de proposita quæstione suscitari, & solutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen sententiam audacter dare, contrà Summos seniores Pontifices.* Quasi modestè sententiam liceat ferre. Aliorum Conciliorum de-

creta prætermittuntur, tanquam suspectæ fidei, dum pro domo sua videntur orare.

30 Loquatur pro eis scriptura, vbilibet Concilium super quocunq; Iudicio singularis Iudicis relinquens adhuc, vt Psal. 1. *Non resurgent impij in iudicio, neq; peccatores in Concilio Iustorum*; idest nec vlterior ad Concilium proderit appellatio, & Matt. 5. *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio, qui autem dixerit fratri suo raka, reus erit Concilio: qui autem dixerit fatue, reus erit gehenna ignis.* Tanquam Concilij sententia sit in terris suprema, cui non supersit nisi æternale iudicium. Videtur tandem dubitatione indignum, quin multorum Patrum vni sit auctoritas præponenda: *Si auctoritas quæritur, orbis maior est Vrbe; vbicunq; fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, siue Alexandriæ, siue Thebis, siue Vuormatiæ, eiusdem meriti est.* Hieron. ad Euagr. relatus c. 24. §. si auctoritas 93. dist. Roma itaq; non adeò suum efferat Episcopum, cuius auctoritate maior est ex orbe vniuerso Congregatorum Præsulum Synodalis Maiestas.

31 Hucusq; procedunt, quæ Concilij caussam, aduersus Pontificem Maximum, roborare videntur. At verò incipientes vela dare retrorsum; tutiori vt incedamus via, statim comperimus, non absq; graui sacrarum scripturarum iniuria, supremam Ecclesiasticam potestatem suprà Pontificem in Concilio collocari; alioquin nostro arbitrio protinus Ecclesiam fingimus Democraticam, & Monarchicam, vt Ioannes in Apoc. edocuit, ad exemplar Beatæ Hierusalem de Cœlo descendentem, vbi Deus vnus imperat, Angelorum, & Cœlituum trementibus Choris.

32 Terrena fateor Regna, quorum potestas ab hominum vniuersitate processit ius aliquale, apud eandem vniuersitatē conseruant, iniqui imperij repetundi. Graue non est, vt quæ totum dedit communitas, potestatis sibi aliquid reseruarit. Ecclesiastica non ità Respublica; ipsa enim ex se nil potestatis habens spiritualis, ac supernaturalis, per Monarcham regitur, qui

potestatem suam soli CHRISTO supernaturaliter debet acceptam; de qua sicut nihil communitas contulit, ità aliquid nequit repetere. Discrimen ab ipso Domino traditur: *Reges Gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur; vos autem non sic*. Idest, super vos nemo inter homines potestatem habet, quia nemo beneficus vestram vobis contulit dignitatem.

33 Sacræ singulę similitudines consonant, pro Ecclesiastico regno vsurpatæ: Ouile dicitur, Ioan. 10. Sponsa, & Corpus, Eph. 5. & 4. familia, Matt. 24. Quæ enim familia possit aduersus Patrem, vel nequissimum? quid iuris Corpori in Animam competit? Vxori in virum, quæ auctoritas? aut pascuæ in Pastorem? Sicuti enim à corpore virtus animæ non dependet, à Muliere Mariti potestas, Patris à familia, Opilionis à Grege, sed vice versa Pastor sibi gregem acquirit, non iste Pastorem: ità Ecclesia non fecit te CHRISTE Regem, sed ipse: *Fecisti nos Deo nostro regnum*, Apoc. 4.

34 Vniuersa quæcunq; est in Ecclesia potestas à Redemptore procedit; si ipse aliquid communitati fidelium impenderit, hoc habeat; sed quanam ex traditione, aut scriptura ostendis mihi aliquid facultatis à CHRISTO Domino Ecclesiæ vniuersæ collatum, quod non itidem concessum fuerit Petro? Nam vt darémus quidquid exoptare aduersarij sciant; nempè allata Matt. 18. *Quæcunq; alligaueritis, &c.* importasse potestatem iurisdictionis in collegio Apostolorum vniuerso collectiuè; non autem ordinis, ac singulis seorsim Apostolis exercendam; eadem etiam Petro specialiter, præcisè ab alijs vocato sunt dicta: *Tibi dabo claues regni Cælorum, quodcunq; ligaueris super terram, &c. Pasce oues meas*. Quarè, vt summum, nil aliud euinceretur, quàm Concilium esse Pontifici par, ex quo nulla illi in hunc potestas emergit; quia par in parem non habet imperiũ, l. nam Magistratus ff. de arbit. c. innotuit de electione.

35 Verùm aliquid amplius pro veritate cõtendimus; Ecclesiam ac Synodum omnem, prout Pontif. Maximum excludit, eiq; ex

ex aduerso statuitur, nulligena potestate pollere; Sin autem illi tanquam Capiti coniungatur, per omnia subesse, & quidquid possit, per illius sibi participari influxum. Nec paries, nec contignatio, aut pars vlla ad domum pertinet, sed ad ruinam, statim ac fatiscens, fundamentis cernitur nõ cohærere. Quòcunq; vertar fundamentum Ecclesiæ non inuenio, præter Summum Pontificem, cui in Petri persona Dominus significauit: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, Matt. 6. An hic etiam Petrum nomine Ecclesię allocutum comminisceris? libenter darem, si Ecclesiam fundari super Ecclesiam, non esset irridenda locutio, aut per Petram fundamentalem intelliges fidem, & confessionem Diuinitatis, quam Saluator mox à Petro retulerat? ineptiùs: quæ .n. relatio, aut illatio inter hæc disparata; Tu es Petrus, & super hanc aliam rem, hoc est fidem erit ædificium meum?

Posset non minùs Membrorum Respublica Caput proijcere, si Ecclesia, quæ CHRISTI inuisibilis capitis corpus est integra, & in viuifico suo robore permaneret, à suo visibili capite separata Romano Pontifice.

36 Ampliùs, Concilium ipsum Constantiense damnat articulum Vuiclephi, statuentis Pontificem Romanum non esse immediatum CHRISTI Vicarium; si igitur de fide credendum, successores Petri vices CHRISTI tenere in Ecclesia, eo modo præsidere habent, quo ipse præsedit; audebit quisquam, Cõcilium, aut Ecclesiam superiorem facere CHRISTO suo Conditori, Capiti, & Sponso? Si vt Leo habet ser. 3. de assumpt. *Omnes propriè regit Petrus, quos principaliter regit, &* CHRISTVS. Vel dicendum est Ecclesiam synodaliter congregatam à CHRISTO non regi, aut simul etiam ab eius visibili pendere Vicario; aut qui protulit Petro: *Pasce oues meas*, Fideles excepisse in Concilio congregatos, aut hos desinere esse de illius ouili; quasi Pastor singulas ouium dirigens, vniuerso non præesset simul collecto Gregi. Nec dum percipio quale obtendatur discrimen, inter præesse vniuersis Ecclesijs, ac Ecclesiæ vniuersæ.

37 Augustinus ait: *Cum Petro dicitur, ad omnes dicitur, Pasce oues meas.* Quid intelligis verbo, *omnes?* An etiam ad Veteramentarium, & Sutorem, omnesq; fideles regimen Animarum committi, & Sanctæ Ecclesiæ moderamen? an verò potestatem regundæ Ecclesiæ non dari, nisi totæ collectæ simul fidelium communitati? Itaq; secundum te nullus Pastor; quia Grex se ipsum regit, solùm grandiuscula quædam ouis Romanus est Pontifex. Duc me ad istud tribunal, in quo vniuersa resideat Ecclesia, potestatem habens regendi vniuersam Ecclesiam. Ad omnes quidem dicitur: *Pasce oues meas.* Quibus Animarum cura committitur, partialiter singuli suas curēt; & etiam principaliter ad omnes dicitur, Petri videlicet successores, nec enim soli Petro dicta sunt, quatenùs ipso functo Ecclesia superstes esset acephala.

38 Eodem sensu cum Augustino dicendum, Ecclesiam vniuersam recepisse claues, accipiente Petro; quia ab hoc Capite potestas clauium, per inferiores Ecclesiæ potestates, erat partialiter diffundenda; licèt formaliter claues ipsas solus Petrus pro se, & successoribus conquisiuerit. Planè cum dixisset Dominus Simoni: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Non continuatur locutio, & illi dabo claues, &c. Sed ad Petrum sermo reuertitur: *Et tibi dabo claues regni Cælorum.* Quod quia ad omnes successores dictum, vi huius primæ institutionis, cuicunq; creato Pōtifici Maximo cadūt in manus Claues à CHRISTO, qui interim sede vacante custodiebat depositas; permanente solùm pro tunc in Ecclesia earum vsu, qui ab inferioribus potestatibus participatur; Nec opus est, vt passim Angelum fatigemus clauium delatorem.

39 Onus ouium pascundarum, indubitatum relinquit scriptura, illi esse commissum, qui plus cæteris Dominum dilexisset, hac præcedente interrogatione: *Simon Ioannis diligis me plus his? Pasce oues meas;* Quod quæsitum nullatenus ad Ecclesiam vniuersam pertinere potest, ad quos .n. fit comparatio? ad alios ex-

extrà Ecclesiam, qui charitatem non habent? an ad aliquos ex Ecclesia seorsim sumptos, quos cum totius Ecclesiæ dilectione comparare esset insanum? Rectè dicitur Petrus, claues suscipiens, figuram gessisse totius Ecclesiæ; si historicè, & vero facto intelligatur, non verò allegoricè per parabolam. Abraham, esto figurauerit Deum, duplicis populi patrem, non ideò filijs duobus veris caruit, quia figura istiusmodi erat ad literam, & historica; Ità Petrus quàmuis figurauerit Ecclesiæ potestatem in accipiendo claues; verè nihilominus eas ipse recepit. Addam, meritò Ecclesiam vniuersam repræsentari in facto sui Principis, quia nobilissima pars pro toto accipitur, & 9. Ethic. dicitur: *Ciuitas est id quod principalissimum est in ea.*

40 Diuinæ dispositio sapientiæ, non minus elucet in spirituali, quàm in materiali mundo, in gratiæ, quàm in naturæ constitutione. At in naturalibus caussis, neq; in infinitum progressio, neq; retrogradatio admittitur, sed omnia ad vnum supremum mouens ordinantur immotum. Sub Empyrei gremio, & influxu omnia continentur, in quod nullum horum vicissim aliquid operatur; ergò & in Ecclesiastico mundo supremum nostrum Empyreum illud erit vltimum influens, ad quod vnitas concinnetur vniuersorum cum omni ordinata multitudine sit in aliquo sistendum, suprà quod non sit aliud.

41 Petrus ipse priuilegium indefectibilis fidei est Dominicis precibus consecutus, quò fratribus reliquis foret fulcimini. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*, Luc. 22. In lege Moysis (ad eam quandoquidem prouocamur) infallibilitatem Diuinæ assistentiæ soli Pontifici Maximo olim non dubito reseruatam; esto .n. pluraliter diceretur iudicandam iudicij veritatem à Sacerdotibus Leuitici generis, qui præessent in loco, quem Dominus elegisset; singulariter immediatè concluditur: *Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, morte moriatur homo ille.* Neq; de singulis vrbibus Israel conuocabantur Sacerdotes ad Generale Concilium, pro recipienda ambigui Iudicij veritate

determinata, verùm qui in loco, à Domino electo Summo Pótifici assidebant, consultores adhibebantur; ità tamen vt robur decreti, ex hoc vno procederet. Ad vnguem res accidit in Ecclesia; Si difficile aliquid, & ambiguum exortum fuerit, adeundus locus, quem elegit Dominus, Romana scilicet Curia, quam Diuinitus electam sedem in Ecclesia supremam, alibi demonstratum. Sacerdotes hic habes iudicaturos iudicij veritatem, Sacrarum Congregationum, quibus Christiana Respublica regitur Cardinales Eminentissimos; quorum tamen nulla auctoritas, nisi quatenus à supremo ibi residente procedit Pontifice.

42 Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine Domini, medius ipse interest certè; at non eiusmodi est adsistentia, quæ infallibiliter ad vniuersæ Ecclesiæ regimen pertineat; hanc etiam Monachorum psallentium chorus habet, in nomine Iesv concinens; eadem piè conuenientibus mulieribus est communis, ad quas nihil de gubernatione Ecclesiæ. Secùs plus consequentiæ, quàm velis, ex inde deduceres; nempè quod duorum, aut trium virorum pius conuentus satis esset ad iudicandum de Pont. de fide, de moribus in Ecclesia decernendum; Haberet quippe eandem adsistentiam Spiritus Sancti, quam sexcentenarius coetus, & Concilium vniuersale, licet hoc congruentiùs; duo enim, vel tres sufficiunt, quotquot deinde plures accedunt, sunt ad exuperantiam. Nihil ergò opitulatur textus ille Mattæi adsistentiæ gubernatiuæ Spiritus Sancti in Generali Concilio.

43 Quo etiam dato, hoc vellem à te probari, quod Concilium absq; obedientia sui Capitis, & Christi Vicarij, sit in nomine Domini congregatum, quod requirit Dominus adstiturus. In nomine alicuius aliquid gerere phrasis est sacra, pro potestate alicuius vsurpata frequenter. *In nomine meo Dæmonia ejcient. In nomine tuo prophetauimus, &c.* Scilicet in virtute; & hic sit sensus oportet, si præsentiam, hoc loco præmissam, ad Ecclesiasticum transferas regimen ordinatam; ibi enim debet

bet esse potestas Diuina, vbi de regno Dei Ecclesia decernendum; Cum autem nihil à Domino retulerit potestatis Ecclesia vniuersa, vtpotè nulli vsui futurum: sed quidquid dedit CHRISTVS Apostolis dederit ab vnoquoq; sigillatim, absq; omnium conuentu, peragibile, reliquum superest, vt tunc fideles *in nomine*, idest potestate Domini congregentur solummodò, quando Apostolico nutu fuerint conuocati.

44 Adsum insurgenti, immò datam Ecclesiæ potestatem ibi: *Si peccauerit in te frater tuus, &c. Dic Ecclesiæ.* Duo hic distinguo mandari, & priuatam admonitionem præuiam, & subsequentem denunciationem ad superiores; primi capax est Summus Pontifex, quia frater & ipse, atq; ità se gessit Paulus in Petrum; posterius in eodem, locum non obtinet, quia maior frater, & Princeps iurisdictioni nullius subiectus. Hæc D. Th. docet in 4. dist. 19. *Quàmuis prælati sint corripiendi à subditis, non tamen est eis pœna infligenda, sed recurrendum est ad Superiorem denunciando; vel si non habent superiorem ad Deum, vt eum emendet, aut de medio tollat.* Talis cum sit Vicarius CHRISTI in terris, superioris nescius infrà ipsum Deum, nimiò angeris de incolumitate Ecclesiæ, ne per iniquum Pastorem discerpatur impunè; illi curam desine, qui sic suum regnum sibi constituit, vt velit ipse super suos Vicarios intẽdere, quod ait Ezech. 34. *Ecce ego ipse super Pastores requiram Gregem meum de manu eorum, & cessare eos faciam, vt vltrà non pascant Gregem.*

45 Notanda Euangelica parabola: *Quis putas est fidelis dispensator, & prudens quem constituit Dominus super familiam suam?* (idest Ecclesiam, vt subijcit interlinearis) *Si dixerit seruus ille in corde suo, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere pueros, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari. Veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua nescit, & diuidet eum, &c.* Quarè familia vniuersa, & multitudo seruorum aduersùs Præpositi insanam duriciem non insurgat, sed patienter vapulet? quia venturum ad vlciscendum expectat Dominum, cuius est iudicium super Oeconomum à se imme-

diatè suæ familiæ constitutum. De quo Symmachus c.aliorum 9.q.3. *Aliorum hominum caussas Deus voluit per homines terminari; sed sedis istius Præsulem suo sine quæstione reseruauit arbitrio; voluit B. Petri Apostoli successores cælo tantùm debere innocentiam*. Et Anacletus dist. 79. *Electionem Summorum Pontificum sibi Deus reseruauit, licet electionem eorum bonis Sacerdotibus, & spiritualibus populis concessisset*. Sunt hæc quidem decreta Pontificum; sed quæ in Ecclesia non imparem Conciliorum decretis sortiantur auctoritatem. Ex Gratiano dist.20. *Decretales*, dicente, *itàq; Epistolæ canonibus Conciliorum pari iure exæquantur*. Immeritò ægrè feremus Pont.Max. quocunq; humano iudicio esse solutum; cum Regibus etiam supremis, in eorum ditionibus id concedatur, vt inappellabiliter dictent sententias? inde Glossa ad illud Dauid: *Tibi soli peccaui*, notat: *Quia Rex est omnibus superior, ideò à Deo tantum, qui est maior eo, puniendus est*.

46 In omnium ore illud est Synodi Sinuessanæ, quæ in caussa Marcellini renuit proferre sententiam; Allegans quòd: *Prima sedes à nemine iudicatur*, c.nunc autem 21.dist. nec ignotior est definitio in Concilio Rom. sub Siluestro: *Nemo iudicabit primam sedem, quoniam omnes à prima sede iustitiã desiderant temperari, quoniam nec ab omni clero, nec ab omni populo iudex iudicabitur*. Duo hæc præ cæteris, afferuntur aliorum Conciliorum testimonijs, tanquàm euidentissimè refellentia subterfugium adinuentum, quòd locutiones prohibentes iudicare de Papa, in quibus hæc signa fuerint, omnis, nullus, nemo, &c. distributìm veniant non collectìm; quid clariùs exigatur: *Nec ab omni clero, nec ab omni populo?* Nomina hæc sunt collectionem solùm significantia, quandoquidem neq; hic, neq; ille sigillatìm clericus, aut sæcularis, Clerus est, vel Populus; Synodus præthereà Sinuessana nõ fuisset locuta ad rem, dum de Pontifice renuisset iudicare; eo quòd nemini sigillatìm id esset licitum, sibi autem, & cuicunq; Concilio maximè.

47 Vt etiam supino huic errori conniueremus, quòd post fra-

 ter-

ternam correctionem, etiam ſequi poſſet Pontificis, nō emendantis denunciatio; ſicuti mandatur inter nos cæteros minores fratres ad inuicem; quid tu tandem? *Dic Eccleſia.* Nomine Eccleſiæ intelligis vniuerſitatem fidelium, aut generale Concilium? Ergòne quoties in me peccans correptus, nil emendaueris, tenear ad omnes mundi plagas dimittere tabellarios, vniuerſos Epiſcopos, Eccleſiam omnem de tuo crimine multiplicatis curſoribus certiorare? an expectabo Eccleſiæ vniuerſæ nunquàm, aut per quàm rarò futurum cōuentum? per me pecces, repecces, ſurdeſcas, ſordeſcas, marceſcas, ad impoſſibile minimè teneor. Iugum Dominicæ legis ſuaue eſt: *Mandata eius grauia non ſunt,* Ioan. 5.

Si fraterna correctio cadit ſub præceptum, vt eſt Theologorum conſenſus; quì eam tantæ impoſſibilitatis credam; vt mulieres etiam non obliget fideles, ad Concilium circumcurſitare quotidiè, de ſororum criminibus delatrices, homines pios, vltrò, citròq; ire, & redire ad deferendos peccantes? ah fallor; Non redirent, nec irent, ſed ſemper in eodem loco omnes aſſiſterent, ab alijs negocijs feriantes, de ſolis criminibus diſceptantes, quia ſinguli ſunt partes eius Chriſtianæ Reipublicæ, quæ vniuerſa delationes fraternorum criminum debet audire; Putas ne locus caperet Vallis Ioſaphat, cum reliquus Chriſtianus Orbis eſſet vacuus relinquendus? putas ne deeſſent huic tribunali cauſſæ cognoſcendæ? cum tamen ante, credo, incuſatus quiſq; obiret, quàm in tanto ſynedrio per vniuſcuiuſq; aures denunciatio tranſiſſet.

48 Conſultius eſt, vt adeamus Generale Concilium aliquod, in quo virtualiter ſit vniuerſa Eccleſia repræſentata, quatenùs, & ſi omnes non conueniant, nullus attamen excludatur. Nactus es rem. Sed à Tridentino vſq; modò, & amodò, vſq; ad aliud quando quando futurum generale Concilium, à præcepto ne corrigundi fratris eximimur? aut quotquot interim deceſſerunt, atq; decedent, rei maneant inſoluti mandati? tertio ſæculo poſt CHRISTI tempora primum Concilium Generale

Niceæ celebratum eſt, ſuadente Conſtantino Magno aduerſus Arrium, c.canones diſt.15.bene CHRISTVS Dominus,& Apoſtoli Generale Concilium non curarunt fieri, ſi euangelicum præceptum abſq;eo nequit impleri?primæua illa Eccleſiæ clariſſima lumina, tot SS.Patres, heù, hoc crimine ſint damnandi, incorrecti, ſeu indenunciati fratris.

49 Et tu Petre, ſiccine in Ananiam, & Sapphiram, atq; Simonem Magum ſententiam præcipitas in concilio non auditos? de Concilio Generali à Magiſtro, inquiet, IESV nihil audiui; Vnum ſcio, mihi traditas claues Regni Cœlorum, quodcunq; ipſe ligauerim ſuper terram,ligandum pariter & in Cœlis;Ego paſcere Dominicas oues omnes ſum conſtitutus.

Conuocarunt aliquãdo Apoſtoli multitudinem,vt in Concilio Hieroſolymitano de legalibus; ſed, vt ſummum, Synodus erat prouincialis, quæ in circuitu ſolius Hieruſalem habuit conſultores; nec enim ad alios fideles, qui erant Antiochiæ, quorum cauſſa fiebat Concilium, miſſus eſt nuncius, aut ad alias remotiores partes, qui de vniuerſa Eccleſia generale Cõcilium conuocaret.

Surrexit quidem Petrus ſententiam dicturus; ſed qui ſcias, an debitæ reuerentiæ ergò, vel modeſtiæ potius voluntariæ? An vt melius audiretur, & aſpiceretur ab omnibus? Obſeruò in primo cõuentu multitudinis,pro electione duodecimi Apoſtoli in locum Iudæ, quòd *Exurgens Petrus in medio diſcipulorum dixit (erat autem turba hominum ſimul ferè centum viginti) Viri fratres oportet, &c.* Oportet? cur non ait, ſi vobis viſum fuerit, conſiderate, diſcutite? Ad Concilium venerunt, cauſſa iam definita, ſolus Petrus quid neceſſariò faciendum eſſet ipſe decreuit; Ad aliud omne fuit turba vocata, præterquam ad definiendum.

50 Argumento, Concilijs Generalibus nihil eſſe opus in Eccleſia,ſi ad neceſſitatem ſimpliciter ſermonem referas.Sola Cathedra Petri ſufficienter habet afflamina Spiritus Sancti,neceſſaria ad edocendos, & dirigendos fideles, inter quos plures

ſunt particulares Eccleſiaſticæ poteſtates, ſingulis Animarum Paſtoribus participatæ, pro diuerſitate graduum effluente ab ipſo Rom. Antiſtite, ceù à fonte in riuos. Communitas autem, ſeu Eccleſię totius, ſeu Concilij vniuerſalis, nihil, neq; à CHRISTO Domino, neq; ab eius Vicario obtinet poteſtatis; vtpotè incapax ſupremæ Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis, quæ non poteſt eſſe niſi Monarchica. Emortua ſunt Concilia, quoad efficaciam, & robur, quibus Pontifex Maximus vltima approbatione non inſpirauerit vitam.

Perutilia nihilominus multipliciter Generalia Concilia fateor; nec fruſtrà per plura facimus, quod Aequè benè per ſolum Pont. Max. (ſaltem quoad modum, ſi non quoad ſubſtantiam) non poſſet fieri. Multa Dominus ipſe pro Eccleſia regenda conſtituit; multa humanæ dereliquit prudentiæ, quam à ſuis adminiſtris haud excluſit; huiuſmodi ſaluberrimum adinuentum humanum ad bene eſſe Eccleſiæ, eſt Generale Concilium. Temerè Deum tentat, quidquid, noſtra prætermiſſa induſtria, in Dei ope ſiſi reſoluimus. Vt ergò Pontificis eſt, non ſola Diuini numinis aſſiſtentia fretum, inconſultò ad grauia decreta irrumpere, ſic & laudabile eſt, vbi præſertim de fide, & moribus Eccleſiaſticis fuerit quæſtio, multorum audire ſententias, & quia norma Eccleſiaſticarum definitionum, traditiones ſunt Apoſtolicæ, proficuum fuerit obſeruare à collectis vndiq; Epiſcopis, quidquid in vnaquaq; Eccleſia ſit diù receptum. Hoc erit Hæreſum pericula anteuertere, ſi nil definiatur, donec, re exactè diſcuſſa, Patres concordent. Via hæc eſt compēdiaria exortas hæreſes ſarciendi in Catholicam vnitatem, quando in Concilijs vtrinq; adeò ſit diſputatum, vt veritas de falſitate triumphet. Sic Iſodorus in c. Canones diſt. 15. *Chriſtianitas*, ait, *in diuerſas hareſes ſciſſa eſt, quia non erat eis licentia conueniendi in vnum, niſi tempore ſupradicti Imperatoris*, Videlicet Conſtantini.

Inde etiam Diuina fides apud infirmiores humana credibilitate iuuatur; quatenus, quod à plurimis ſapientibus eſt iudi-

catum, moraliter quoq; præsumatur non fallere. Ad Hæreticorum duplicem cõfusionem nostra Oecumenica prosunt Concilia, nàm præter hæreses redargutas, ex nostra etiam concordia confunduntur. Inter signa enim veræ Romanæ Ecclesiæ computatur, quòd in tot vniuersalibus Synodis de nostra fide conuenerit; cum neq; Lutheristæ, neq; Caluinistæ, aut alij Nouatores ostendere valeant, se vsq; nunc, vel in vnico Conciliabulo vnanimiter consedisse.

51 Tandem si Romanus Põtifex à fide posset exorbitare, Concilium vniuersale rem habet inquirere, & in ipsum (vt infrà) procedere. Sin verò peruersus sit moribus, poterit etiam vtiliter à Patribus admoneri; non tamen audacter in ipsum sententia ferri, vt aiebat Concilium Chalcedonense pro nobis citatum. Pro schismatis extirpatione, quando certus Papa non bene dignoscitur, vnicum confugium est ad Concilium.

Quod tamen præter Pontificis certi electionem, vel determinationem, omne aliud decernit in irritum, nisi electi Pontificis subsequens approbatio imprimat firmitatem, quam Concilia legitima singula expetijsse non latet. Sed potissimum illud vnum sufficiat retulisse Constantiense, de quo facessebat negotium; quòd ab electo Martino V. humiliter confirmari sua acta quæsiuit; Manifestum, non fuisse decretum Concilij completi; quòd illa Sancta Synodus auctoritatem immediatè haberet à Deo, cui Pontifex etiam Maximus obedire teneretur. Quorsum firmitatem omnem suorum decretorum à subdito emendicare? cur magis à Romano Episcopo, quàm Cremonensi, aut alio, si omnes æquè subijcit sibi Concilium? Certè præfatum articulum Martinus non approbauit, reprobans Vuiclephi assertum: ***Quòd Petrus non est, nec fuit Caput Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ***; mandans insuper suspectos de hac hæresi per Prælatos inquiri: ***Vtrum credant quòd Papa canonicè electus, qui pro tempore fuit, eius proprio nomine expresso, sit successor B. Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei.*** Hæc in bulla Approbationis dicti Martini.

52 Recipimus itaq; Conc. Const. quoad interuenientibus Cardinalibus certum creauit Pontificem Martinum, ex tribus de Pontificatu certantibus, vno non cedente Petro de Luna, dicto in sua obedientia Benedicto XIII. Duo alij iurè Papatus sponte renunciarunt, Balthassar Cossius, & Angelus Corarius, ille Iohannis XXIII. hic Gregorij XII. nomine nuncupati; Sed & ipse Clemens VIII. Successor Petri Lunij, aut deficiente obedientia sua, nihilominùs Pseudopontifex tricenarius vixit (vt vel ex tanta diuturnitate, verus Petri successor probaretur non esse) Martino V. vero Pontifici cessit, vt proinde legitimã Pontificum lineam habeamus ab ipso fluentem, quidquid fuisset de legitimitate Concilij.

Quod nemini dubium est tria habuisse tempora; Principium scilicet, cui aderant soli Patres de obedientia Ioannis, quando conditum est arrogans illud decretum, si eiusmodi sit, quod Summum Pontificem absolutè subigere intendat sibi, & futuris Concilijs; quæ nec videtur mens eorum Patrum in subiectæ materiei casu loquentem, de eo tantum Concilio, ad extirpationem schismatis celebrato, cum de vero Pontifice non constaret; ac propterea nullus in casu schismatis dici potest existere Summus Pontifex; Nam quid non apparere, & non esse pro eodem habentur in iure, l. duo sunt Titij ff. de testam. tut. l. in lege fundi ff. de contra. empt. Neq; nos contrariamur concedentibus Concilio facultatem discernendi inter plures de Pontificatu ambiguos, id quippè clarè habetur, c. si duo 79. dist. ità loquitur Constantiensis Canon: *Hæc Sancta Synodus Constantiensis Generale Concilium faciens, pro extirpatione præsentis schismatis, &c.* dumq; suæ auctoritati subesse quenq; indicit, etiam si Papalis dignitatis existat; sibi vult, etiam si Papatum sibi vendicet quoquo modo in schismate.

Hæc tamen Synodus erat vniuersalis; etiam si aliquid contrarium statuisset, deerant nanq; duæ aliæ partes, obedientiæ scilicet Gregorij, ac Benedicti; quibus diu post tribus obedientijs congregatis, verum dici potuit vniuersale Concilium; tunc

Martinus V. electus, Hæreses Hussitarum, & Vuiclephistarum damnatæ, & decreta condita per hoc integrum Concilium, approbationem à Pontifice, vt moris est, humiliter postulatam receperunt.

53 Basileense non facit auctoritatem. Breui .n. resolutum est, tanquàm apertè schismaticum. Sicuti Antipapa Fœlix, in eo creatus in faciem Eugenij IV. citò resipuit, papatns deponens insignia; tota siquidem Ecclesia Eugenium sequebatur, Concilium illud seditiosum execrata; cuius quàmuis Nicolaus V. aliqua probarit decreta, circà censuras, & beneficia Ecclesiastica, vniuersaliter acta, reliqua sunt reprobata in legitimo Lateranensi 2. sub Leone sess. 22. præsertim quæ Pontificiam Maiestatem lædebant. Legitimè equidem Basileensis Synodus primò est congregata; sed cùm multa in Apostolicam sedem Patres illi molirētur aduersus illius priuilegia nimium audentes, rescindi iussum est per Eugenium Papam, cui contumaces Lausannam perductum protraxere conuentum.

Quis enim dubitet Concilia omnia, sicut congregari primitùs nefas est, Summo Pontifice non iubente, sic & eodem inuito non continuanda? par vtrobiq; ratio clamat, fundata in Ecclesiæ Sanctæ Monarchia absoluta suprema, & Christi Vicariatu in terris, vnde quodcunq; ligatum, nec est solutum in cęlis; eiusdem itidem est soluere, cuius, & condere, l. 1. ff. de legibus, & per easdem caussas dissoluitur res, per quas nascitur, extrà de reg. iur. Conciliorum autem conuocationem solius esse Pontificis claret, dist. 17. per totum extrà de elect. c. significasti; Illaq; mali aliquid machinantia, falsiue decernentia, Romana irritat sedes, ritè celebrata comprobat, vt in c. Cuncta per mundum q. 93. & per Prophetam dicitur: ***Solue colligationes impietatis,*** Isai. 14.

Quid ergò idem supremus prohibeatur Pastor pro sua auctoritate locum, tempus, modumq;, & materies prefinire Concilijs, quæ si annuat, firma, si abnuat, sint infirma? Absit verò vt prædicemus, Pont. Max. stare pro ratione libitum. Sed est

etiam ipsi seriò examinandus prouentus Ecclesiæ, vtilitates,& detrimenta appendenda in statera hinc inde,quæ ex vnoquoq; decretorum suorum prudentia moralis prouideat; Si secus fecerit, ipse visurus est tandem; Nunquid cum Atheis coincidimus, qui credamus non superesse iustitiam,nisi quam manibus nostris ipsi præcipitarimus?

54 Vt reuertamus tandem, quò longa via occursans hostilitas nos coegit diuertere, & immorari, de fratre correctionis contemptore dicendum est Ecclesiæ, idest suo Prælato. Communis expositorum, & Patrum,& Ecclesiasticæ consuetudinis est traditio; consueta nanq; obseruatio, optimus est legis interpres; ex Aug.lib. de Mendacio. Sic porrò consueuimus Monachum, non cuicunq;, sed Prælato suo denunciare, clericum, & non exemptum Diœcesano suo, nec altero Episcopo: sic faciliter præceptũ potest impleri; ideò subdidit Dominus postquàm dixisset: *Dic Ecclesiæ: Amen dico vobis, quæcunq; alligaueritis, &c.* Quasi dicens, ne terreamini, neq; enim impossibile mando,quod toti Ecclesiæ sit frater denũciandus,quia vnusquisq; vestrum sat est, quibus singulis hanc tribuuo potestatem vt quæcunq; alligaueritis, &c.

Vnusquisq; ad suam Ecclesiam deferendus; Papa ad quam? ad vniuersalẽ repetis;benè. Sed hæc vniuersalis Ecclesia,suum Episcopum, & Caput habere, debet, quis hic,si non Romanus Pontifex? neque enim suprà cæteros Episcopos sigillatim solùm obtinuit primatum. Nihil opus erat huiuscæ præeminentiæ, nisi hoc modo superior daretur, qui Ecclesiæ præsideret vniuersæ, omnesq; vndequaq; diuisos sub vnitate sui Principatus cõtineret; Sicut verò nemo Episcopus accusatur ad propriam Ecclesiam, in qua est Caput, sed ad superiorem Romanam,sic & huius, ac vniuersalis Ecclesiæ Pastor superiorem iudicem ignorabit in terris.

55 Sed cum etiam Prælatus ad hoc correptionis teneatur præceptum; alio modo ab ipso Ecclesiæ dicitur, quàm à subditis fratribus adinuicem; Hi nanq; Prælato dicunt, Episcopus au-

tem euitandum denunciat excomunicatum coram Ecclesia. D. Thoma docente super Matt.hìc, & tract. de correct. frat. *Praeceptum de correptione potest pertinere ad omnes, vel ad Pralatos, si ad omnes communiter, tunc Ecclesia non vocatur hic congregatio, sed Pralatus: si istud pertineat ad Pralates, tunc sensus est: dic Ecclesia, idest Congregationi fidelium, & debet coràm ea excommunicari, &c.* Huiusmodi erant interminationes Gregorij, & Nicolai Ioanni Constantinop. & Lothario Regi, cauerent scilicet, ne Apostolicam sua pertinacia indignationem contraherent; qui Ecclesia corrigente non audita, nimirum admonitione Capitis Ecclesiæ, tandē proclamandi essent, sicut Ethnici, & Publicani. Expositio autem Alberti, non aliter habet, quam *Dic Ecclesia, idest Pralato in conuentu, siue in Synodo.* Ex quo liquet Doctoris huius nō fuisse sententiam, quòd denunciatio fieret, aut Prælato, aut Synodo disiunctìm; sed, aut soli Prælato, aut eidem in Synodo, & conuentu.

Ità vt superior aliquis necessariò sit interfuturus cum recipientibus delationem; Ad te modò, agè, dic; si deferendus sit Papa ante Concilium, quis prȩsidebit huic congregationi vniuersæ, qui Caput habeatur eius Ecclesiæ, non truncatæ, neq; informis? Supereminceat Episcopis cæteris, & ipsi Romano Pontifici? hic occasionem apparas magnam conserendi manus, & inter Synodales pro Præsidentia dimicandi.

56 Quòd Romani Pontificis sit Concilium conuocare, & dissoluere, in eodem præsidere, per se, vel per legatos, locum, & tempus determinare, quæstiones proponere, negari non potest, nisi à Nouatorum perfidia, qui Concilium idcircò suprà Pōtificem statuunt, quia Monarchiam nullam in Ecclesia probant. At alij qui profitentes Catholicum nomen, sustinent Cathedram Petri habere primatum super singulares Ecclesias, & præesse Romanum Antistitem, eo modo quo Dux in Republica, aut Generalis Abbas in Congregatione Monastica dare debent, & dant illas esse partes Capitis in Republica, siue omnibus collectìm præsit, siue singulis distributim; Nam etiam

sine Generali Abbate non indicitur Patrum conuentus, nec citrà eius voluntatem durat; nec alius ab ipso præsidet, & sententiam proponit. De hoc, inquam, est controuersia sublata penès Catholicos, recipientes aliàs à nobis probatam Ecclesiæ Monarchiam. Factoq; ipso cernimus Concilia quæcunq; probata, huiusmodi præeminentias Papæ fuisse confessa. Alexandrinum scimus, inquit, in Nicæna magna Synodo circà, CCCXVIII. Episcoporum ab omnibus esse concorditer roboratum, non debere absq; Romani Pontificis sententia concilia celebrari. Chalcedonense Leoni Papæ scribit: *Rogamus tuis decretis, nostrum honora iudicium, vt firmitas tua filijs quos decet impleat.* Quòd si Concilia Pont. Max. Patrem vocant, & hic illos vicissim filios, profectò iura omnia ei competunt Patris familias, vt domum feret, ac referet; leges singulis dictitet; vniuersali bono eius prouideat; panem sacrarum institutionum frangat; Demùm constitutus à Domino super familiam suam det illis in tempore, prout visum fuerit tritici mensuram.

57 Acta Pontificis esse in legitimis Côcilijs examinata, ab eius sententijs appellatum, nego, & pernego: Scio sententias Apostolicas esse lectas in Concilijs præfatis contrà Dioscorũ, Phocium, Pyrrum, ac Sergium, & alios; sed ad omnia alia, quàm ad examen; decebat talia Pontificia decreta in Concilio publicari, & super ea quemcunq; differere, vt de mente Summi Pastoris dilucidè apud omnes constaret; nemoq; ausus est illis contradicere, sed plaudentibus omnibus sunt recepta. Quæ ideò etiam in publico Synodio congruebat proferri, vt ibi hæretici audirentur damnati, si quid habuissent pro sua caussa dicendum.

58 In quo sensu Augustinus scribebat Glorio, & Eleusio, post sententiam Melchiadis latam in prouinciali Synodo Romæ, superesse in quo melius res examinaretur, & in contrarium iudicaretur per vniuersale Concilium, si iniusta deprehensa foret illorum sententia. Confert etenim S. Pater Romanum pro-

uinciale Concilium præsidente Papa, non cum alio Generali Concilio, quod Papam excluderet; sed paritate data vtrobiq; præsente Ecclesiæ Capite, à quo potestas omnis procedit, locus dabatur in vniuersali conuentu exactiori examini, reorum defensioni, sententiæ Pontificiæ canonizationi; de cuius æquitate Augustinus non hæsitabat, ibi subdens: *Qualis ipsius B. Melchiadis vltima est probata sententia, quàm innocens, quàm integra, quàm pacifica! O' virum optimum! O' filium Christianæ pacis, & Patrem Christianæ plebis! Conferte nunc ipsam paucitatem cum illa multitudine Episcoporum, neq; numerum numero, sed pondus ponderi comparate, &c.* Benè etiam præsumi poterat melior sententia ex Concilio vniuersali, quàm ex paucorum Patrum, vnà cum Papa, in quæstione facti, quæ, vt plurimùm pendens, ex diuersa informatione, poterat Pontificem decepisse; Hæc enim inter cæteras conciliorum vtilitates est recensenda, quòd verior ex multitudine, factorum informatio extrahatur.

Aliud eiusdem Augustini contrà Donatistas non loquitur de Pont. Max. sed argumentum est à minori ad maius, respectu reprehensorum non reprehendentium: scilicet: Si Petrus quo minor videbatur; Vt qui esset Caput Ecclesiæ, à Paulo est redargutus, quantò magis quod per vniuersæ Ecclesiæ statuta firmatum est, vel vnius Episcopi auctoritati, vel vnius Prouinciæ Concilio pręferendũ est? Intelligit autem necessariò vnum Episcoporum priuatum, quando hunc obijcit ex aduerso Ecclesiæ vniuersæ, quæ nõ esset Ecclesia vera, & completa dicenda, Capite Mutilata.

59 Casus Symmachi erat de Hæresi; tùm ipse voluntariò coegit Concilium ad sui iustificationem. De quo vtroq; post hæc dicendum, quid circà fidem, & voluntariam subiectionem Papæ in Concilio: vbi resoluenda non minùs iustificatio Petri de ingressu ad Cornelium.

Canonem de Anastasio commentitium reputant plures, inter quos Scholiastes Decreti, hoc argumento, quia impossibile

le est Anastasium de reuocãdo Achatio hæretico machinatum iàm defuncto sub Fœlice prædecessore Gelasij, quem subsecutus est in Pontificatu Anastasius; sed huic responsioni occurrit glossa ibi: *Occultè voluit reuocare Achatium defunctum in hæresi, vt orationes pro eo in Ecclesia fierent*. Responderem igitur, malè gestum per Clericos, & Presbyteros, abigentes se à communione Pontificis, nondum de Hæresi conuicti. Deinde cum eadem glossa: *Papa tenetur requirere Concilium Episcoporum, vbi de fide agitur* (videlicet ipsius Pontificis) *quia tunc Synodus maior est Papa*. Ideò Gregorius sicuti Euangelijs reuerentiam profitebatur vniuersalibus quatuor primis Concilijs, quia interuenientibus eius temporis Pontificibus Maximis, nihil ferè in ijs decretum est, quod non ad fidem spectaret. Sed hoc statim.

Prætereà Hæresis Achatij iàm erat in Ecclesia damnata per Fœlicem, & Gelasium prædecessores Anastasij, quarè si hic fuit de ea suspectus, Concilium poterat de eo discernere; Nàm Pontifex non est regula fidei obliquabilis contrà præterita Ecclesiæ determinata; & in his deprehendi potest si sit à fide deuius. Arridet quòd à Deo percussus Anastasius, dum assellaret emiserit intestina; hoc est quod dicimus: Deum ipsum curam suæ Ecclesiæ gerendo, præsto esse ad vlciscendum delicta sui Vicarij, quandoquidem in Christum Domini nemini liceat manus inferre; Alia est ratio, de defensione inculpatæ tutelæ singularis vnius personæ, in extrema necessitate constitutæ, cui non prohibeatur pro mensura vis illatæ, vim reprimere repellentem; Vniuersitas nunquam ab vno Pontifice in tàm arctam necessitatem defensionis, seu in eiusmodi angustias redigi potest. Quòd Papa possit se abdicare papatu, non autem Ecclesia illum repellere, non mirandum; Si quidem contractus gratuitus donationis à donante reuocari non potest, secùs respui potest à donatario. Sponso licebat sponsæ dare libellum repudij in lege Moysis, at non vice versa.

60 In alio eo argumento congaudeo, quòd sicut iurisdictio sa-

cramentalis est incommunicabilis multitudini, sed certum exigit Ministrum, ità iurisdictionis in foro externo eadem multitudo est incapax; quæ si posset communicari suprà Papam, alicui certo Præsidi deberet addici; sed non est opus quia progrederemur ad infinitum, in serie horum potestatiuorum. Sicut enim renuis in Papa acquiescere, renuam ego alio quocunq;. Ad hæc accedit disparitas, quia forum conscientiæ est forum Dei, in quo minister tantùm est homo, ab illo recipiens auctoritatem internam suprà Caput Ecclesię, cum aliunde super hęc haberi nequeat. Quod non fieri de iurisdictione externa sacramentali, & multo minùs de non sacramentali, qua Orbis regitur Christianus, & est Apostolicæ Cathedræ propria, in sequentibus aperiendum.

61 Intereà nil moueat, quòd iudicium Concilij dicatur supremum; hoc enim damus, sed quandò Concilium legitimum est, quod nunquam fiet Papa exploso, à quo robur omne dimanat; Et si Pōtificem Maximum dicas partem Concilij, quòd totum est sua parte maius, repetam, quòd Papa est talis pars, sine qua cætera sint inutilia, vt sine Capite membra, quæ extensionem quidem extrinsecam molis Capiti addunt, sed non Concilij, & iudicij sanitatem, quòdq; sit pars Concilij solùm, quoad consultationem, cùm sit deinde totum continens, quoad decisionem, quæ in Concilio non residet, nisi dependenter à Papa.

Neq; Ecclesia est finis vltimus in quem Papę ordinatio tendat, sed obsequium voluntatis Diuinæ huiusmodi est, ad quam ambo collimant, & Ecclesiæ salus, & Pontificalis auctoritas; quòd si populo Christiano Pastor iniquus præsideat, nostris demeritis, & Diuinæ prouidentiæ referendum, quæ regnare facit hominem Hypocritam, propter peccata populi; Vnum superest, vt Grex ad Dominum toto corde conuersus, dilaniantem supplicet amoueri Pastorem, si quem dari in Ecclesia contingat, quod perrarò accidere piè credēdum est quoad mores, & quoad fidem, nunquam, vt in sequenti.

CAPVT VI.

An ex casu acquiratur Generali Concilio potestas in Romanum Pontificem.

ELENCHVS.

1 *Pontificiæ Maiestati conuenientior similitudo Empyrei, quam Solis allata ab Innocentio PP.*

2 *Qui casus videantur Papam subijcere posse Concilio.*

3 *Sacri Canones Papam hæreticum subijcientes correptioni Concilij.*

4 *Disparitas de infidelitate, & alio quouis crimine in Ecclesiæ Pastore.*

5 *Quadruplex sententia, de Pontificis hæretici depositione, quoad modum.*

6 *A' Papali, & quauis alia Ecclesiastica dignitate hæreticos ipso facto Diuinitus decidere probant aliqui, primo ex SS. Patribus, & Can.*

7 *Scripturæ omnes aduersùs infideles Prælatos conclamant.*

8 *Papam discredentem se ipsum sua hæresi iudicare, ex Innocentio, & Anacleto.*

9 *Ex Diuino iure non habetur subiectio Pōtificis Maximi ad Ecclesiæ Iudicium, in caussa hæresis, præ criminibus cæteris.*

10 *Neq; ex Canonico iure. Validè id potuit fuisse, ritèq; decretum.*

11 *Prædicta omnia nequeunt ad plures extendi, quàm ad Hæreticos manifestos, & pertinaces, qui propriè Hæretici appellantur.*

12 *Hæreticus occultus minimè est deuitādus, aut eiectus de Ecclesia.*

13 *Papa antequam suam propalet hæresim habet iurisdictionē. Ostenditur ex Sacr. Can.*

14 *Si Hæreticis occultis nulla deberetur Ecclesiastica iurisdictio, consequens erit, vt Ecclesia sit inuisibilis.*

15 *Quomodo aliqui saluent robur Ecclesiasticæ Hierarchiæ visibilis, cum amissione iurisdictionis incurrēda per hæresim latentem.*
16 *Hic dicendi modus reprobatur.*
17 *Asserentes Papam hæreticum manifestè ipso facto esse depositum à Deo redarguuntur.*
18 *Concilium de Pont. Max. iudicaturum, sicut & cætera Concilia, non potest inuito Papa indici, extrà schismatis tempus.*
19 *Verba Canonum contrà Pontifices hæreticos intelligunt, ipsos ob hoc crimen humanæ, & non tantùm Diuinæ subiacere censuræ.*
20 *Si Papa semel in hæresim lapsus esset ipso facto deiectus à Deo, posteà resipiscens indigeret noua electione reeligi.*
21 *Aliorum assertio, quòd Concilium sit suprà Pontificem, non tamen suprà Pontificiam dignitatem.*
22 *Papam hæreticum hi asserunt retinere iurisdictionem donec iudicetur; Discrimen inter Hæreticos, aliosq; infideles carentes baptismatis charactere.*
23 *Huiusmodi dicendi modus multipliciter improbatur.*
24 *Hæreticos intrà Ecclesiam non detineri, & proinde iurisdictione gaudere ob Characterem baptismatis.*
25 *Dilemma fortissimum prædictam positionem regens.*
26 *Securiùs statuitur casum esse impossibilem, quòd Romanus Pontifex à fide recta exorbitet.*
27 *Quo sensu Sacri loquātur Canones de Papali perfidia corrigenda.*
28 *Papæ fidem esse indefectibilem in docēdo Ecclesiam ostenditur primò ex necessitate viuæ regulæ credendorum.*
29 *Hanc infallibilitatem doctrinæ non habent, secluso Papa, Concilia.*
30 *Ecclesia profectè sumpta, cum suo capite, completam habet assistentiam Spiritus Sancti, quoad docere, & doceri; seorsim præscindens à capite, eam habet dumtaxat quoad doceri.*
31 *Priuilegium indefectibilis fidei soli D. Petro impetratum, pro cunctis fidelibus.*
32 *SS. Patrum interpretatio ad ea verba Luc. 22.* Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, &c.

33 *D. Petri Cathedra non minoris auctoritatis est, quàm fuerit in Synagoga Mosaica.*

34 *Romana Ecclesia sola semper in fide constitit, celebrioribus alijs collabentibus.*

35 *In præmium primariæ Confessionis de Saluatoris Diuinitate data est indefectibilitas fidei D. Petro, tam pro se ipso, quàm pro Ecclesia, ait Origenes.*

36 *Sacrã Scripturã, non sufficere ad controuersias de fide dirimendas.*

37 *Viuam regulam fidei oportet præponi, ipsamq; vnicam.*

38 *Apud Synagogã quoq; ex ore Summi Pontificis solius veritas erat irrefragabilis attendenda.*

39 *Fidem Summi Pontificis priuatam, non posse minùs infallibilem esse, quàm eius doctrinam, qua docet Ecclesiam.*

40 *Duo obijciuntur, atq; soluuntur.*

41 *Scandalum Maximum Ecclesiæ, si Pastor vniuersalis discrederet ex illo Matt.* 5. Vos estis sal terræ, &c.

42 *Aliud ex eodem:* Neq; accendunt lucernam,& ponunt eam sub modio.

43 *Summus Pontifex ipsa sua fide tacitè semper prædicat; nec quisquam in eo se reprehensum iri veretur, in quo cum Papa consenserit.*

44 *Neq; in hæresim occultam Papa prolabi potest, quia vnum tantum fidei assensum habere valet, quo ipso est confirmanda Ecclesia, & per consequens ille erit indeuius.*

45 *Summus Pontifex non aliena fide, sed suamet habet Ecclesiam confirmare.*

46 *Pontifex Maximus ni Diuinitùs receperit indeceptibilitatem in fide erit deterioris conditionis, quàm singuli fidelium; & quomodo id deducatur.*

47 *Quàm sint duo hæc inseparabilia, hæresi adhærescere, & eandem cæteris indulgere, vel prædicare.*

48 *Ideò fides, & Ecclesia Romana dicitur à D. Gregorio vniuersalis, & indeceptibilis quia Pontifex Romanus vniuersalis est, & indeceptibilis.*

49 *Rectas plurium Summorum Pontificum institutiones Hæresi dant Hæretici.*

50 *Ab horum Calumnijs Sanctissimi Pontifices vindicantur.*

51 *Vera hæreses Summis Pontificibus falsò imponuntur, à quibus liberantur, & primò defenduntur Victor, Zephirinus, Calestinus, ac Cyprianus.*

52 *Quid de Vigilio, Innocentio, atq; Martino.*

53 *Sententia Nicolai Papæ de Baptismate in nomine* CHRISTI. *Vt non sit hæretica.*

54 *Iustificantur dicta Siricij, & Leonis.*

55 *Gregorius III. Stephanus VI. & Sergius III. in quibus accusentur, & liberentur.*

56 *Gelasius nunquam Eutycheti consensit, vt insimulatur; Anastasij II. historia ex Gratiano, & quomodò hic sit hallucinatus.*

57 *Honorio hæresis Monothelitarum falsò appingitur. Et quid de sententia, quæ in ipsum lata per sextam, & septimam Synodum circumfertur.*

58 *Bonifacius V. non docuit ab originali dumtaxat homines fuisse redemptos. Neq; Liberius, Felix II. & Leo I. Arriani fuere.*

59 *Qualis error fuerit Liberij, Marcellini, & ipsius Petri, an vera hæresis dici queat.*

60 *Calumnia in Siluestrum II. & Gregorium VII. diluuntur.*

61 *An Ioannes XXII. reus hæresum fuerit, quibus per Ludouicum Bauarum est notatus.*

62 *Censura Basileensis in Eugenium IV. nulla, quia schismatica; Constantiensis in Benedictum XIII. & Ioannem XXIII. de schismate damnat, non de hæresi.*

63 *Innocentij tertius, & octauus redimuntur ab obloquentium imposturis.*

64 *Papæ nullatenùs esse integrum, humano iudicio se sponte subijcere Concilij, aut Ecclesiæ.*

65 *Pontifices qui coram Concilio suas caussas examinari sunt passi qua ratione id gesserint.*

1 NOn exclamem admiratione perfusus, O' incomparabile sub Cęlo Maiestatis Apostolicæ decus; cui nec satis tribuisse visus est Innocentius allatus, c. solitæ de maioritate, & obedientia, eam cum Sole componēs? detraxit celsitudini tantæ impar nimis, & laudis auara similitudo. Esto enim Planetarum Princeps, fons luminis, diei Pater, Mundi oculus, Inspirator vitæ, trophæa lucis per vniuersum ad cœli arcus appendat de cæteris, tùm sigillatim, tùm collectim syderibus superatis; & ipse veruntamen malignantium quandoq; nimborum denso agmine præpeditus, radijs hebetatus pallescit, nigricat, media in die deficit obumbratus. Voluntario insuper quotidie diuertens occasu, ad Oceani declinans hospitium, mollibus aquarum soporatus in stratis, Tethidis requiescit in gremio; dumq; hilaris occluditur palpebra mundi, colorum clamydes exuit vniuersùm.

Aptiùs equidem Empyrei Cœli nobis assumptum schema. Ignea insensibili luce coruscum, inoccidua quiete firmatum, repræsentat Pontificis Maximi Maiestatem, quam neq; nebulæ infidelitatis obumbrant, neq; spontalis deiectionis casus inclinat.

2 Duo hęc penè in superioribus deglutiuimus argumenta, iterùm ruminanda morosiùs; ne quod properanter ingestum, indigestum interiora animi faciat amaricari; quòd quasi longa via, hucusq; adducti, difficultatis tandem, declinarimus postes. Si Pontificiam authoritatem indecet subesse Concilijs, quid est, quòd ab his, de eius fide cognoscitur, & iudicatur? quid, quòd in Synodo coram Patribus Pontifices Romani insimulati, responderunt, vel etiam sponte suas ad eos caussas iudicandas detulere? Doctrinæ vbertas, & iucundum argumēti complemētum exposcit, vt vestigemus, quid posset Generale Concilium aduersùs discredētem (si huiusmodi reperiri posset) certum Pontificem; & an hic voluntariò ritè se Patrum iudicio quirēt subijcere. Hi quidem soli sunt casus, in quibus Concilio suprà Papam extraordinariò autumari potest auctoritas;

præter schismatis casus, eligentium Cardinalium omnium defectum, aut perpetuam Summi Pastoris maniam, desperatam captiuitatem, & huiusmodi, quibus Ecclesiæ ius pariter prouidendi sibi de certo Capite, non verò certum, quod possideat amputandi.

3 Papa qui de nullo alio crimine à subditis valet iudicialiter argui, ob solam hæresis notam posse Apostolica Thiara multari, Theologorum, & Canonistarum opinione crebuit; Hinc sacris literis, Patrum hinc sententijs, res est omninò firmata. Celebre est illud c. si Papa 40. dist. *Huius culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide deuius.* Item c. oues 2. q. 7. *Oues quæ Pastori suo commissæ sunt, eum nec reprehendere, nisi à recta fide exorbitauerit debent.* Anacletus Ep. 3. *Pastor*, ait, *Ecclesiæ, si à fide exorbitauerit, erit à fidelibus corrigendus; sed reprobis moribus, magìs est tolerandus, quàm iudicandus, quia Rectores Ecclesiæ à Domino sunt iudicandi.* His adiungatur Adrianus in 8. Synodo generali Act. 7. sic fatus: *De Romano Pontifice quenquam iudicasse non legimus; licet .n. Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est, quòd fuerat de hæresi accusatus; propter quam solùm, licitum est minoribus maiorum suorum moribus resistere.* Synodus 5. Romana idipsum loquitur: *A' multis antecessoribus nostris synodaliter decretum, atq; firmatum est, vt oues Pastorem suum nec reprehendere, nisi à fide exorbitauerit præsumant.*

4 Nec par est ratio de infidelitate, & alio quocunq; flagitio, quandoquidem ob hoc Prælatus redditur Caput languidum, nequaquam abscindendum. Ast per illud à corpore emoritur resecatum, munia capitis impos implere, quæ iuxta sui æthimum nominis sunt, vt inde capiant reliqua membra sensum, & vitam. Quì ergò det alijs viuere, quod in se non habet, fidei desertor? nam *Iustus ex fide viuit*, Abac. 2. Rom. 1. De Rege temporali præficiundo dictum est Israeli: *Eum constitues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum* (interli-

neari subijciente) *Non de aliena secta, non poteris alterius Gentis hominem constituere,&c.* Quantò magis ipse Spiritualium Antistes in nouæ legis Sacrosancta Ecclesia hæreticus, non ferendus?

5 Sed hìc Catholicos Doctores aspicio studia in cõtraria scindi, & in quadruplici opinione Theologicis, & Legalibus disceptantibus armis, secùm concurrere; vt de eo, quod est in substantia certum, nimirùm quòd Papa hæreticus, si daretur, non esset tolerandus, modum scrutentur, quo in casu hæresis quis Pontificatu Summo priuetur. Sunt qui Diuinitùs fieri depositionem contendant, Concilio solummodò declarante; & qui humanitùs potiùs, Deo concurrente cum potestate Patribus Concilij facta, super ipsum Papam hæresi inquinatum. Bifariàm vtrunq; potest intelligi, ac probari. Vel enim Diuina dispositione papatu exuitur incidens in hæresim ipso facto, licet adhuc occultus; vel solùm statìm, ac fuerit hæresis manifesta. Rursus, si Ecclesia ipsa deponat Pontificem id semper futurum est quidem in hæresi manifesta, cum de occultis illa non iudicet; sed & dupliciter euenire continget, aut scilicet per superiorem auctoritatem iurisdictionalem conquisitam, aut per ministerialem dumtaxat executionem.

6 Commune est fundamentum asserentibus Pastorem Ecclesiæ hæreticum Diuinitùs ipso facto dignitate spoliari. Quia & si per amissionem charitatis, nulla fiat iurisdictionis iactura, vt errabant Pauperes de Lugduno; fidei tamẽ defectus in Prælatis neutiquam salua iurisdictione contingit. Ni Cyprianus mentitur in c. Nouatianus 7. q. 1. ibi: *Qui nec vnitatem spiritus, nec communicationem pacis obseruat, & se ab Ecclesia vinculo, & Sacerdotum collegio separat, nec Episcopi potestatem habere potest, nec honorem.* Idem in c. didicimus 24. q. 1. *Didicimus,* inquit, *omnes omninò hæreticos, & schismaticos, nihil habere potestatis, aut iuris.* Ambrosius c. qui dignior ead. *Si verò,* ait, *Præceptor hæreticus deformet habitaculum, vitanda hæreticorum communio, fugienda sinagoga.* Beda c. quicunq. ead. *Quicunq;*

dicit, *ab vnitate fidei, vel societatis Petri Apostoli, quomodolibet se ipsos segregant, tales nec à vinculis peccatorum absoluunt, nec ianuam possunt regni cælestis ingredi.* Hæc rata habent Theologi, cum Angelico 2.2.q.39.ar.3. dicere ab hæreticis, atq; schismaticis potestatem sacramentalem non deperdi, quo ad substantiam, sed tantùm quo ad eius legitimum vsum; at verò iurisdictionem, non per consecrationem, sed solùm per commissionem attributam, ipso facto ab huiusmodi amitti. Quis dubitet? Claues datæ sunt Petro, & succedaneis, vt dicebatur, Ecclesiæ nomine, eatenus, vt qui extrà hanc hæreticus diuagetur, nihil ad eas retineat iuris. Benè Augustinus in sermone quodam ait ad illud, Cant. 1. *Pasce hædos tuos: Manenti Petro dicitur, Pasce oues meas; exeunti hæretico, pasce hædos tuos.*

7 Citrà maximas rationes, sacrarumq; scripturarum suadelas, minimè videtur assertum. Si quidem Prælatis omnibus, non modò modestis, ac bonis, sed etiam Dyscolis vndecunq; audimus obediendum; ab iniquorum Præsulum nō dictis recedendum, sed factis: *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite.* Nihilò seciùs, si fide reprehēsibiles, aliud annūcient Euangelium scandali, omninò sunt negligendi: *Propheta autem, qui arrogantia deprauatus, voluerit loqui in nomine meo* (idest, ait, interlinearis, vt sibi credatur, quæ ego non præcepi illi vt diceret) *aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur.* Deut. 18. *Surgent pseudoprophetæ, & pseudochristi, & dabunt signa magna, & prodigia; ità vt in errorem inducantur si fieri potest etiam electi; si ergò dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire*, Matt. 24. *Multi venient in nomine meo dicentes, quia ego sum, tempus appropinquauit, nolite ergò ire post illos*, Luc. 21. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere in domum, nec aue ei dixeritis, qui enim illi dicit aue communicat operibus eius malignis*, 2. Ioan. 2. Quì fieri potest, vt noster remaneat Pastor, cum iurisdictione, quem vitare, & detestari præcipimur? nil crebriùs est ab Apostolo repetitum, Tessal. 3. *Denunciamus vobis fratres in nomine Domini Nostri* IESV CHRISTI, *vt sub-*

trahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè; & non secundùm traditionem, quam receperunt à nobis, 2. ad Cor. 6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus; quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? aut quæ conuentio* CHRISTI *ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli?* Ad Titum vltimò tandem: *Hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita, sciens quòd subuersus est, qui huiusmodi est, & delinquit; cùm sit proprio iudicio condemnatus.*

8 Vndè claret Papam infidelem sibi ipsi depositionem dignitatis vltrò inferre, dum hæresim amplectitur; qui secùs à nulla potestate damnari potest inuitus, cum in eius optione remaneat, aut abiurare errorem, aut de Cathedra deturbari; id quod Innocentius est concionatus serm. de consecr. Rom. Pont. ad euangelicum thema: *Quis putas fidelis seruus, &c. In tantum*, dicens, *mihi fides necessaria est, vt cum de cæteris peccatis Deum iudicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesia iudicari, nàm qui non credit, iàm iudicatus est.* Quibus posterioribus verbis satis indicat, solùm esse Ecclesiæ, iàm pridem latam à Deo sententiam promulgare in Pontificem discredentem. Idem ex Anacleto suprà retulimus, dist. 17. *Electionem Summorum Pontificum sibi Deus reseruauit, licet electionem eorum bonis Sacerdotibus, & spiritualibus populis concessisset.*

9 Accedit quòd iurisdictionem suam Papa soli Deo debet acceptam; Ab eo igitur tantummodò retinet sibi abdicabilem, stante regula iuris, quòd eiusdem est destituere, cuius & instituisse. Quid? si Ecclesiæ ex casu hæresis fieret in Pontificem Maximum potestas aliqua, aut hæc ex Diuino ortum duceret instituto, aut Canonico, & humano iure; Primum non apparet, nusquàm enim proferes ex qua scriptura, aut traditione maior potestas facta sit ouibus aduersùs Pastorem, in hæresim lapsum, quàm in aliud graue peccatum; etenim quidquid ex Scriptura sacra caussam Pontificis infidelis cōdemnat, id absq; vlla relatione ad Ecclesiasticam sententiam, absolutè ipso fa-

cto procedit, ordinatione Diuina, ratione defectus fidei, quæ Diuinitùs data est discerniculum inter Ecclesiæ oues, & hædos perditionis, ab ea abarmentatos; porrò Ecclesia non aliter definitur, quàm collectio fidelium c. Ecclesia de Consecr. dist. 1. & à D. Tho. in 3. dist. 13. q. 2. a. 2. dicitur infidelium CHRISTVM non esse Caput, nisi in potentia, quà corpori sunt vnibiles; cæterùm ad vnionem Ecclesiæ non pertinere.

Quod cum ità se habeat, Papa hæresi coinquinatus, desinit statim esse membrum, ne dum caput membrorum præstantissimum. Vt naturale est accidentibus, sublato substantiæ fulcimine deperire; sic cætera omnia cadunt Ecclesiastica priuilegia, fide non stante, quæ ab Apostolo definitur: *Sperandarum rerum substantia*, Hebr. 11. Vt fundamento amoto, vniuersam superiniectam necessum est subuerti structuram, ità qui à Petra veræ fidei confessionis abscesserit, sublimem quemcunq; dignitatis habuerit in Ecclesia gradum detrahit ad ruinam. Vt naturali deficiente vita Pontificis, sedes Apostolica intelligitur absq; iudicij quæstione vlla vacare, pariter si idem spiritaliter emoriatur, destitutus fidei vita, cēsendus erit Papatui functus.

10 Alterum non subsistit, nempè si dixeris Canonico iure id cautum, vt Pontifex, hæresi laborans, subijciatur potestati Concilij deponendus; quia ipse est super cunctas leges humanas, à quibus si ratùm foret, & constitutum, quòd ob hæresis crimen subijceretur Concilio, quidni potuissent, & possint quandocunq; sancire similiter, vt pro quouis alio crimine patiatur idipsum? Quamobrem nugatorium deprehēditur, quod inquit glossa in c. Achatius 24. q. 1. ad ea verba: *Quicunq; in hæresim semel damnatam labitur, in eius damnatione se ipsum inuoluit; Hic*, ait illa, *est casus, in quo Papa Papam ligare potest, in quo Papa in canonem lata sententia incidit: nec huic obuiat regula illa: par parem soluere, vel ligare non potest; quia si Papa hæreticus est, in eo quia hæreticus est, minor est quolibet Catholico*, 12. q. 1. c. scimus, *quia lex factum notat, etiam sine sententia*, vt ff. de ritu nupt. l. palam §. vlt. Percontarer libenter, à quonam

ſit editus latæ ille ſententiæ canon in Pontificem hæreticantem; an ab alio Pontifice prædeceſſore Catholico, qui ideò ſit ſuperior huic infideli? Sed das quod contenditur, hoc eſt Papam perfidum ſubire debere leges, & ſententias Catholicæ Eccleſiæ, quia iàm antecedenter præ quacunq; humana determinatione, minor eſt quolibet fideli; At minorari non poteſt, quamdiù Papatum ſuſtinuerit; oportet igitur, vt diuinitùs ante ſit ille deiectus, qui cæteròqui Pontificijs, nunquàm ſubderetur edictis. Et hoc Pontificiæ congruit Dignitati, ne cui hominum ſit fas Papam, manẽtem Papam attingere deponẽdum.

11 Fundamenta ecce vniuerſalia, quibus hæc propoſitio generica videtur ſubſiſtere; nullam deberi iuriſdictionem à fide Catholica fatiſcentibus, ſed ipſo facto per infidelitatem Prælatos ipſumq; Pont. Max. ab ea decidere; quæ dum aliqui ad ſolos hæreticos contrahunt manifeſtos, alij etiam in occultis putant verificari, duplex ſententia ſcinditur, dicentium Papam hæreticum, ipſo facto Diuinitùs éſſe deiectum, aut ſcilicet adhuc occultum, aut ſolùm manifeſtatum.

Et quidem allata Scripturarum, & Patrum vniuerſa farrago aduerſus hæreticos eò ſolummodò tendere poteſt, vt manifeſtos vitemus, iuriſdictione omni intelligamus exutos; Hi enim verè appellatione ſoli veniunt hæreticorum, qui & hæreticam damnatam doctrinam habent, & ei hæreticè, nimirum cum pertinacia hærent; Auguſtino pronunciãte lib. 4. de baptiſmo contra Donat. c. 16. *Conſtituamus aliquem id ſentire de* CHRISTO, *quod Photinus opinatus eſt, exiſtimantem ipſam eſſe Catholicam fidem, nondum illum hæreticum dico, niſi manifeſtata ſibi doctrina catholicæ fidei reſiſtere maluerit.* Et meritò, quia ad hæreſim requiritur pertinacia, c. dixit Dominus 24. q. 3. neq; is eſt hæreticus, qui, quàmuis erret in fide, paratus eſt tamen Eccleſiæ iudicio acquieſcere. Debet erranti catholica veritas ſufficienter proponi, cui ſi poſteà reluctetur, hæreticus ex tunc ſit habendus.

12 Quod eſtò fieri poſſit, & per interiorem illuminationem, &

per extrinsecam correctionem, hoc tamen necessarium est, antequam aliquis à Corpore Ecclesiæ segregetur, admonendus quisquis per Ecclesiam antequam habeatur sicut Ethnicus, & publicanus: *Hæreticũ hominem*, dicebat Apostolus, *post vnam, & secundam correctionem deuita*. Et quàmuis intrinsecus à soliditate fidei inanes, sint arescentia Ecclesiastica membra, adhuc tamen de ipso Corpore pendent non abscissi, quicunq; extrinsecùs fidelium coetui se consocient; Hic est Ioannis sensus, quandò ex suis Discipulis aspiciens Hæresiarchas ait: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, nàm si fuissent ex nobis, mansissent vtiq; nobiscum*, 1.Io.2. Videlicet in schola, sed nõ de schola Apostolica erant, qui hæresum virus iampridem cõcoquentes secretò, euomuerunt tandem.

13 Dilucidum argumentum habemus, c.audiuimus 24.q.1. *Sin autem ex corde suo nouam hæresim confinxerit, ex quo talia prædicare capit, neminem damnare potuit*; Poterat ergò damnare, qui iurisdictionis est actus, eo tempore, quod inter conceptionem erroris, & manifestationem interstitit. Hoc est quòd Sagenæ Ecclesia comparatur fidelium, ex omni genere piscium, bono, & malo congreganti, quamdiù latet sub vndis, donec in littore manifestati, impij segregentur à bonis; In agro itidem Ecclesiæ eodem cum tritico zizania, vnà concrescit; Et, vt Origenes notat homil. 12. in Iosue: *Etiam hic in Hierusalem, idest in Ecclesia, sunt quidam Iebusai, qui, & fide, & actibus perditi sunt*.

14 Ad hanc positionem, quòd per hæresim, in animo latentem, quis abscindatur ab Ecclesiæ corpore, ne sit eius membrum, & per consequens, neq; caput, cum iurisdictionis influentia, inuisibilitas Ecclesiæ consequitur Caluinistica, & Lutherana. Sicut enim, hæc adstruitur à dicentibus solos iustos ad Ecclesiam spectare, quam iustitiam ex sola prædestinatione, vel fide attendunt, de qua non potest visibiliter constare, ità prorsùs si per internam fidem, vel hæresim congregari, aut segregari homines in Ecclesia opinemur, hanc pariter ponimus inuisibilem,

incertumq; de ea erit, penès quem hominum coetum reperiatur vera, cum latibula conscientiæ vniuscuiusq; intueri non detur, quamnam in corde nutriat fidem, an veram, nec ne; Sed quam fidem decernemus veram, quamue fallentem, antecedenter ad Ecclesiæ certitudinem, à qua traditionum,& canonicarum scripturarū determinatur auctoritas? nisi enim prius constiterit talem esse veram Ecclesiam, quæ has,& has approbat traditiones, atq; scripturas, nulla hinc fidei adstrui poterit certitudo.

Inde Ecclesia perturbabitur vniuersa; Fluctuabimus semper, nihilq; certi habebimus actum per Ecclesiasticos Præsules, si, vt de fide eorum interna, nunquàm dubitare non datur, sic eorundem acta, & sancita frustrare, & irritare supersit locus, ob prætensam infidelitatem occultam in illis. Quid sciam ego de huius Episcopi, huius Pontificis Maximi interno sensu circà fidem? Immò si à Petro, vsq; huc, Ecclesiæ Pastores omnes rectè crediderint, qui maximè, & qui minimè, vnde certus fiam de illis? omnia vaga, omnia pendula; & ipsa quidem decreta fidei per Pontifices Maximos proposita, & per Synodos, fide tenùs humana credenda erunt, cui possit subesse falsum, quandoquidem de talibus decernentibus Pontificibus, Patribusq; Concilijs, non amplius quam fide humana creditur, quòd intrinsecùs omnes fuerint Catholici, auctoritatem illam definitiuam habentes. Itidem rumor per vniuersam Ecclesiam succresceret, fuerint ne Episcopi legitimè constituti à Papa dubiæ iurisdictionis, velut internæ fidei; & sic de Sacerdotibus, & alijs, qui ab huiusmodi Episcopis incertæ auctoritatis ordinē, & iurisdictionem retulerint.

15 Persentisco responsionem: quòd acta Præsulum occultè hæreticorum teneant, quandiù illi ab Ecclesia tolerentur, ex glos. in c. audiuimus 24. q. 1. & dubietatem quæ animum potest vexare, de interna fide Pontificis, in Dei prouidētiam exonerandam, quam certitudine Diuina scimus curam gerere suæ Ecclesiæ; nec passuram, vt infidele Caput dominetur in ea; quin po-

tius, ni aliter res posset detegi, Deum ipsum medio aliquo reuelaturum Papalem perfidiam. Sicuti S. Th. respondet alteri perplexitati, in qua semper sumus, nùm hic Episcopus, aut Pôtifex fuerit baptizatus, sit ne mas, vel fœmina; vt de Ioanne illo VIII. quondam est fabulatum, per quæ iurisdictionis incapax redderetur, & ordinis. Ait nanq; S.P. in 4. dist. 24. quòd si Episcopus baptizatus non esset: ***Illi quos talis ordinat, non habent ordinem, sed tamen piè credi potest, quòd quantùm ad vltimos effectus Sacramentorum, Summus Sacerdos suppleret defectum, & quòd non permitteret hoc ità latere, per quod periculum imminere posset.***

16 Sed quò ad primum; Multa sunt acta Summorum Pontificum, quæ non admittunt conditionem: si Papa Catholicus sit, aut quamdiù toleretur; vt sunt fidei, & morum decreta, ab ipso proposita absolutè, quandocunq; inhæsitanter credenda. In altero non est par ratio, Baptisma enim, vt susceptu facile, & ordinariò datum infantibus fidelium, semel receptum nequit amitti; fides autem millies in die, prò instabilitate cordis humani, est variabilis; illud amplius necessarium Pontifici est, vtpotè, non solum iurisdictionis, sed etiam ordinis incapacem efficit, in quo defuerit; cum alioqui hæresis solam iurisdictionem interimat, ea quæ ordinis sunt, quo ad substantiam intemerata conseruans; ex qua maiori baptismatis necessitate, piè credi potest, Deum id non permissurum, vel reuelaturū. Quòd si miracula placeat multiplicare, prętstat dicere (vt tandē ostendemus dicendum) nequaquam Diuinam prouidentiam passuram, vt vniuersalis Ecclesiæ Pastor nube hæresis obtenebretur, quem suæ claritatis efficaci iugiter, & veritatis luce perfundat.

17 Probabilius non dicitur ab alijs Papam palam hæreticum, ipso facto à Deo esse depositum. Si enim hoc esset, frustrà deindè pro eadem depositione conuocandum foret Concilium. Pro declaranda (dicis) id fiet sententia Diuina, in quam ille inciderit. Sed si Ecclesia conniueat, si Concilium ad multum temporis nequeat congregari, si ipse Papa sibi timens conuen-

tum prohibeat, quid? assignandum est à quo debeat talis Synodus aduersus Papam indici; aperta siquidem hac via, quilibet Potentum malè affectus in bonum Pontificem, poterit contra illum conuocare conuentum, prætextu, quòd in fide desipiat.

18 Accedit, quòd nullum Concilium Generale, de se repræsentat Ecclesiam vniuersam, nisi quatenus à Papa Ecclesiæ Capite id habet, qui terminos præfigit temporis, & Personarum Concilij, infrà quos claudatur; nec alij expectentur, aliundè ad conuentum. Secus, nunquàm Concilium foret perfectum; siquidem in dies noui, & noui confluentes, conqueri possent nihil sine se in anterioribus ritè decretum; quippe Ecclesia vniuersalis non consensisset, vbi ipsis inexpectatis res esset definita. In casu autem schismatis non sic, quia nil amplius tunc agit Concilium, nisi certum eligere Papam; ad quod sufficit, si tot Cardinales adsint, quot possunt, ad quos spectat de electione Pontificis; Vel si teterrimum (quod Deus auertat) casum confingas, hos omnes defecisse, Romanus Clerus, & populus sufficeret pro acclamando sibi Antistite, sicùt olim cõsuetum fuit in alijs Ecclesijs.

19 Quòd si etiam in casu hæresis Papa iudicetur à Deo, inanis est illa exceptio, toties à sacris canon. repetita, & in superioribus inculcata, quòd Pontificum caussas sibi Deus reseruarit, quòd à nemine hominum possint iudicari; quòd eis oues teneantur acquiescere, præterquàm si à fide exorbitauerint; Vno verbo omnia potuissent concludi, quòd semper caussa Summi Pontificis ad Diuinum est deuoluta tribunal; At verba non sonant Ecclesiæ facultatem inesse, declarandi Papam Cœlitùs deiectum, quin potiùs ab ea posse iudicari crimen Papale hæresis, prout alia eiusdem crimina iudicanda, soli reseruata sunt Deo; Referebat sic Innocẽtius: *Vt cum de cæteris peccatis Deum iudicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesia iudicari.*

20 Vrgetur, nàm si Papa notorius hæreticus, sit ipso facto, per Deum Pontificatu exutus, ab inde Ecclesia carebit legitimo

DE REGVL. ARISTOCR. Ca-

Capite, ergò poterit alium eligere, & si ille, quò in solio perseueret, sententiam retractans resipuerit ad Catholicam fidem; vel opus erit noua electione, si eundem permanere velit in munere, cum à priori deciderit: quæ omninò sunt falsa. Nàm & si animo deliberato palàm Pôtifex apprehenderit hæresim, si postea resipiscat, in iurisdictione perseuerat sua, vlteriori reelectione aliunde non expectata.

21 Propterea sunt qui dicant, Concilium ipsum habere potestatem deponendorum hæreticorum Pontificum; eo quia ad eos pertineat destitutio, ad quos institutio, extrà de Hæret. c. cum ex iniuncto; liquet autem Romanos Pontifices immediatè à Deo non institui, sed per electionem humanam Ecclesiæ; quàmuis Pontificatus ipse Diuinitus sit institutus, applicatio tamen eius ad hanc, præ alia, personam, cum sit iuris humani, poterit etiam eiusdem disiunctio indidem originari; quod non erit iurisdictione suprà Papam gaudere, sed super coniunctione papatus, cum hoc homine, aut illo. Itàq; siue clàm, siue palàm hæreticus Pontifex Pontificium non amittet, donec ab Ecclesia dignitas illi collata non repetatur.

22 Nec refert, quòd infidelibus nulla ipso facto competat in Ecclesia iurisdictio, tanquàm non membris; Hæretici nanq; non sunt huiusmodi, sicut cæteri infideles Gentiles; illi siquidem, licet extrà Ecclesiam sint, in respectu ad fidem, sunt nihilominus intrà, si consideretur in eis baptismalis character, qui signum imprimitur distinguendi oues de Christiano ouili, à cæteris infidelibus; ac proinde poterunt esse subiectum, in quo recipiatur forma Pontificatus, quàmuis ob carentiam fidei sint in proxima dispositione ad interitum, vltimò caussandum per Ecclesiam separantem, quæ licet potestatem non habeat super papatus formam, nec super Papam ipsum, potest tamen circà coniunctionem, vel separationem talis formæ cum tali subiecto; eo prorsus pacto, quo generans hominem, nec materiam, nec rationalem formam creat, sed vtrunq; coniungit, aut separat interimendo.

Quæ poteſtas vocatur ab aliquibus, vt rem alleuent, non iuriſdictionalis, ſed miniſterij, minor ipſa papali auctoritate; Nemo enim cordatus dixerit, facultatem eligendi Pontificem Max. ſede vacante, quæ in Eccleſia Diuinitus reſidet, eſſe ſuperiorem, aut parem Pontificiæ poteſtati à Deo inſtitutæ, ad cuius coniunctionem, cum hoc, vel illo ſubiecto miniſterialiter ipſa concurrit.

23 Neq; tamen hoc difficultate ſolutum eſt. Scio quando agimus de inſtitutione, vel depoſitione Papæ, non eſſe requirendam potentiam Papali ſuperiorem, tunc enim Papatus non fit, aut corrumpitur; ſed ſemel excellentiſſimè à CHRISTO Domino inſtitutus, & perſeuerans, à ſubiecto in ſubiectum transfertur humanitùs. Tamen hanc miniſterialem poteſtatem, non conſtat conuenire Eccleſiæ, ſuper Papam adhuc manentem Papam. Si enim (vt Auctorum horum vtamur principio) per eaſdem cauſſas reſoluitur res, per quas conficitur: ad diſſolutionem Papatus cum tali perſona, neceſſarius erit vt Eccleſiæ, ità etiam deponendi Pontificis aſſenſus; ſicut inſtitutioni eadem duo ſunt neceſſaria.

Prætereà in quocunq; alio crimine, poſſet Eccleſia ſuum Paſtorem deijcere, omnem contrariam legem ſic eludens quòd id præſtaret in miniſteriali ſua virtute coniungendi, vel diiungendi Pontificium, cui maluerit ſubiecto. Teſtimonia ſcripturarum nulla indicant aliquid iuris eſſe fidelibus ouibus, deponendi Paſtores à fide deuios, ſed ſolummodò recedendi ab eis; Num. 16. dicitur: *Recedite à tabernaculis impiorum*, ad Teſſal. 3. *Subtrahatis vos*, Gal. 1. *Anathema ſit, ſeu ſeparatum*, ad Cor. 6. *Nolite iugum ducere, &c.* 2. Ioan. 2. *Nolite recipere*, ad Tit. 3. *Deuita, &c.* Nunquàm tamen auditur: Ipſi Paſtores veſtros hæreticari incipientes deijcite; Quod tamen ſi foret licitum, ex Scriptura, & Diuina inſtitutione habendum eſſet, infrà quam nulla iura queant ſubijcere in caſu hæreſis Pontificem vniuerſalem, cæteròqui Diuinitùs ſuper Concilia, & Eccleſiam omnem conſtitutum. Et quàmuis ad ſegregationem

consequi videatur amissio iurisdictionis in perfido superiore, quì tamen scis quomodò hęc degradatio contingat; an per Ecclesiam, vel per Deum?

24 Quod additur, Hæreticos ratione baptismalis characteris penitùs non esse abscissos ab Ecclesiastico corpore, ideòq; manteneri in sua iurisdictione, quoad vsq; per Ecclesiæ sententiam spolientur, non subsistit, tanquàm nullo modo, nec ipsi ab Ecclesia proclamati, exaugurati, possent à fidelium Congregatione extrudi, cum charactere indelebili sint per baptismum stigmatizati; Sed quid prodest ad vnionem signum, si ouis cum eo ab ouili dissociata paletur? Minùs probatur, quòd à potestate Ecclesiæ, quę sit minor papali, possit vniuersalis Pastor deponi, id enim fieri habet iudicialiter, per citationem, & defensionem, iuxtà c. si Papa, & alia de hoc loquentia iura; Atquì apparet minorem potestatem non posse citare, sententiam ferre, & cogere.

25 Ad extremum: vel fides Catholica est simpliciter necessaria ad conseruandam iurisdictionem Papæ, & alijs quibuscunque Prælatis, vel non; si primum, ergò amissa fide per hæresim internam, aut saltem manifestam, absq; alio Ecclesiæ iudicio, forma papatus desinit in subiecto inepto; si alterum, quarè ergò deponendus magìs Pontifex ob hæresim, quam adulterium, aut furtum, &c.? Vides vt hæc quoq; via, sua perplexitate non careat; quàmuis rationabilior cæteris, in eo quòd Papam Diuinitus quidem repelli, asserit, at per Ecclesiæ Ministerium Diuinam ille publicetur incidisse sententiam; ante quam publicationem, acta omnia licet illegitimi Papæ sunt rata.

26 Tutissima verò, & expeditior via tenenda est, quòd casus sit impossibilis. quo summus Ecclesiæ Pastor pertinaciter, & hæreticè à Sancta fide exorbitet; prohibente hoc Diuini numinis assistētia, tāto debita Capiti, nō modò prout publicus Ecclesiæ sedet Iudex, sed etiā, vt priuatus talis homo, cui onus illud innititur. nec mirer, si hinc inde, quò quò res superiùs verteretur, tot incommoda surgerēt, ex hypothesi absurda, & impossibili.

27 Floccipendo, quod aliqui magni videntur facere pro argumento, quòd Papa in hæreſim prolabi poſſit; id in frequentibus haberi iuribus, c. ſi Papa, &c. de ſuppoſitione enim loquuntur hæc iura, ſiue ea ſit poſſibilis, ſiue non; nec inſolitum eſt, ad exaggerandam, & magis, magiſq; rem aliquam firmandam, aduerſus impoſſibiles quoq; euentus præmuniri; ſcilicet maneat ità certum, Papam fidelem eſſe oportere, vt ſi poſſet fidem deſerere, ipſe eſſet à fidelibus deſerendus; Sic Paulus monebat Galatas: *Licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præter id quod euangelizauimus vobis, anathema ſit*, Gal. 1. & tamen certò ſciebat Apoſtolus, ſe nunquàm palinodiam cantaturum, & impoſſibile, quòd Cœleſtis Angelus contrà Euangelium prædicaret. Morem eundem ſacris quoq; Canonibus ineſſe percipies in eo, quòd inducebatur ex c. audiuimus 24. q. 1. de Pontifice: *Sin autem ex corde ſuo nouam hæreſim confinxerit, ex quo talia prædicare cæpit, &c.* Sicut ſuperiori cap. Petri ad Clementem aiebat cathechefis: *Ex eo fiet, vt tu, tanquàm qui non docueris, quæ ad ſalutem hominum pertinent, deponaris*; Quis tamen certiſſimum non habeat, Papam pro munere, & officio, non poſſe Eccleſiam ſua doctrina, aut prædicatione ſeducere?

28 Quod & ſi Catholicis omnibus, certo certius eſſe debeat, occaſione hìc facta, proderit demonſtrare, tanquàm proximum manuducens principium ad poſitam concluſionem: Impoſſibile eſſe Papam, etiam vt priuatum hominem vlla hæreſi dementari.

Vt ſingula gradatim firmentur, ambigere primò non licet, quin relicta ſit in Eccleſia facultas à Christo Domino, quæſtiones fidei dirimendi, articulos explicandi; ſecùs non fuiſſet ei ſufficienter prouiſum in neceſſarijs, nec meritò diceret Dominus: *Quid eſt quod debui facere vineæ meæ, & non feci ei?* Iſa. 5. Quid verò neceſſarium magis vnitati Eccleſiaſticæ, ad obuiãdum ſchiſmati, vt ſicut vnum baptiſma, ſic vna fides colatur, quàm ſupremum quoddam tribunal, ad quod lites omnes, & controuerſiæ circà fidem deferantur, dirimantur, quod ſit cre-

 den-

dendorum regula, cui omnes conformentur, & subscribant fideles? Casu, & opinione viueremus, si quisq; suum placitum sequi posset, nec vnum, præ alio, proponeretur credendum. Hinc prouidus Paterfamilias post sepem charitatis, amplexu omnia cingentem, post extructum torcular in spem vindemiæ, Turrim quoq; firmam fidei locauit in medio eius, de cuius specula procul arcerentur hostes. Et licet Scriptura Sacra, & traditio Ecclesiastica normæ sint, vnde rectitudo definiendorum sumitur, amplius regula aliqua viua, & Iudice controuersiarum opus fuit in Ecclesia, qui normam illam emortuam applicaret, & iudicium de rectitudine, aut obliquitate proferret.

29 Hoc autem tribunal non posse dici vniuersale Conciliũ claret; tùm ex ostensa subiectione huius ad Papam, sinè cuius approbatione omnia decernit infirmè; tùm ex eadem fidei vnitate; nàm dum vni capiti non sint subordinanda, plura congregari possunt Concilia contrariantia in doctrinis, quorum nescias vtrum votum sit amplectendum; Tùm adhuc, quia Conciliorum plurium errata circà fidem legimus; Romanæ verò sedis nulla. Ephesinum secundum Ecclesia cum Leone damnante respuit, & per Chalcedonense correxit. Ariminense, quàmuis frequentia DCCCXXX. Episcoporum celeberrimum in rebus fidei offendit. Monarchicus autem Apostolicus thronus, nec vnquam in dogmatibus legitur defecisse, nec creditur defecturus c. in sede, c. memor, c. hæc est fides 24. q. 1. vbi Hieronymus: *Sancta* (inquit) *Romana Ecclesia, quæ semper immaculata permansit, Domino prouidente, & B. Petro opem ferente, in futurum manebit, sinè vlla hæreticorum insultatione, scilicet prauialente, atq; firma, & immobilis omni tempore persistet.*

30 Nec te decipiat, quòd assistentiam perpetem Spiritus Sancti audias à Domino promissam Ecclesiæ, Io. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis spiritum veritatis, vt maneat vobiscum in æternum.* Qui spiritus veritatis, præcipuè quoad fidei dogmata, sit attendendus, ex eodem Saluatore dicente: *Cum autem venerit ille Spiritus, docebit vos omnem veri-*

tatem, Io. 16. Insuper ipse Dominus nunquàm Ecclesiæ est defuturus, nàm ait: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem sæculi*, Matt. vlt. Ità siquidem complexè hæc oportet intelligi, vt Ecclesia perfecta, integra ex capite, & inferioribus membris, veritatem indefectibilem haustura sit ex assistente Paracleto, vt inferiora membra doceri nequeant falsum, quamdiù suo legitimo Capiti audierint; & istud ità sacro afflamine perfundatur, vt falsum sit impos docere; Cumq; neq; his, neq; illis membris tutò promissa sit indefectibilitas, sed vniuersim Sanctæ Ecclesiæ, vt nunquàm in ea vera occidat fides; & si cadunt Angli, aut Germani (sit exemplo) surrecturi sunt Indi, aut alij, consequens fit, vt remaneat aliqua regula in Ecclesia, ad cuius conformationem, vel obliquationem hæc membra cadere, illa potiùs stare dicantur: huiusmodi ipsum Caput esse decet firmissimum.

Ecclesia Catholica comparatur terræ, ob fidei firmitatem; Vnde Aug. in illud ps. 10. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi*. Interpretatur de Ecclesia, vsurpans illud Apostoli 2. ad Timoth. *Quia prædestinata est columna, & firmamentum veritatis*. Columna autem hæc, & terra, non nisi Apostolicam habet basim, & fundamenta in montibus Sanctis. Basis est, cui dicitur: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi* (hæreses ait interlinearis) *non prævalebunt aduersus eam*. Mons firmissimus fundamentalis est Ecclesiæ Caput, de quo Sponsæ accinit CHRISTVS: *Caput tuum vt Carmelus*, Cant. 5.

31 Esto ad Charitatem singulorum pectoribus impetrandam, pro omnibus Discipulis Saluator fuderit preces: *Ego pro eis rogo: Non pro mũdo rogo, sed pro his quos dedisti mihi: vt sint vnum, sicut & nos*, Ioan. 17. Verùm pro fide impetranda, quàmuis hostiles omnibus imminerent insidiæ, pro solo Petro rogatum est tanquàm capite in cæteros influxuro fidei sanitatem: *Simon Simon ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando*

conuersus confirma fratres tuos, Luc. 22. Scimus omnes vbicũq; geminatur verbum, vim ibi fieri, & aliquid graue intendi à loquente, l. balista ff. ad Trebell. quantò magìs in sacris literis proprij nominis Simonis illa repetitio mysterio non vacabit? hoc profectò apertè importat, ne cæterorum aliquis sibi fideret, sed Simoni ipsi, & soli, in fidei re omnes deferrent, à quo omnes firmandi.

32 Scripturæ huius euidentiam, quà quà extorserint innouantes; nobis orthodoxorum Patrum communis interpretatio firmat; Ità Leo serm. 2. de sua assumpt. *Specialis*, ait, *cura à Domino Petri suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquàm aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergò omnium fortitudo munitur, & Diuinæ gratiæ ità ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.* Agatho Constantino scribit, & à sexta Synodo vniuersaliter approbatur: *Consideret itàq; vestra clementia, quoniam Dominus, & Saluator omnium, cuius fides est, qui nunquàm fidem Petri defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædecessores, confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum.* Bernardus Innocentio scribit: *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæq;, & scandala emergentia in regno Dei; ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum nanq; arbitrer ibi potissimum resarciri damna fidei, vbi fides habere defectum non posset; hæc quippe prærogatiua est huius sedis; cui enim alteri dictum est: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua?* Quod priuilegium cum in vniuersalis Ecclesiæ tetenderit bonum, ad confirmandos Christi fideles, non debet Petro functo fuisse surreptum, siquidem in dies magis ac adamantina firmitate Apostolicæ fidei opus futurum erat in Ecclesia; sic seculorum posteriorum serente nequitia, quæ nouas hæreses nunquàm non destitit feraciter germinare, quibus cõcussi fidelium animi essent ab Apostolica soliditate firmandi.

33 Sinagogæ inuideret Ecclesia, si de Petri sede infallibilis fidei

veritas non prodiret, ficuti de Cathedra Moyfis feruanda, & audienda dogmata refpondebant vel ipfi Scribæ, & Pharifæi, alioquì peruerfi, de quibus veritas infit: *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi, omnia ergò quæcunq; dixerint vobis seruate, & facite, quæ autem faciunt facere nolite*, Matt. 23. Ad Myfterium hoc refert Ambrofius, quòd Dominus Petri nauiculam præ alijs, docturus turbas, afcenderit: *Hanc solam*, dicens, *Ecclesia nauem ascendit Dominus, in qua Petrus magister est constitutus: hæc semper supernatat in altum huius seculi; ità vt pereunte mundo, omnes quos suscepit seruet illæsos; illi siquidem promissū est, quòd portæ inferi nō præualebunt aduersùs eam.*

34 Omnia aufpicatò tot feculorum exitus comprobauit; fola Petri fede incoinquinata perfeuerante, cum cæterorum Apoftolorum Ecclefiæ non fteterint; immò Hærefiarchas peftilentiffimos dederint: Hierofolymitana, Antiochena, Alexandrina, Ephefia, Conftantinopolitana, Cæfarienfis, Smyrnenfis, Orientales omnes Ecclefiæ, Græcia, Carthago, & Africa defecerunt. Romanā hærefeon omnium domitricem, fecula fingula funt venerata; à qua difcedentes, perditionis in voraginem corruerunt. Propterea Damafo profitebatur Hieronymus: *Ego nullum primum, nisi* Christum *sequens, beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri, communione consocior; super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio; Quicūq; extrà hanc domū agnum comederit, prophanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio.*

35 Non abs re factum arbitror, quod primam Diuinitatis in Christo confeffionem, Apoftoli ex Petro didicerint, cum Patre cælefti reuelante, interroganti Domino folus refpondit: *Tu es* Christus *filius Dei viui*; Vnde viciffitudinem illam retulit: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Ad quæ Origenes: *Non exprimitur*, inquit, *vtrum Petro non præualebunt, aut Ecclesiæ, quam ædificat super Petram, tamen manifestum est, quòd nec aduersùs Petrum, nec aduersùs Ecclesiam portæ præualebunt*

bunt inferorum. Quod mirificè fauet Pontificis ſtabilitati in fide, non tàm prout eſt Caput Eccleſiæ, quàm etiam, vt talis priuatus homo, cui ineſt Eccleſiæ principatus; Nàm Petrus, prout eſt Caput Eccleſiæ, non erat ab hac contradiſtinguendus, ità vt alia peculiaris fidei indefectibilitas eſſet quærenda; eo enim ipſo quòd Eccleſia ſimpliciter ſit infallibilis in fide, ſuum etiam Caput eſſentialiſſima pars in ea conſtantia includebatur; Non ſic, ſi conſideretur Pontifex, prout priuatò ſibi credit, colloquitur, aut etiam ſcribit; ſecundum quem reſpectum, non magìs pertinet ad integritatem Eccleſiæ, qua vnuſquiſq; noſtrum, qui membra ſumus quidem, at non adeò neceſſaria, vt ſine aliquo ex nobis, Eccleſiæ indefectibilitas non poſſit ſubſiſtere. Sed de hoc ſtatim.

36 Interim cōcludatur eſſe in Eccleſia certam regulam credendorum, viuam; nec ſatis eſſe inanimem Sacræ Scripturæ normam, cuius neuter ſenſus ſufficeret ad dirimendas fidei controuerſias; non literalis, quia potiùs: *Litera occidit*, 2. Cor. 3. & ſæpe numerò videtur credendis contrariari; neq; ſpiritualis, ob frequentem perplexitatem, cuius indicium ſit ipſe Lutheranorum, & Caluiniſtarum diſſenſus, qui, dùm aſſerunt ſcripturam per ſe ipſam omne dubium clarè explicare, aut alterutros nimiæ peruicaciæ arguit, qui non acquieſcant apertè à ſcriptura definitis; aut cogit vtroſq; mentiri, dùm contrarietatem, & hærentiam, non verò planitiem prætenſam in ſacris experiuntur eloquijs; quæ dum hi ad ſuum ſenſum detorquēt, alij quoq; ad ſuum, eo ipſo fatentur factis, quod improbant dictis, conſtituendum aliquem Iudicem viuum, qui regulam ſcripturæ emortuam, inobliquabiliter applicet. Multò magis ſi de ipſarum ſcripturarum canonica acceptatione inciderit quæſtio, nonne prius hoc in Eccleſia debet eſſe decretum ab aliquo ſuperiori infallibili Iudice, quinàm libri Canonici ſint, & adſtruant auctoritatem, quàm ijs vtamur, præ alijs, in fidei controuerſijs dirimendis?

37 Viua hæc regula debuit eſſe vnica: nàm pluribus datis, ſe ſe

inuicem impedirent, possentq; in concertatione perplexum fidelium populum derelinquere; aut cui mallet crederet, aut vtranq; despherneret, nulloq; pacto fidei subsisteret vnitas. Cum igitur in Cathedra Petri ostensum sit priuilegium indefectibilis fidei impetratum: Solius Romani Põtificis iudicium rebus fidei præsidebit; illudq; certum,& infallibile;quia si minimum erroris admittatur posse in fidei determinationem irrepere, vniuersorum fides destruitur, semper cum eadem formidine hærent. Relinquitur ità esse vera, quæcunq; inde proponuntur credenda, vt non repugnet subesse falsum. Peruersitas Pontificum si fuerit in cæteris moribus, nihil splendorem elucificat iudicij in credendis, quia vt attigimus Scribarũ,& Pharisæorum nequitia Cathedram Moysis non infatuabat. Et si Ecclesiæ vniuersæ non sit appromissa iustitia in cæteris moribus, immò aliquando exuperante nequitia multorum charitas refrigescet; portæ tamen inferi, scilicet hæreseon scholæ, non præualebunt aduersus eam.

38 Quid? neq; Sinagogæ fornicariæ cum Dijs alienis, priuilegium huiusmodi est denegatum, vt dictitaret rectè, operatrix iniqua, de qua Salomon: *Fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius, nouissima autem eius amara quasi absinthium, &c.* Prou. 5. Quantò congruentiùs Dilectus Ecclesiæ cantillabit: *Fauus distillans labia tua sponsa, mel, & lac sub lingua tua?* Cat. 5. Insuper solius Summi Pontificis ore, synagoga sonabat irrefragabilem iudicij veritatem, ex aliàs inducto textu, Deut. 17. *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, &c. venies ad Sacerdotem Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore; quæresq; ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, &c.* Singulariter concludendo: *Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille.* Ità pariter in vnum Romanum Pontificem, nos omnes decet intenta ora tenere, à quo fratres confirmandi in fide, ijdem sumus, ac oues pascendæ, genus quandoquidem pabuli necessarium,

rium, etiam doctrina est, Hierem. 3. *Dabo vobis Pastores iuxtà cor meum, & pascent vos sapientia, & doctrina*; Licet consilio Pastor vtatur aliquando multorum, Salomone annuente: *Verba sapientum sicut stimuli, & sicut claui in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à Pastore vno. His amplius fili mi ne requiras*, Eccl. 12.

39 His ità examinetur iàm, vt subsistat discrimen communiter ferè vulgatum, inter fidem Capitis Ecclesiastici, & fidem priuatam eius hominis, qui sustinet Pontificium; quòd videatur illa, vt relationem ad vniuersam corpus Ecclesiæ importat, nō posse doctrinam insanam influere, huic autem pro se liceat opinari quid lubeat; nil curæ esse Diuinæ prouidentiæ, quidquid vnicus priuatò sibi crediderit homo; tantummodò infidelitatis virus, contagiosa institutione, prædicatione, ac definitione, non serat in populo.

Mihi verò ingenuè, adeò hæc inseparabilia videntur, vt si dederim (quod negare non licet) vniuersam Catholicorum fidem infallibiliter ex Sanctissimi Domini Nostri Vrbani Papæ instructione pēdere, neq; ipsius Vrbani priuatam peculiarem fidem posse labascere certum habeam; ac proinde inutilem esse quæstionem ex hypothesi minus possibili. Quid faciēdum Ecclesiæ de hæreticante Summo Pontifice.

40 Quì id probem instas? dicam; interim age porrò tu, quì id improbes? A priori assignas, quia actus fidei etiam in Pontifice meritorius, ac liber est, & per consequens voluntarius, ex potentia, non ita alligata ad vnum, quin ad alterum relinquatur indifferens. Insuper nihil ad Gregem Christi, si Pastor scabie ipse laboret, quæ propagari non possit in pecus. Nil præter à Domino Pontifex retulit virtutis, quàm vt sufficiat Ecclesiæ incolumi dirigundę; Hoc autem sufficienter expletur, si Cathedræ Diuinum numen assistat, prohibēs ne quid inde exeat, quod fidelibus opponatur in scandalum. A' posteriori reclamas, plurimos Romanorum Pontificum in hæreses proruisse, quæ fidem faciunt certam, fidem eorum non esse certam. Hæ

ſunt, nec aliæ cautes, ad quas aduerſariorum reliditur alga.

Sed prima conſequentia eſt indigna Theologo; adimi ſcilicet actionibus libertatem, & meritum, eo quia operator fuerit tàm firmæ virtutis, vt ad oppoſitum vitium nequiuerit inclinari. Immenſum Christi benedicti ſic perdimus meritum, quia impeccabiliter eſt virtutes omnes amplexus; ſic Diuinæ voluntati adhæſit, vt ab ea prohiberetur auerti. Cum fides ex habitibus ſit ſupernaturaliter infuſis, non video hinc, quarè tantum ex ea cui hominum non poſſit perſeueranter infundi, quatenus veritatis fulgore cælitus irradiatus, in hæreſi nunquàm caliget.

41 Neceſſitatem mihi perſuadeo maximam eſſe in Eccleſia, de indefectibili fide Pontificis propria perſonali. Primò ex perplexitate, quam, vt oſtendebam, Eccleſia incurreret, ſi eius Monarcha in fide deſiperet, virtutum omnium perneceſſaria. Quò adduci poteſt illud Apoſtolis enunciatum. *Vos eſtis ſal terra, quòd ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur?* Matt. 5. quod autem ſubditur: *Ad nihilum valet vltrà, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Ad exaggerationem eſt, vſq; ad impoſſibile; eo modo quo ſacri loquuntur Canones, ſi accidere poſſet Apoſtolicum ſucceſſorem temerare fidem, eijciendum foras. Cæterùm Euangelica ſimilitudo benè petita eſt, vt quemadmodùm impoſſibile eſt, vt ſal ſuam ſalſedinem deſerat, non minus repugnet Apoſtolicam infatuari doctrinam. Et ſicut, ſale infatuato, terra vniuerſa deſiperet, nihilq; ſupereſſet, in quo ipſum ſaliretur; ità errorem Apoſtolicum non eſſet qui caſtigaret, cùm præter Cathedram Petri in Eccleſia non ſit ſalina, vnde Pontificis cōdiatur inſipientia. Vt ergò incongruum eſt, in Chriſti paſcua ſapientiæ deeſſe ſales, ità impoſſibile eſt, Paſtorem deſipere. Locum hunc de perſonali ſapientia Apoſtolica particulari intelligendum, res ipſa ſuadet, cum de eiuſmodi deuiatione à vera doctrina ſit ſermo, quæ mundum ſcandalizaret; qualis eſſet, ſi ipſæ columnæ Eccleſiæ collabaſcerent, vt commentatur Aug. lib. 1. de ſerm. Dom. in monte c. 6. *Si vos*

per quos condiendi sunt quodammodò Populi, metu persecutionum temporalium amiseritis regna Cælorum; qui erunt homines, per quos à vobis error auferatur, cum vos elegerit Deus, per quos errorem auferat cæterorum?

42 Faciunt eòdem sequentia: *Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi suprà montem posita, neq; accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio; sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt: sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.* Ecce, estò omnia bona opera luceant, & proximis salubrem commonstrent viam, propriè tamē prædicatio fidei lucerna dicitur, iuxtà illud: *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, Ps. 118. Hanc ipse Deus accendit: eodem teste Propheta: *Tu illuminas lucernam meam Domine*, Psal. 17. Vniuersalem autem, quæ luceat omnibus, qui in domo sunt, idest vniuersali Ecclesiæ, non accendet insipienter sub modio, vt tenebrescat aliquando; sed subiectum eius, videlicet Pastor Ecclesiæ Summus, tale erit candelabrum, quod iugiter fidei lumen sustinens, & ostentans, in se intendentes illustret, quod impossibile sit obtenebrari, sicut: *Non potest ciuitas abscondi suprà montem posita.* Profectò accendisset Dominus sub modio lucernam Sanctæ fidei, domesticos suos illustraturam, si in Pont.Max. eam locasset, in quo, non modo delitescere, sed penitùs posset restingui. Nec sufficit, si dixeris lumen viuidum semper remanere in Cathedra; nàm de personis loquitur textus, quæ bono exemplo, vt in cæteris sanctis operibus, sic in fide præluceant necessariò; cum hæc simpliciter sit necessaria ad constitutionem Ecclesiæ, dicens: *Vt videant opera vestra bona.*

43 A fide ipsa personali Pontificis obmutescentis, addiscimus nostram fidem. Non est in illo distinguere, quando prædicet, quando autem non. Semper, siue dicto, siue facto Prælatus inclamat, præsertim Maximus. Nemò indecens retur, quod cernit ab illo patrari. Tutò se existimabit quisq; credid.sse, quidquid supremi Pontificis fidei fuerit conformatum; etiam si hic nil aliud moneat; quia, vt Gregorius, & Seneca inquiunt: Ef-

ficacius suadent exempla, quàm verba; infirmiùs prædicat lingua, quàm mores; quod in proposito insinuauit Apostolus: *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis loquuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem*, Hebr. 13.

Loquatur experientia, qua nouimus complures de hęresi insimulatos, non melius arbitratos impositas posse refelli calumnias; quàm si fidem professi essent eius, qui pro tempore sederet Romani Pontificis; quasi sibi imputandum minimè foret ad noxam, quod ab inobliquabili eius mente didicissent exemplo. Ità Flauianus Antiochenus, Paulinum, & Apollinarem, prauæ opinionis habēs suspectos, interpellauit eos dumtaxat, an Papæ Damasi fidei adhærerent, & ad Apollinarem Melitus conuersus: *Miror*, inquit, *quòd à veritate reclames, cum Damasus apertè dicat, Verbum Dei integram nostram naturam assumpsisse*.

44 Vnicum parari videtur effugium, si dicas, saltem in hæresim occultam posse Papam incidere, quæ nemini scandalum exhibeat, cum intrinsecus lateat, forinsecus sanam profitentē Doctrinam. Nihil dicitur potest enim Papa aliud prædicare, & aliud corde sentire contrarium, sed non itidem valet contradictorijs propositionibus simul assentiri, vt sit bifidus, sicut potest esse bilinguis; Cum fides assensus sit certus cōtradictorium excludens, vnica esse potest in intellectu humano. Atqui fides Pontificis est, quæ confirmare habet Ecclesiam; igitur, aut ipsa semper oportet inconcussa remaneat, aut simul vniuersæ Ecclesiæ fides etiam valeat deperire, illi annixa: quod tamen nemo concedet, vt cadat scilicet vinculū matrimonij inter CHRISTVM, & Ecclesiam, cui dicitur: *Sponsabo te mihi in sempiternum, sponsabo te mihi in fide*, Ose. 2. Nisi commentiaris Papæ duplicem fidem; qua veluti pallio ad libitum exuat, & induat suum intellectum, aliter credens cum sibi vacat, aliter cum publicè foras processerit, hìc Ecclesiæ, ibi propriam sequens opinionem, neutrobi fidem certam.

45 Quod etiã vt tibi dederim, perpendas opto, non fuisse enunciatum Petro, vt fratres confirmaret fide Ecclesiæ; Hoc porrò fuisset identicum, confirma in fide Ecclesiam, fide ipsius Ecclesiæ; sed fide propria, quam ipse, præ alijs indefectibilem cælitus erat consecuturus: *Rogaui pro te* (ait Dominus, pronomine certam demonstrans personam, quam proprio Simonis nomine specialiter compellarat) *vt non deficiat fides tua*; quod pro eodem habeo, atq; nequando tuus intellectus decipiatur in credendo; nàm si deciperetur Petrus, profectò fides eiusdem deficeret. Non verò, quasi posset Petrus discredere, & nihilominus fratres confirmare, aliunde desumpto fulcimine, qui à sua ipsius fide sola illud monetur repetere. *Vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*; eadem scilicet fide tua. Secus dicendum erat: Rogaui pro te, ne quando patiaris in fratribus fidem Ecclesiæ reperire defectum. Atq; ità nihil specialius Petro esset impetratum, præ Apostolis cæteris, sed tantùm adauctum onus cæteros confirmandi, sine vllo suo prouentu.

46 Immò deterioris cõditionis esset, qui sustinet Ecclesiæ vniuersæ regimen, quàm sint subditi cæteri fideles. Petrus infirmior fuisset Apostolis cæteris: hi siquidem quia defectibiles, habent fulcimentum Diuini numinis, loquuturi ex ore Petri Pastoris, tantùm in salutem, & confirmationem Gregis; at Pastor ipse pariter si esset, sicut cæteri, defectibilis, nullibi adiutorium sperabit, nisi ipse corruens semet erigat. Sensus igitur Dominicæ sententiæ hinc inclaret huiusmodi: Cæterorum fratrum particularis fides, ò Simon, à te firmabitur, vt autem, & tu, fide non labaris: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Impetrauit Dominus Petro, quidquid ab hoc recepturi erant fratres. Sic recitatus Leo ser. 2. de sua assumptione aiebat: *Vt firmitas, quæ per* CHRISTVM *Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur*. Sed huiusmodi sigillatim, & personaliter corroborãdi erant in fide; Sic ergò, & persona Petri, & cuiuscunq; successoris, est indefectibiliter in fide firmata; In fide, inquam, fir-

firmata stabiliùs fuit persona Pontificis, quàm cæteri fidelium essent ab ipsa firmandi. Quì intelligere vales fontem exhaustum, & tamen riuos fidelitatis ab ipso defluere, & Ecclesiam irrigare? hominem ipsum, in quo hæc fundatur prostratum, ea stante? Vbi sunt axiomata Philosophorum? *Nemo dat quod non habet: Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis?* Ecclesia est firma ob fidẽ Pontificis, quomodò hic esse poterit infidelis?

47 Opinionem hæreticam habere, est falsitatem aliquam dicere, & credere sic esse credendum ab omnibus, consequi volentibus vitam æternam. Pugnant ergò inuicem hæc, & quòd Pastor vniuersalis sibi credat dogma aliquod necessarium ad salutem, quin ab omnibus pariter duxerit esse credendum, ipsumq; cunctis propinet. Si Papa (ad exemplum) Arrianus fuisset, aut Monothelita, qua conscientia Arrianos, aut Monothelitas damnasset, & non potiùs arrisisset dicens, ità est, sicut vos, oportet credi? vel cur ipse ab ea hæresi non recederet, quã sciret se iustè, & inerranter in alijs condemnare? Durum est captu, quomodò cæcus Pontifex cæcam Ecclesiam ducat, & ambo non trahantur in foueam, aut qui lumen prægestat alijs, ipse obtenebretur.

Ecce quanta fuerit personalis fidei Petri annexio ad vniuersalis Ecclesiæ bonum; vtq; decuerit priuilegio hoc Principem Apostolorum decorari, eiusq; Hæredes; si modò ad solos triginta duos Annos, quibus D. Petrus CHRISTO superfuit, nõ fuit isti curæ Ecclesia; si conducit iàm vbiq; propagatam non negligi, quæ nascens, & modica, adeò anxiũ habuit Conditorem.

48 Sed vt proprijs eorum armis adhuc à nobis aduersarij petantur, sicut in natura id reputat Philosophia nunquàm futurum, quod nec dum tot seculis est accidisse notatum, ità Romanos Pontifices à fide nunquàm deuiaturos præsumemus in posterum, quos vsq; huc, tot tentationibus obfirmatos, nullis casibus fractos, nunquàm pseudodoctrinis nouimus vllos infectos. Exinde Gregorius Romanæ Ecclesiæ primatum adstruit, quia cum aliarum Ecclesiarum Pastores aliqui corrue-

rint, dici nequeunt vniuersales; alioqui omnis cum eis cecidisset Ecclesia; ita peculiariter ille in Ioannem Constantinopolitanum inuehitur, qui se asserebat vniuersalem: ***Certè multos Constantinopolitana Ecclesia in hæreseos voraginem incidisse nouimus Sacerdotes; & non solùm hæreticos, sed etiam Hæresiarchas factos*** (Nestorium, & Macedonium notat Constantinopolitanos Episcopos) ***Si igitur illud nomen vniuersalis Episcopi in ea Ecclesia sibi quisquam arripit, vniuersa Ecclesia, quod absit, à suo statu corruit, cum is qui appellatur vniuersalis cadit.*** Epist. ad Maurit.

49 Plurimos Romanos Pontifices hoc hæresis carbone denigrant, qui contrà sentiunt: omnes immeritò. Nec singulis immorabimur diluendis calumnijs, quibus fidei errores statuunt Pontificibus Sanctissimis, ipsi errantes in fide, vt quod Lino contra Euangelicam Doctrinam imponunt, mulieres edixisse in templo velandas; Anacleto, B. Petri tumulum speciosiùs adornasse; Thelesphoro, quadragenarium ieiunium statuisse; Vrbano, Confirmationis Sacramentum post baptismum adhibendum adinuenisse, quo etiam Spiritum Sanctum prædicaret conferri; Pontiano, quòd dixerit Sacerdotes CHRISTI Corpus proprio ore conficere; Gregorio Magno, quòd lib. *3*. Ep. *26*. ad Ioannem Caralitanum Episcopum, Sacerdotibus collationem confirmationis indulserit, errori tribuit. Dur. in 4. dist. 7. q. 4. Ioannes XIII. quòd nolas cæperit baptizare culpatur.

50 Scilicet, si præbeamus aures Hæreticis, Sāctissimi quiq; Pontificum notam non effugient, quorum integritas, præsertim in fide, nusquam canonizatur meliùs, quàm, quòd fidei hostibus comperti sint auersari. Muliebre velamen nonnè est quod suadet Apostolus, 1. Cor. 11. ***Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum?*** Qui Anacletum damnant, quòd Petri tumulum exornarit, & hunc quoq; reprehendant, quasi honesta inter homines vixerit indignus memoria. Quis non statim odoretur Lutheranismum in ægrè ferentibus, quòd per quadragesimale ieiuniū interdicātur helua-

 ri?

ri? sed si malum est hoc, CHRISTO imputent, qui tale reliquit exemplum. Quid erat impositio manus super baptizatos, qui accipiebant Spiritum Sanctum Apostolico tempore, Act. 8. & 19. Si post plura lustra, Vrbani id fuit inuentum? Quod Pontianus pronunciauit, Hieronymi est quoq; ad Heliodorum, scribentis de Sacerdotibus: *Qui Apostolico gradui succedentes*, CHRISTI *Corpus Sacro ore conficiunt*. Nec aliter orthodoxa loquitur, aut sentit Ecclesia. Miror Durandum, cum nihil probet, suam non magis erroneam timuisse sententiam, quàm Gregorij, dicentis Catholicè, vt ex Concilio Flor. sess. 7. cap. vlt. ostendemus Tomo proximè sequenti, dùm docet Episcopum esse ordinarium Confirmationis ministrum, nō absolutè, quatenus extraordinario priuilegio inferioribus id facultatis valeat communicari. Procul anxietas de baptismate Campanarum, quod simplex est benedictio, quàmuis impropriè baptizandi verbo efferatur vulgò. Sed & benedictioni quoq; subindignantur Cymbali, Diuino cultui resonaturi, qui, & calices ipsos sacros, omnemq; altarium supellectilem prophanant.

51 Verè hæc per Pontifices Maximos gesta, falsò damnantur; aliàs verè damnata falsò audio nonnullis attribui. Victor insimulatur negatæ in CHRISTO Diuinitatis, sed ab Artemone, qui Pontificis abusus est nomine, vt suo fidem pararet errori. Sicut Tertullianus Montanista, secum falsò iactabat Zephirinum montanizare. Cæterùm Victor Theodoti, à quo hæresis sibi imputata prodierat, acerrimus extitit redargutor, & vltor, si fide dignandus Eusebius lib. 5. hist. c. 28.

Eiusdem sortis Cęlestinus in albo Nestoriano, à quibusdam notatur, cum tamen nullus acriùs sit in eam sectam inuectus, vt Ephesinum passim ostendit.

Alij Cyprianum videntes epistola ad Cornelium, plura disputare in asserentes Dominicum Calicem, cum purà frigidà offerendum, temerè arbitrati sunt illum pro hoc reducendo adeò laborare, quasi inter catholicos non liceret alienos insectari errores.

52 Vigilius Theodoræ Eutychianæ in quadam epiſtola abblãditur, & duas in CHRISTO naturas confitentibus, dicit Anathema; ſed hæc ſcribens Antipapa erat, ab Auguſtà contrà Sylucrium intruſus; quo mortuo, quando Vigilius legitimus Pontifex à Clero, & Populo Romano eſt confirmatus, priora omnia retractans, Theodoræ acriter reſtitit. Res aſſertum noſtrum mirificè firmans; ſiquidem tantùm abeſt, vt ſeſſor Apoſtolicæ Cathedræ fieri è Catholico poſſit hæreticus, vt potiùs ſi aſſumptus aliquo fuerit errore caligans, illicò reſipiſcat.

Innocentius, & Martinus primi aliquid dicti ſunt ſapere Nouatianum, ille prohibens recipi ad pœnitentiam ſacras Virgines lapſas, quamdiù vixerit Sacrilegus Mœchus; alter Presbyteris, & Diaconis peccantibus, idipſum negans. Benè dixit vterque, ille intelligens, viuente Męcho cum eà perſeueranter in crimine, hic verò de grauiſſimo facinore, ob quod eos Sacris non reſtitui iuſſit, pęnitentiam abſolutè nõ vetans.

Idem Innocentius iudaizare eſt viſus, ad veteris legis præſcriptum, qua Sacerdos non debebat niſi virgini coniugari; Prohibuit ſacerdotio, quoſcunq; nupſiſſe viduæ contigiſſet; Verùm conſultiuè loquebatur, non præceptiuè, congruentiam ſuadens, non neceſsitatem importans. Eidem datur, quòd efficaciam Sacramentorum docuerit ea miniſtri bonitate pendere, quatenùs Arrianorum verum aſſeuerabat baptiſma, Spiritum tamen Sanctum non conferens, quia ex ſegregatis ab Eccleſia proueniret. Benè dixit, de ijs intelligens, qui non modò ab hæreticis, ſed etiam ipſi in eadem labe ſordentes baptizarentur, quos certum eſt nullam recipere gratiam.

53 Nicolaus etiam I. refertur, de Conſecr. diſt.4. c. à quodam Iudæo, docuiſſe ratum eſſe baptiſma in nomine CHRISTI collatum, cum à Zacharia in Anglicano Concilio contrariũ iàm eſſet definitum. Nil mirum cùm neque tunc, neque modò dedefinitio aliqua Eccleſiaſtica haberetur, aut extet, vndè redargui poſſet de hæreſi opinio (quàmuis in communi rece-

ptione falsa) quam apertè defendunt Ambrosius, Bernardus, alijq; Patres, cum quibus Beda sub temporibus Zachariæ viuens, quem verisimile non est, impudenter voluisse contrariari Concilio in sua Patria recèns peracto; Si Concilium huiusmodi in Anglia tunc temporis est habitum, quod ipse Beda dissimulat, nil de eo referens, dum suæ gentis scribit historiam, in qua de cæteris anterioribus singulis Concilijs Anglicis instituit mentionem. Fieri etiam potuisset, vt definiretur, non esse ratum baptisma, tribus Sanctissimæ Triadis personis non inuocatis; at cùm non explicetur, num implicitè eas sufficiat inuocari, non errarunt in fide, dicentes in inuocatione CHRISTI, omnia implicari, ad baptismum validum requisita.

54 De illicito coniugio locutum apparet Siricium, cùm Epistola ad Hispanos Matrimonium pollutionem dixit; cum præcisè dixerit de redeuntibus ad eandem copulam, ob quam publicè pœnitentiam peregerunt, quæ sanè non est Matrimonium sacramentum.

Leoni I. dant, quòd permiserit mulierem alteri nubi, scientem viuere priorem virum, si existimet nunquàm reuersurum. quòd si ad hoc redeunte non repetatur, secundum firmari coniugium. Mendacium apertum, supposuit nanq; Sanctissimus Pontifex nemini fore dubium, huiusmodi nuptias esse illicitas; addidit tamen, quòd si reuertens coniux, de vxore non curet sua, neque hæc de illo, separati poterunt remanere, non tamen cum secundo viro misceri.

55 Gregorius III. circà indissolubilitatem eandem Matrimonij accusatur erroris, permittens viro secundas nuptias, si primæ per infirmitatem, aut impotentiam mulieris frustrentur; Eidem imponitur iussisse reordinari ordinatos ab alijs, quàm ab Apostolicæ Sedis Legatis; error communis Stephano VI. & Sergio III. qui irritantes acta prædecessoris Formosi, quem legitimum detestabantur Pontificem, ille in cadauer eiusdem desæuiens, vterq; reordinari statuerunt, qui ab eo ordinem recepissent; contrà indelebilitatem characteris, quem à legitimo

Episcopo, siuè legitimo Papa, siuè non, receperant. Reuerà tamen Gregorius solùm reordinari indixit ordinatos ab Episcopis, per Apostolicam Sedem non ordinatis. Stephanus, & Sergius ex odio in Formosum, reclamantibus penè omnibus, vt Sigiberti Chronicon refert, per vim degradarunt ab eo ordinatos, quod necesse non erat, si existimassent verè huiusmodi non esse ordinatos ab Episcopo pseudopapà, sed iterùm ordinandos.

56 Gelasij verò non est libellus in Eutychetem, in quo habetur non fieri transubstantiationem in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento; nihil quippe tale in pentateucho reperitur, verè à Gelasio edito in Eutychetem. Et quod de Consecr. dist. 2. c. comperimus, dicit sine ingenti sacrilegio speciem vnam Sacramenti sumi non posse, sinè altera, ad Sacerdotes refert, quorum est completm persoluere sacrificium.

Anastasius II. cõmunicasse dicitur Photino, qui cum Achatio hæretico participauerat. Nunquid non licet hoc Pontifici, vt absoluat quencumq; maluerit, absque consensu Episcoporum? At voluit reuocare Achatium, saltem quoad memoriam, si non viuentem, iàm à tempore prædecessoris Felicis. Nihil creditu indignius; cùm ipsius Anastasij Papæ legatur Epistola ad Imperatorem Anastasium, petens taceri in Ecclesia Achatij nomen, iustissimè à Gelasio, ac Fœlice damnati. Gratianus autem id refert, sicut potuit verè accidisse, quòd in hanc suspicionem Anastasius venerit, propterea multi ab eius se obedientia subduxerint, vt opus fuerit Pontifici in sui iustificationem, Achatium apud Imperatorem damnare. Fabula cæterùm est, quòd Anastasius Papa, vt Gratianus ibi recenset, fuerit à Deo percussus, quæ facilè ortum duxisse potuit, ex eo quòd ijs temporibus, ipse Imperator Anastasius Hæreticus, cœlesti occubuerit fulmine ictus; Eundem etiam existime ie reuocando Achatio fuisse sollicitum, cui Anastasius Papa in Epistola contrarium suadebat, & proindè fuisse ex duobus Anastasijs inter Papam, & Cæsarem æquiuocatum.

57 De Monothelitarum hęresi vituperatur Honorius, eo quòd in duabus Epistolis, quasi Sergio fauens iubeat non dicendam in Christo duplicem voluntatem. Sed Diuus Maximus Honorij explicat mentem fuisse (vt ab eius responsali ipse audierat) damnare duas contrariantes in Christo voluntates humanas, alteram rationalem, alteram sensus rebellem. Consuluit etiam abstinendum ab ijs vocibus, vnicæ, vel duplicis voluntatis, ne quid audiretur in Ecclesia anteà inauditum.

Ex sexta item, & septima Synodo anathematizatur Honorius cum Sergio, & Cyro Monothelitis; Et in octaua Adrianus II. relatus initio capitis huius, fatetur ab Orientalibus dictum Honorio Anathema, quia de hæresi fuerat accusatus. Benè ait, quia fuerat accusatus, non autem conuictus, vt ostendat, quòd Orientales soli existimarunt Honorium anathematizandum; Non autem statuit, meritò ne, an immeritò accusatus fuerit, & damnatus. Sed fuit profectò immeritò, cum Occidentalis Romana Ecclesia, nil tale vnquàm, de eo Pontifice sit locuta; Quin Agatho scripsit: *Dominus, & Saluator noster, cuius fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit, quòd Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores fecisse semper, cunctis est agnitum.* Inter quos prædecessores cùm esset Honorius, si hìc fauisset Sergio, Agatho fuisset mentitus in ea Epistola, quam cùm vniuersa Synodus sexta approbarit act. 18. dicens: *Petri esse oraculum, quod Agathonis ore proferebatur*; Satis clarum est argumentum, supposititiam esse in actis eius Synodi, à qua etiā septima desumpsit damnationem Honorij. Nec id insolitum Hæreticis, vt ostendant secum sensisse aliquem ex Romanis Pontificibus. Græcorum præsertim hæc est vafrities; de qua Nicolaus remittens Michaelem ad Epistolam Adriani, *Si tamen* (cauit) *non falsa more Græcorum est*, & prӕterquàm quòd Latinorum nullus Honorium recenseat inter damnatos ab ea Synodo Monothelitas, multi etiam Græcorum eiusdem parcunt integritati.

58 Verbusculum non negligunt Impostores, quò Apostolicæ Cathedræ aliquam possint inurere notam. Quia Bonifacius V. Epistola ad Regem Angliæ dixit: CHRISTVM *nos ab originali redemisse peccato*, statim illi appingunt docuisse, ab originali solùm, non verò ab actualibus homines esse redemptos.

Tres Arrianos sibi succedentes Pontifices culpant, Liberiũ, Fęlicem II., & Leonem I. Sed hic quidam esse debuit fortè ab Arrianis intrusus; nàm Ecclesia nullum Leonem Pontificem numerat vsq; ad Concilium Chalcedonense, centum annis à Felice II. distans; qui etiam Fęlix extrinsecùs Arrianis aliquid fauit, antequàm esset legitimus Pontifex: viuente nimirùm Liberio, ab Hæreticis fuerat electus; quem tamen non recepit Ecclesia, quoadusq; Liberio mortuo, ipse Arrianos insectans, & martyrio laureatus, verùs Pontifex eligeretur, & esset, de quo Theodoretus lib.2.hist.c.17. *Successum* (inquit) *est Liberio à fideli quodam illius Diacono, nomine Felice, qui tametsi fidem in Concilio Nicæno expositam, ipse seruauit integram, tamen cum illis, qui eandem labefactare studebant liberè communicauit. Ac propterea nemo ex Romæ habitatoribus in Ecclesiam, dùm ille intùs erat, ingredi voluit*. quod cum affirment etiam Hieronymus Ruffinus Sozomenus, & alij, Fęlicem habemus ab intrinseca hæresi expurgatum: & ab extrinseco scandalo, semetipse pro fide fuso sanguine perluit.

59 De Liberio non ausim Athanasio, Hieronymo, & Hilario contradicere, dicentibus eum tædio tandem exilij victum Arrianorum petitionibus acquieuisse, subscribendo damnationi Athanasij, & ab eorum consortio non abstinuisse; neque hoc tamen hæresim sapit; defectum quidem cognosco intrepidæ constantiæ; sicut in Marcellino thurificante Idolis ob metum, in delubro vestæ; & in Petro Dominum in atrio Pontificis Hebræorum abiurante. Quanquam neq; tunc esset Pontifex institutus, quod post resurrectionem fuit Dominicam, Ioan. vlt. Aliud est fidem deserere, aliud fidei testimonium debitum non perhibere. Illud saluatur intrinsecùs, iuxtà illud: *Corde cre-*

ditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Quòd nostri Pontifices corde non discrediderint, subita eorum prodit resipiscentia; Liberius sanctissima in memoria quieuit; Petrus, & Marcellinus martyrio sunt coronati, hìc quidem ampliùs ex Synodo Sinuessana iustificatur ab hæresi, siquidẽ ea non renuisset de Pontifice hæretico iudicare, quod iura non vetant; Marcellino autem dixit: *Prima sedes à nemine iudicatur.* non ergò in hæresim ille inciderat.

60 Siluestrum II. & Gregorium VII. Simoniacos accusant, vi ingressos, Necromanticos, & perditissimorum, qui cum fidei sanitate non constent morum; Sed ille nimia mathemathices doctrina apud vulgus ignarũ admirationi, famam huiusmodi comparauit; quam alteri nimia sanctitas, & districtio in Henrici IV. Imperatoris effrænem licentiam. Catholici omnes pro Sancto venerantur, quem ad eius non exiguam laudem soli Hæretici impetunt, pro vno pseudocardinale Bennone, qui Gregorio infensus turpissimè dixit (assumunt dignum patella operculum) etiam à suis Sanctum vituperari Pontificem. Aemulorum detur potentiæ, quod furens Imperator frequenter repererit, qui secùm Pontificem innocentissimum execrarentur.

61 Ità prorsùs Ludouicus Bauarus habuit, inter cæteros, Marsilium,& Okam,qui Ioannem XXII. (vigesimumtertium Ioãnem fœminam inserunt) in pluribus fidei redarguerent aduersantem. Eorum nihil subsistit. Ab Ecclesia nunquàm damnatur, laudabili venerandus memoria Sanctissimus Nostræ Oliuetanæ Congregationis Pater,qui eam primò nascentem, Apostolicis amantissimè suscepit in vlnis. Rumor diffamatus specialiter fuit, Ioannem quandoq; hæsitasse, pluribus Scripturarum, & Patrum testimonijs adductum, beatifica ne visione perfruerentur Sanctorum animæ, antè diem iudicij; rem examinandam Theologis celeberrimis demandasse; Monitum à Principibus, & Collegio Cardinalium destitisse; pridie obitus sui protestatum, se cum Ecclesia Catholica, in eo

præſertìm ſentire. Super hæc magnificauerunt hoſtes ſtructuras. Dixerunt quidam pertinaciter Ioannem id affirmaſſe, quòd Beati à Dei facie vſque ad diem nouiſſimum exularent. Caluinus inſuper eum retulit animæ ademiſſe immortalitatē. Alij per Galliæ Regem, & Pariſienſes coactum hæreſim abiurare. Vnuſquiſq; prout inflarunt odia, tuba perſonuit; Sed inter hæc maxima laus, impijs vnis fuiſſe inuiſum.

62 Etiam Eugenius IV. eſt reprobatus; ſed vnde? ab inſolentia Baſileenſium Schiſmaticorum. Benedictus XIII. & Ioannes XXIII. in Conſtantienſi, ſchiſmati magìs, quàm hæreſis ſunt damnati. Nicolaus III. c. exijt, de verborum ſignificat. in 6. CHRISTVM, *ait, perfectiſsimam docuiſſe paupertatem, omnem abdicantem vſum, tùm in communi, tùm in particulari.* Ioannes XXII. de verb. ſign. extrà ad conditionem Canonum, *ait eſſe hæreticum aſſirmare*, CHRISTVM *nihil vnquàm in terris poſſediſſe proprij*, nec in particulari, nec in communi. Vter errat? Neuter. Secundùm enim aliud, & aliud tempus locuti ſunt de CHRISTO, qui aliquādo abſolutiſſimam docuerit paupertatem, loculos aliquando admiſerit.

63 In Innocentios demùm tertium, & octauum iactitant, ille, quòd dixerit c. per venerab. qui fil. ſint legit. de lege veteri: *Quod ibi decernitur, in teſtamento nouo debeat obſeruari*. Equidem, non ad literam, ſed eo modo quo myſteria legis antiquę, aliquid figurabant in noua; alter, quòd quibuſdam Borealibus permiſerit populis ſinè vino ſacrificium celebrari. Quid faceret? Si Regionis intemperie vinum inibi, nec produci poſſet, nec aſſeruari? Minùs malum elegit, vt vna ſpecie ſacramenti ſaltem non carerent, qui altera deſtituebantur. Hi fermè Romani Pontifices ſunt, qui malignantium ſubiere cenſuram, ab Hæreticis pleriq; de hæreſi condemnati. Nil mirum; ſacra eſt verificanda ſententia: *Sed & in via ſtultus ambulans cum ipſe ſtultus ſit, omnes ſtultos æſtimat.* Eccl. 10. Is non ſapit, qui ſecùm non deſipit.

64 Supereſt, quod innuebamus, de Symacho, & Petro, qui ratio-

tionem reddidere Concilio, alter de fide sua, alter de ingressu ad Cornelium; nàm videntur sponte se subiecisse Patribus congregatis, quatenus parati essent referre inde pœnam, si de culpa fuissent conuicti, & cecidissent caussa.

Non posse Papam se ipsum Concilijs subijcere, vt virtutem eis deferat se obligandi, & cogendi, concedet quilibet, animaduertens tantam celsitudinem Romanorum Pontificum esse de iure Diuino, quod homini non licet infringere; neq; fas esse inferiori à superiori tribunali eius caussam subducere; Cū igitur Deo soli sint caussæ Pontificis Maximi reseruatæ, illi infert iniuriam, quicunq; ad humanum iudicium eas discutiendas protraxerit. Apparet primâ fronte insolitum, quòd non possit, sicut, & cæteri Papa etiam suo priuilegio renunciare. Sed non prohibetur se abdicare papatu, qui sibi personaliter inest; prohibetur quidem fraudare priuilegia ipsius papatus, qualis est superioritas, ad quamcunque potestatem in terra; supposita enim cessione iuris papalis, cedens remaneret simul Papa, superior, & inferior, respectu eiusdem Concilij; Hinc referendus, vt Caput, hinc postponendus ex subiectione cæteris mēbris. Itàq; vel penitùs caput abscindi necessum est, aut si sua in sede sit permansurum, artubus supereromineat reliquis. Ità comparandus videtur CHRISTI Vicarius ad quascunq; inferiores Ecclesiasticas potestates in iurisdictione morali, quemadmodum Deus se habeat ad secundas caussas in actione naturali; qui, estò alterutrùm possit creaturas à naturali subiectione eximere, nihil tamen suęmet dominationi potest subtrahere: *Fidelis enim est, & se ipsum negare non potest*, 2.Timoth.2. Similiter Papæ licebit subditas ab inuicem eximere potestates, nunquàm tamen à subiectione soluere aliquid à Deo papatui subiectum, cuiusmodi esse monstrauimus Ecclesiam vniuersam, & generale Concilium.

65 Hinc ne credas eos Pontifices (si qui sunt, qui coràm Concilio suas caussas dixerint) voluisse illicitè Pontificiæ Maiestati detrahere, eam subdendo humano iudicio, cum potiùs,

ex abundantis quodam iustitiæ signo fecerint, ostensuri se non expauescere, de impositis criminibus examinatis, quos innocens conscientia fecerat confidentes. Sic de Domino in Iobi persona dicitur: *Si contempsi subire iudicium cum seruo meo*. Iob.31. *Venite, & arguite me.* Isai 44. Et ipse Saluator Iudæorum se sistit in medio clamans: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ioan. 8. Non aliter Greg. in c. si quis 2. q. 7. fatur: *Si quis nos super hoc redarguere voluerit, vel extrà auctoritatem facere nos contenderit, veniat ad Sedem Apostolicam, vt ibi antè confessionem B. Petri, mecum iustè disceptet, quatenus vnus ibi ex nobis suscipiat sententiam suam*. Sic Petrus rationem reddidit multitudini de suo ingressu ad Cornelium Gentilem; eodem Gregorio explicante, in c. Petrus 2.q.7. *Petrus potestatem regendi acceperat, & tamen idem Apostolorum primus, querimonia contrà eum facta, cur ad Gentes introißet, non ex potestate officij, qua poßet dicere: Oues Pastorem suum non accusent, nec reprehendant, sed ex auctoritate Diuinæ virtutis, qua Gentiles acceperant Spiritum Sanctum, respondit dicẽs: Eandem gratiam, quam nobis, dedit eis Dominus, &c.* Habeas hinc quid respondeas ad excerpta ex c. Mandatis, c. audiuimus 2. q. 5. & ex 4. Synodo sub Symmacho; vbi narrantur caussas suas discutere in Concilijs Sixtus, & Leo III. Leo IV. & Symmachus. Et ad aliorum consimilia gesta, qui Sanctissimos Prædecessores in humilitate, ac innocentia sint imitati. Tantùm superest Apostolico culmini plaudere, quod neque ordinariò, neq; ex incidenti generali Ecclesiæ Concilio vnquam subijcitur.

CAPVT VII.

Qua certitudine, & fide signatus in indiuiduo Pont. Max. credatur in Ecclesia verus D. Petri successor.

ELENCHVS.

1 *SAnctam Ecclesiam constat non fuisse sine potestate necessaria relictam.*
2 *Ecclesia sumpta pro interno cultu fidelium ab initio mundi, non indiguit sensibili potestate.*
3 *D. Petro, & successoribus facta est suprema in Ecclesia* CHRISTI *potestas.*
4 *An sicut credendum est nunquàm defuturum in Ecclesia Pontificium, ità singuli acclamati Pontifices Maximi sint recipiendi.*
5 *Rationes dubitandi pro parte negatiua.*
6 *Necessitas ex aduerso pro parte affirmandi, & quæstionis perplexitas.*
7 *Ad examinandam fidei naturam proposita vocat quæstio.*
8 *Assensus supernaturalis fidei rationem dedignatur humanam.*
9 *Ineuidentia proprium est requisitum in obiecto fidei Diuinæ.*
10 *Auditus fidei sensus quomodò tutior sensibus reliquis.*
11 *Refelluntur Manichæi, & Abailardus fidem negantes deficiente ratione euidenti.*
12 *Nil tamen incompossibiles sunt de obiecto eodem fides, atq; scientia in eodem intellectu.*
13 *Duplex tamen, & non idem futurus est semper assensus scientificus per medium euidens, & fidei per obscurum.*
14 *Idipsum statuendũ de ipsa reuelatione, quæ est formalitas obiecti fidei, quod distinctè assensu haberi queat obscurè, & euidenter.*

15 *Debet tamen fidei obiectum euidentiam credibilitatis praeseferre.*
16 *Quia fides ab electione dependet praeuium exposcit indicium practicè certum.*
17 *Quid attendendum in proponente rem inauditam ad credendum, & potissimùm requiri attestationem miraculorum.*
18 *Res comprobatur Sanctorum exemplis.*
19 *Constitutio Innoc. de hoc eodem in c. cum ex iniuncto de Haeret. & indubitata ratio, quia repugnat dari miraculum in attestationem falsi.*
20 *Deus esset ipse seductor si permitteret seductionem sua inuocatione praestitam per miraculum.*
21 *Ordinarium etiam concursum denegat Deus miraculis supposititijs in falsitatis testimonium concinnatis. Exempla de Caluino, & Luthero.*
22 *An teneretur Deus concurrere ad abusum miraculi in confirmationem falsi, quod ipse indefinitè promisisset per aliquē patrare.*
23 *Casus hic ostenditur omninò impossibilis.*
24 *Si miraculum pro re fidei posset fallere, nulla superesset tuta credibilitatis euidentia.*
25 *Miraculum verum sit, quod comprobat infallibiliter propositionem credendam.*
26 *Quae obseruanda pro secernendis miraculis veris ab apparētibus.*
27 *Alia pro eodem iudicio coniectura.*
28 *In reuelationem Diuinam res omnis credenda resoluitur.*
29 *Reuelatio Diuina alia propriè ex parte obiecti, alia magis impropriè in illustratione principij.*
30 *Habitus ipse fidei, neq; est tota ratio formalis obiectiua, neq; illius complementum.*
31 *Haeretici in quibus consentiunt cum Catholicis, non habent commune motiuum reuelationis Diuinae.*
32 *Diuina reuelatio est formalitas obiecti fidei, quàmuis reuelata rei aduentiat extrinsecus.*
33 *Instantia in oppositum, quòd reuelatio non sit vniuoca ad fidei obiectum.*

34 Aliter reuelatio Diuina obiectum Theologiæ specificat, aliter fidei.

35 Insufficiens regula est ad discernendum inter Conclusiones de fide, & Theologicas, obseruatio num præmissa de fide vniuersalis sit vel particularis.

36 Non sunt credenda de fide, quæ explicantur contineri solùm virtualiter in reuelatis.

37 Inter assensum fidei, & Theologicum datur tertius medius.

38 Quarè omnia contenta formaliter in obiecto reuelato, immediatè reuelata sint habenda, & de fide.

39 Dupliciter aliquid reuelatur formaliter in alio, vel tanquàm pars totius collectiui, vel tanquam pars totius essentialis.

40 Passiones virtualiter in reuelato obiecto cõtentæ non pertinent ad fidẽ, nisi per Ecclesiam definiẽtem incipiant reuelari formaliter.

41 Reuelatio de obiecto fidei esse debet immediata ex parte rei reuelatæ, non ex Deo semper immediatè per se reuelante.

42 Per Prophetas reuellat credenda Deus, ex Apostolica quoq; Cathedra eadem Diuina reuelatio prodit.

43 Decernit Ecclesia, non tàm quoad substantiam credendorum nouiter reuelando, quàm circà modum, declarando quod olim fuit reuelatum obscurè, nouam non addendo reuelationem.

44 Ecclesia quorsùm aliquando in suis definitionibus adhibeat rationes. An vt definitionis, & fidei fundamenta.

45 Fidei principia sunt indemonstrabilia per discursum.

46 Idem de quocunq; reuelatarum rerum assensu.

47 Connexio extremorum, quæ fit in humano discursu incertior est quàm sufficiat ad educendum assensum fidei in conclusione.

48 Ad quid inseruiat theologicus discursus, si non ad ostendendas res fidei.

49 Diuinæ reuelationi repugnat vllatenus subesse falsum.

50 Contrarium non desunt, qui asserant .s. Deum posse fallere, & non mentiri.

51 Ostenditur in Deo esse idipsum fallere, atq; mentiri.

52 Omne mendacium esse turpe, eo quòd in suo genere sit ex intrinsecè malis.

53 Si locuples testis præsumitur non mentiri, multò longiùs abesse debet mendacium à Deo nullius indigo.

54 Quomodò incarnata veritas Patris finxerit Discipulis se longiùs ire.

55 Reuelatio rerum credendarum obscurè nō fit in parabolis; sed certa, & infallibilis, secus superesset hæsitatio semper.

56 SS. Patrum constantia in asserenda veracitate Dei.

57 Idipsum in Scripturis Diuinis habetur euidenter expressum.

1 IAm perpete CHRISTVS Dominus fundasse sibi regnum innotuit; Sacrosanctam nimirùm Ecclesiam; de venis illius rigatam, lotam, & fœcundatam. Perpetem itidem de consequio illi potestatem moderatricem non denegasse; sine qua, neq; pagus, neq; familia diù potis est consistere. In Cœlum proinde ad Patris dexteram remeantem, visibilem Principem super Rempublicam constituisse; quam inuisibili influxu erat ipse semper inde recturus. Frustrà etenim hìc præscribuntur leges, vbi metuendus non adstet Iudex: Vnitas inde politica commendatur casui, atq; fortunæ, si quandoq; sensibile Caput desideretur, à quo membra cuncta contineantur in ordine, vt ideò, nec Synagoga vetus, accepto Diuinitùs Principe caruerit, statim ac Synaitis legibus fuerit informata.

2 Esto sensibilis hæc suprema potestas nō semper fuerit apertè, ac euidenter necessaria in Ecclesia, pro Congregatorum interno cultu fidelium; ab Abel, & initio Mundi, vsq; ad finem seculi indesinenter permansura; quæ enim solùm communicabat in fide, & fine, Ritibus, aut sensibilibus Sacramentis nullis addicta, exlex; quid ni potuerit consistere etiam Acephala? Non per hoc aliqualem Sacræ Politiæ Principatum, in capita saltem familiarum primogenita consequentem, ab ipso nascente Mundo non suprà agnouimus.

3 Petro igitur Apostolo contigit, super Collegas, & vniuersam Ecclesiam, Diuino munere, eleuari Monarcham. Successores porrò huic debitos, ipsosq; in Romana duntaxat Cathe-

dra, abundè, quantùm arbitramur, fuit ostensum; Quorum sint partes, fidelium cœtum in fide, ac moribus vsquequaque pascere, iustitia pariter,atq; doctrina. Nemini propterea, siue singularium,siue multitudini subiectos,aut subijcibiles; à quibus, quòd omnis regula credendorum indubiè procedat, priuilegio hinc fidei indefectibilis communitos; non minus, addidimus nos, qua sibi priuatò credunt, quàm vnanimiter; vt de Apostolica publicè Cathedra alios etiam erudiunt, atque compellunt.

4 Ex ijs omnibus hæsitandi omninò nullus relictus est locus, quin supremus aliquis, quocunq; tempore, in Romana Ecclesia, sessurus sit Pontifex; quem vniuersi terræ fines adorent, oraculum fidei,Cœliq; interpretem. Sed nunquid necessariò fide diuina credam, hunc signatum; puta S. D. N. VRBANVM VIII. (quem diù vniuersæ Ecclesiæ bono Deus seruet incolumen) eum esse, cui CHRISTI vices, & Petri successio fuerint commissæ, & non potiùs adhuc ansa ambigendi supersit, de succesʃione, & electione legitima? Quì sciam ego, quòd eligentium fuerint canonizata suffragia? Quòd subiectum fuerit tantæ capax dignitatis? Quòd fidei, vel baptismalis characteris defectu, membrum extrà corpus fuerit Ecclesiæ, qui ab Ecclesia profertur concorditer venerandus in Capite?

5 Adorat quidem illum, fatemur, fidelium vniuersitas; sed quanta de eodem certitudine? Non vtiq; maiori, sit dictum, quàm per humanam fidem, quæ in huiusmodi hærens, & dubia, fallaciæ nunquàm non relinquit locum; neutiquàm verò per fidem diuinam; cùm exploratum apud omnes sit,quæ sunt Diuina certissima fide tenenda, Ecclesiam sibi met ipsam nequire credenda statuere, à Cœli interprete suo Capite Pont. Max., independenter; Neq; hanc auctoritatem ab ijs ouibus posse auspicari; quæ, quotquot sunt vniuersæ, ab eius auctoritate proculdubio dependent. Qui eam designauimus præcedenter veram Ecclesiam, quæ Pontificis Maximi partibus adhæreſcit; si modò eum duntaxat deputauerimus Pontificem

Maximum, quem vniuersa Ecclesia recipiat, & sequatur; Rem totam, quis non videat? prorsum confundimus, atq; in labyrintho circulariter implexi, dùm ad idem recurrimus, sub omnium planè oculis oberramus.

6 At ex opposito; si humanæ tantum certitudine fidei contenti, Ecclesiæ Summis pro tempore Pastoribus, non exclusa penitus formidine, adherescamus; Quomodò nobis agendum postmodùm in ijs, quæ eorundem decreto inconcussa fide diuina credenda traduntur? An poterit quidquam firmi fundari super auctoritate nutante? An humana fides inconstans, Diuinæ poterit esse basis? Ecce quantus difficultatis Euripus.

Lupum profectò tenemus auribus, in incertitudine deliberandi vtrinq; periculo territi. Hinc enim, si sola morali, & naturalis ordinis certitudine, singulares Pontifices Maximos veros confitemur; corruat horum auctoritas in definiendis, de fide Diuina ab Ecclesia credendis, necesse est. Indè verò, si ipsos singulares Pontifices fide insuper supernaturali credamus; cum nulla de ijs haberi videatur Diuina reuelatio peculiaris, nisi quatenus Ecclesiæ authorizantur consensu pacifico, semel admisso, posse Ecclesiam sibi ipsi, credendum fide Diuina, statuere huiusmodi articulum; Quòd homo hice verus sit CHRISTI Vicarius; Quid ni etiam poterit in cæteris esse sibimet regula credendorum? Immò de facto erit, ex illo perantiquo proloquio: Quidquid est caussa caussę, est etiam caussa caussati; Subindè Decreta Pontificum, eò tantùm erunt futura infallibilia, quòd his fidem adhibendam iubeat Ecclesia, quippe maioris proculdubio auctoritatis, & infallibilitatis; ni Regula fallit Philosophorum: *propter quod vnum quodq; tale, & illud magis.*

7 Quæstionis igitur difficultate simul, ac maiestate deposcere, ab ouo gemino (quod aiunt) rem non pigeat redordiri; quæ sit Natura obiecti fidei, extrà quod fide credatur humana tenus, atq; fallibili, qudcunq; eliciat à mentibus nostris assensum, exactissimè præsignando. Institutum quantùm arbitror

proficuum, volupe, & neceſſarium. Proficuum quidem, quòd in Cardine ſumus, in quo Chriſtianæ rei ſumma reuoluitur; Quòdq; argumentum ſit, vt fidelium animorum ſtabilimentum, ità non vbilibet in Scriptoribus obuium; à pleriſq; illibatum; à paucis ſalutatum de limine; à nemine forſitan ſatis pro voto ante hàc enodatum. Periucundum futurum pariter, quòd diſſertatio non adeò ſolis areſcet coaceruatis enunciatis; verùm ſuccenturiatis Theologicis luculentiſſimis non minùs, quàm grauiſſimis, (Deo propitio) impinguabitur principijs; Vt ideò ſcholaſticum multiloquium breuitate ſenſuum perſtringentes, abditiſſimam infuſæ fidei naturam, vnico luſtrandam ſimus propoſituri aſpectu; dùm ad noſtri huiuſce Inſtituti concluſionem ordinatam, atq; pro viribus efficacem nobis conabimur ſternere viam. Neceſſarium demùm idipſum non ſit qui non indicet; ſi modò propugnaturos indubitatam certitudinem de pacificè regnante Pontifice, furentes non deceat imitari Andabatas, mediamq; effuſi ardentes in aciem, quid, aut quibuſcum contentio ſit, non aduertamus.

8 Supernaturalis fidei obiectum rationem indignatur ſatiſdare humanam. Nil credes Diuina fide, argumentatione, aut auctoritate perſuaſus humana. Iàm hoc ipſum humanum credere, non verò ſupernaturale, quod humanam ſuadelam nequaquàm tranſcendit. ***Noſtra prædicatio*** (ait Gentium Prædicator) ***non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis***. 1. ad Cor. 2. Ponite ſupercilium ſeculi ſapientes. Saluator en auditur: ***Confiteor tibi Pater Rex Cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.*** Matt. 10. Reuelatio vtiq; Diuina fidelia docet myſteria, ad quæ ſapientia terrena caligat. Neq; aliter definita eſt fides, quàm: ***Argumentum non apparentium***. Heb. 11 Nec tibi ſcrupulum inijciat, quòd videndi verbo ad res fidei idem vtatur Apoſtolus: ***Videmus***, inquiens, ***nunc per ſpeculũ in ænigmate***. 1. Cor. 3. eo enim ipſo quòd viſio ænigmatica dicitur, en tibi clarè perhibetur ineuidens, & obſcura.

DE REGVL. ARISTOCR. Porrò

Porrò qui rationem amas, ratio non deest, qua euincaris, rationem esse non posse credendi motiuum. Cùm enim tota formalitas obiecto fidei insit ex Dei reuelãtis auctoritate, quæ sequestris intermediat, inter credentem, & creditam rem, profectò remanet non obscurum, obscuritatem, quæ euidentiæ opponitur, in fidei essentia complicari. Quod nanq; fidem facit testimonium, rem nusquam in se intuendam ostendit; sed magis per exhibitam euidentiam.

9 Fidei obiectum, quà huiusmodi est, exigit esse inuisum, tùm sensitiuo oculo, tùm intellectuali. Quò mihi requiras visum in obiecto auditus? Nunquid extrà suam virtutem, aurium munera sibi oculi vsurpantes, sonum aspicient? atqui, *Fides ex auditu, auditus autem per verbum* CHRISTI. Rom. 10. Quod verbum CHRISTI reuelat auribus, id solum obiectum Diuinæ est fidei. Fugam cœlestis arripit sponsus, Dilecta in eum curiosiùs oculos conijciente; nec redit, donec modestiùs demittat aspectus: *Auerte*, inquit, *oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt*. Cant. 5. Quòd si videre auet, videat auribus: huiusmodi soli sunt Animę oculi ad mysteria fidei; vt proinde dicatur ei: *Audi filia, & vide*, Ps. 44. Non aliam euidentiam quæramus, quàm auditum; Vt dicere valeamus: *Sicut audiuimus, sic vidimus*. Ità loquente Domino in Synai: *Cunctus populus videbat voces*. Exo. 20. Quid est videbat, nisi quòd quandò loquitur Deus, fides adhibenda est eius dictis certissima, perinde ac si res videndas ostenderet? egregiè Psaltes: *Tunc loqutus es*, inquit, *in visione*. Ps. 88.

10 Certior immò auditis fidei rebus est præbendus assensus, quàm si sensibus cæteris eadem perciperentur, absq; auditu: Eleganter ex eo significatur, quòd Patriarca Isaac, sensibus cæteris deceptus, si solo credidisset auditui, in benedicendo Iacob pro Esau non errasset. Et quidem oculi caligauerant, vt nequiret filios internoscere: Gustum condimentum fefellit adulteratum, gregales pro venaticis apponens. Dùmq; incredulus vetulus certissimam ex attrectatione fidebat sibi com-

parare indaginem, qnasi alter Didimus, in tactu notitiam indeceptibilem collocando; vnde dicebat: *Accede huc, vt tangam te fili, & probem, vtrum tu sis filius meus Esau, an non*; hem chirotecæ attrectantē deceperunt hædinæ, manibus obuolutæ, ipsomet fatente: *Vox quidem vox Iacob est, sed manus, manus Esau sunt*. Tandem cum vertagi ad instar, veritatem ex olfactu inquireret, suppositítijs vestibus captus, clamauit: *Ecce odor filij mei*. Vade nunc plus oculis, cæterisq; sensibus fidas, quàm auditui, hic solus consistit: *Vox quidem vox Iacob est*. Gen. 27.

11 Perdita fuit Manicheorum perfidia, Aug. referente, lib. de vtil. cred. c. 1. cùm quibus Abailardus consensit, ex Bern. Ep. 109. ad Innoc. non esse citrà euidentem rationem, propositioni alicui fideliter assentiendum; quasi non inclamet Apostolus: *In captiuitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi*. 2. Cor. 10. Quasi intelligamus ad credendum, non autem ex aduerso: *Nisi credideritis, non intelligetis*. Io. 10. Vbi Augustinus: *Credimus*, ait, *vt cognoscamus, non cognoscimus, vt credamus*. Et sem. de Trin. *Fidelis sum*, inquit, *credo quod nescio*. Iure fidelis, qui cum aliàs scire posset quod credit; Non ideò tamen ad credendum ex ea scientia mouetur. Et contrà epistolam Fortun. reddit ad idem, c. 4. *Eos sequamur*, dicens, *qui nos inuitant credere, quod non valemus intueri; vt ipsa fide valetiores effecti, quod credimus intelligere valeamus*. Suprà autem dixerat: *Turbam fidelium non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit*. Rationem attigit Ambros. lib. 1. de Abraham. c. 1. *Iustum est*, inquiens, *vt rationem praueniat fides; ne à Deo rationem exigere videamur*.

12 Nihil ad me deinde, si aliundè per euidentem rationem sciētiam tibi compares, de re eadem, cui obscuro, & incognito medio aliàs assentiens, certissimam habes fidem. Neq; enim oculos ità eruimus intellectui, quin eadem aliquando valeat intueri, quæ fidei alio actu credat distincto. Immò nil prohibet obiectum fidei, scientiæ item esse commune, tàm quo ad materiale, rei scilicet reuelatæ, quæ creditur, quàm quo ad

formale reuelationis: rem nimirùm, quam propter ineuidens motiuum credo, per euidentiam pariter rationis attingendo: & Deum esse reuelantem fidelem rei, quam credo, euidenter cognoscendo; Modò in ea euidentia mea non fundetur fides.

Quid enim vetat, posita propositionis alicuius scientifica demonstratione; quin visione clara adhuc auctoritati reuelantis Dei tribuens, credam idipsum diuerso fidei actu, nihil de scientia, aut de euidentia cogitans? An quod opposuit Antisignanus ille, quia videlicet adueniente euidentiæ face, fugentur fidei essentiales tenebræ, dumq; demonstratio intellectum cogit assentiri, pereat qui voluntarius esse debet assensus fidei, vt ideò solus scientificus remaneat actus? Sed hoc gratis aduersatur experientiæ, quæ suadet, posita quacunq; euidentia, in credente diuinæ insuper auctoritati magis roborari assensũ, quàm si diuina hæc defuisset superimposita auctoritas. Do exemplum in Angelis, qui meruerunt gloriam per fidem Dei; cùm tamen tantam semper habuerint, & habeant actualem de eodemmet Deo scientiam, vt, iuxtà opinionem probabilem, nec illam quidem vnquàm suspendere valeant. Scientia itàq; non pellit fidem, multoq; minus fides scientiam; quæ etsi cessare possit in intellectu, quamdiù à demonstratione auersus fuerit cogitatus, hoc tamen instante, ideò nequit extrudi, quòd certo certius, necessarium demonstratio assensum extorqueat. Stante igitur vtroque motiuo, & reuelationis obscuræ, & euidentiæ manifestæ, quid ni in mea permaneat potestate prior actus fidei voluntarius, cum altero scientiæ, ad quem demonstratione cogar euictus?

13 Et certè, si vtrumq; mihi valeat, euidenter istud, illud verò obscurè repræsentari motiuum; Non est, cur vtriq; nequeam satisfacere, duplici in idem materiale obiectum pergendo via; hinc, quia rationi, inde, quia obsequor auctoritati. Quòd si perrexero, en geminus mihi necessariò eliciendus est actus; quandoquidem in vnicum duplicem eam assentiendi rationem coire non posse, inde manifestè displalescit, quòd, aut vtraq;

esset eius actus essentialis, & constitutiua intrinsecè, aut neutra, aut alterutra. Vtraq; certè non erit, cum ratio essentialis rei differentiam non nisi vnam suscipiat specificam. Quòd si neutra constitutiua dicatur, sed accidentales ambæ, adhuc assignanda est tertia, quæ sit essentialis ratio actus huiusce, cui differentiæ illæ accidentariò insint, euidentiæ scilicet, atque reuelationis. Nihil demùm, hinc magis, quàm inde præponderat, quarè ratio hæc essentialis potiùs; altera verò accidentalis dicatur; Immò nullam accidentariam esse posse, inde fit palàm, quòd deberet esse modus; qui ideò esse nequit, quòd, cum pertineat ad gradum intensionis, ex quo non alius conueniat actibus internis, vt à Philosophis demonstratur; consequens fit intrà eandem qualitatis, seu actus speciem semper reperiri. Quis autem nescit, quandocunq; alterum, & alterum multiplicatur motiuum, assensum non intendi, sed extendi, ac proinde multiplicari alium, aliumq; specie diuersum assensum? Ergò concurrentibus duabus assentiendi omninò diuersis rationibus, euidentiæ, & ineuidentiæ, duplicem inde exilire actum, scientiæ nimirùm, & fidei necesse est.

14 Quòd si de formali obiecto, in reuelabilitate consistente, loquamur; de eodem obiecto cohærebit nil minùs fides, cum reuelationis euidentia; Ità tamen, vt fides in hac fundari nunquam sit potis, quod per sufficientem euidentiæ distributionem sic habeto; aut enim Deum hoc dicere, nec posse mentiri, vtrunque euidens habes naturaliter, vel supernaturaliter, aut supernaturaliter alterum, alterum verò non nisi naturali cognitione. Si naturaliter vtrunque, debile heu nimis substernis fundmentum assensui fidei; Quæ cuicunq; euidentiæ naturali pręponderat in certitudine; cum tamen plus firmitatis esse nequeat in cacumine, quàm in fundamentis; plus in conclusione certitudinis, quàm in principijs, atquæ præmissis; immò hæ debeant certitudine præstare, ex trita regula: *Propter quod vnumquoq; tale, & illud magis*.

Porrò si secundum assenseris, duo nempe illa principia euiden-

dentia esse supernaturaliter; iàm quì, obsecrò, fundabis in hac omnimoda euidentia fidem, à qua obscuritas nequit ercisci? Nec est quòd effutias, fidei fundandæ adhuc superesse locum, eo quòd ex ijs supernaturaliter euidentibus principijs Deus est reuelans, & ipse verax: solùm euidens inferatur conclusio; quoad modum cognoscendi, non verò, quoad obiectum cognitum; itàut ex prædicta reuelatione tecum ipse hoc solùm existimes, habere euidenter verum esse, quod tibi reuelatur; Deum scilicet esse trinum, & vnum; quatenus euidenter id acceperis ab eo, qui non potest mentiri; Neutiquam tamen euidenter conspicias, ità esse in se Deum vnum, & trinum; cum semper id habeas ex testimonio intermedio reuelantis, quod rem ipsam in se nullatenus ostendit. Quis enim non videt, quàm puerile, & nugatorium sit istud? Ex quo nanq; reuelationem testificantis admittis tàm euidentem, vt euidenter simul ostendat verum esse quod dicitur, qualem das in subiecta materia, ostendere pariter ità esse idipsum quod dicitur, consequens fit; cum non aliud, quàm grammaticale discerniculum sit cognoscibile inter hos duos loquendi modos: Verum est, Deum esse trinum, & vnum; atque, Deus verè est trinus, & vnus. Est igitur impossibile fidei actum extrui super vtraq; principia, euidenti reuelatione naturali, aut supernaturali manifesta.

Vel etiam ex hoc, quòd assensus euidentiæ necessarius est, fidei verò non nisi voluntarius; vterq; tàm necessariò, & ab intrinseco; Vt nequeat formale obiectum fidei non esse liberum, & scientiæ necessarium. Eo prorsus modo quo repugnat dari assensum opinatiuum, per medium necessitans intellectum; aut demonstratiuum, seu scientificum, per medium topicum tantummodò, atq; probabile. Quàmuis deinde non diffiteamur, quoties, præ libertate, non astruatur ab intrinseca obiecti natura necessitas; aut è côuerso, posse eundem essentialem actum sub his, quasi accidentarijs extrinsecis denominationibus variari. Sic amor charitatis in via voluntarius est, necessarius in

patria. Et in moralibus, qui motus primò irrepsit necessarius, liber dehinc, aduertente potentia, idem prorsus perseuerat, & voluntarius.

Quid verò si altera tantum præmissarum sit supernaturaliter euidens? neque in ipsa conclusionem de fide fundari posse, firmissimè tenendum est. Vt ideò, si prophetico lumine, vel infuso euidenter constiterit, Deum esse propositionis credendæ reuelatorem; ineuidēs autem deinde esset, Deum non posse mentiri (si modò possit alterum horum seiungi ab altero, vt vno euidenter inspecto, alterum non item inspiciatur) assensus quidem fidei emanaret; eo quòd ex præmissis, cum altera sit euidens, altera obscura, conclusio, ex Dialectica regula, debiliori parti appingatur, hoc est ineuidenti: Cæterùm euidentem præmissam nihili esse ad fundandum assensum fidei, ex eo cognosces, quòd euidentia illa ablata, positaq; sufficienti propositione, cum sola euidentia credibilitatis, idem assensus nihilominus fidei adhuc permaneret.

15 Quam credibilitatis euidentiam simpliciter necessariam esse, ad fidei supernaturalis obiectum, nullatenus ambigas; nàm licet credendæ rei essentia arcana sit oporteat, & ineuidens, quà talis assumitur ad credendum; sic, vt intellectus in eam habeat cęcultare: attamen credibilitas eiusdem rei, opus est, euidens habeatur; vt non desit propositio sufficiens ad prudētem electionem credendi. Vtq; nil temerè nostrum captiuet ingenium, expendendum quid, à quoue, & qua ratione dicatur. Talis ibi insinuatur cautio credituris: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint: quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in Mundum*. Io. 4. Ecquis ille est Nouatorum, qui perfidias suas non prouehat, Diuina auctoritate abutens? Qui cœlitùs reuelatam, & in Scripturis contentam, suam non prædicet doctrinam? Hinc Schismata, & Hæreses germinascunt, dum temerè propinatas, nimis creduli, falsitates ebibunt. Imprudentes, dum auari consilij, fiunt eo ipso prodigi fidei; Probè Syracides: *Qui citò credit, leuis est corde*.

Eccleſ.19. Integrum eſt cuique, haud inficiamur, pro libertate ſua credere, vel diſcredere quodcunq; maluerit. Quæ tamen futura eſt huiuſmodi fortuitò arreptæ fides? Non plus certè, quàm humana, ipſaq; valdè tenera, & inconſtans. Firmiſſimæ tamen Diuinæ fidei āſſenſus, de quo loquimur, cum formidinem, & hæſitationem ab animo elimine quantācunq; impoſſibile eſt elici, vbi credibilitatis radius non præfulgeat. Sol fulgidus fidei non illuſtrabit mentem, quæ crepuſculum præuium ignorarit Auroræ.

16 Fides eſt de eligibilium genere, nec voluntatem inopinatò inuadit; Nunquàm aliquid ſis crediturus, quin ante id credere deliberaueris; deliberare autem non eſt neceſſarium, niſi iudicium præceſſerit de credibilitate eius, quod ſtatuis credere. Non quòd euidens habenda tibi ſit rei veritas, antequàm inducaris ad præbendum aſſenſum; ſed euidentem præhaberi opus eſt rei ipſius credibilitatē; & quidem omninò certam, ac infallibilem, ceù in teſtimonium Diuinum refuſam, quod pulchrè expreſsit Angelicus 2. 2. q.1.ar.4. ad 2. dùm de fidelibus dixit: *Non crederent, niſi viderent eſſe credibile.* Quid mihi obgannis, hæc duo inuicem repugnare, rei veritatem obſcurā, & ipſius credibilitatem euidentem, & præcognitam? Immò præcognitam hanc eſſe debere tàm ſtrictè aſſerimus, vt ante aſſenſum fidei, præcedere de ea iudicium practicè certum, certiſſimum habeamus. Eſto etenim in humanis deliberationibus, ſępè ex ſola probabilitate ſpeculatiua inferatur certitudo, dùm applicatur ad praxim; longè tamen diſpar ſe habet ratio de Chriſtiana, ac de humana fide; hæc ſiquidem fallibilis cum ſit, quid refert, ſi innitatur certitudini, fallibiliter deductæ à ſpeculatiua ad practicam certitudinem? (fallibilis ſanè eſt applicatio huiuſmodi, quia principia, à quibus deducitur, mutari facile queunt, quotieſcunq; in aduerſum probabiles prodeant coniecturæ) Non ſic in Theologica fide, quæ infallibilis, & inuariabilis cum ſit vſque adeò, quòd ſemel concepta, citrà infidelitatis crimen nequeat alterari; Quidni certiſſimum pariter

prærequirat iudicium ante sui electionem, euidenter, ac practicè, nedum probabiliter, & speculatiuè certùm.

17 Ad quod facit (prætcrquàm quòd in re proposita ad credendum nihil absurditatis, aut repugnantiæ cum sacris literis suboleat) attendere non parum, à quonam, & quomodò res proponatur. Deo enim sic sapientissimè disponente, non solet, sine magno signorum testimonio, fidei propositio inaudiri. Dogma est Ambrosij, lib. 2. in Luc. *Morale est omnibus, vt qui fidem exigant fidem adstruaat: & ideò Angelus, cum absconditа nunciaret, vt fides astrueretur, exemplo senioris fœminæ, sterilisq; conceptum Virgini Mariæ nunciauit, &c.* Vndiq: sacræ Literæ huiusmodi scatent exemplis. Cum mitterentur Moyses, & Aaron ad Pharaonem à Domino: *Posuit in eis verba signorum suorum.* Psal. 104. Horsum immò crebriora miracula repetita: *Si non crediderint, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis.* Exod. 4. Isaias gratuitam quærere fidem, non est missus ad Achaz, cui pote statim optionem dedit miraculi testificantis. *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum suprà.* Isai. 7. Nec aliter Apostoli orbem vniuersum fide implerunt, quàm: *Domino cooperante, sermonem confirmante sequentibus signis.* Marc. 16.

18 Decantatæ sunt celebres sanctorum victoriæ, fidei in congresibus reportatæ de incantatorum præstigijs; dùm hac vnica via, illi quoq; falsam doctrinam insinuare confiderent. Nec modò Apostolorum Princeps volitantem Simonem Magum, in oculis admirabundi populi excerebrauit, allisum præcipitem solo; in cuius gesti illustris memoriam, nostræ Oliuetanæ Aedes S. Mariæ Nouæ de Vrbe lapides ipsos fidelibus venerabundis ostentant, qui Apostolum appronantem in genua suscepere oraturum. Sed & consimili pactione cum Sacerdotibus Baalitis olim certarat Elias: *Inuocate nomina Deorum vestrorum, & ego inuocabo nomen Dei mei, & Deus, qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus.* 3. Reg. 18. Eodem certamine multò

pridem Venefici Aegiptij fuerant à Moyse coràm Pharaone confusi. Quid multa? nec ipsa veritas, verbum Patris, fidem popoſcit in terris imprudentem, atque gratuitam, inquiens: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit &c. nũc autem excusationem non habent de peccato suo.* Ioann. 15. Quantò magis cæteris Prædicatoribus fidei necessarium sit, inaudita dogmata, non sine pari miraculorum astruere testimonio? Rem adnotauit S. Th. ad illud. Rom. 10. *Quomodò credent sine prædicante? & quomodò prædicabunt*(vtiq; sufficienter, & vt obligent alios ad credendum) *nisi mittantur?*(vtiq; cum Diuina virtute, vel adiutorio, quo possint facere res, sufficienter credibiles, iuxtà illud: Heb. 2. *Quomodò nos effugiemus iram Dei, si tantam neglexerimus salutem, quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis?*

19 Hæc est demùm Apostolica sanctio, ab Innoc. 3. in c. Cùm, ex iniuncto de hæres. miraculi esse necessarium interuentum, quo sufficienter proponatur fidei obiectum, ibi: *Sed oportet quòd astruat illam inuisibilem missionem, per operationem miraculi, vel scripturæ testimonium speciale.* Sic etenim certificamur à proponente per miraculum, non posse nos decipi. Nàm etsi ad alios quoque fines Deus aliquando etiam improbis det admiranda suprà naturam patrare, ex quo miraculorum efficiendorum gratia, ad gratis datas pertineat, bonis, impijsq; communes; dicente Apostolo: *Si habuero omnem fidem, ità vt montes transferam, charitatẽ autem non habuero, nihil mihi prodest.* 1. Cor. 13. Quod idipsum audimus in Euangelio ab ipso Domino, ibi: *Ecce do vobis potestatem calcandi suprà serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Veruntamen in hoc nolite gaudere, quòd spiritus subijciuntur vobis &c.* Luc. 10. Dilucidumq; apparet in c. Teneamus 1. q. 1. ibi: *Teneamus fratres mei vnitatem: præter vnitatem, etiã qui facit miraculum, nihil est. In vnitate erat populus Israel, & non faciebat miracula: præter vnitatem erant Magi Pharaonis,*

& faciebant similia Moysi, &c. Nihilominùs si miraculum dedetur vadimonium, ad propositionem aliquam confirmandam, securus credas, non posse propositis subesse falsum; cùm enim aliquid credis in gratiam oblati miraculi, secùs non crediturus; totus Diuinæ Omnipotentiæ fisus in ipsam exoneras tuum credere, à qua vnica possunt insueta signa procedere, vt canis Psaltes: *Qui facit mirabilia magna solus*. Ps. 135. Proinde si decipereris, iure esses ei imputaturus, à quo subsistens, & hærens, per exhibitum signum fuisses ad credendum inductus. Quam insaniam, immò blasphemiam vah qui vnquàm esset dicturus? Vt scilicet testimonium Diuinum (tale enim miraculum est hùc assumptum) falsam aucupetur Deo fidem; indeq; non sermo proponatur verus, sed propinetur doli, & falsitatis virus. Sanè si homo decipit, Diuino fretus auxilio, Deus ipse est deceptor; constans est siquidem, vt qui per aliũ facit, per se ipsum facere videatur. l. 2. §. 1. ff. de administr. ad Ciuit. pertinentium.

20 . Nonne Theologis est familiare, quodcunque malum, bonumue illi caussæ attribuere, per quam descendit, vt fieret, vel stetit, vt non fieret? Quòd tribus Pueris pepercerit Babylonica fornax, in Diuinam solùm refunditur opem, quia generalem suum subducens concursum, quo secundarum caussarum operationibus adstat, ignem comburere prohibuerit. Quid est quod soli homini, & non Deo actio peccaminosa adscribitur? Hoc vtique, quia Deus ad eius entitatem materialem generalem suum concursum non denegando, per hominẽ tamen stat, quin ea vestiatur bonitate contraria priuationi, in qua sita est malitia; hoc ipso, quòd omnis eius actionis productio, vel non productio ab humano pendeat arbitrio. Ratione pari, quia hominis seductio, & prædicatio falsitatis, per exhibitionem miraculi, à sola procedere queat Diuina voluntate, & omnipotentia, cuius esse miraculum pignus pronunciauit Chrysost. homil. 14. in Matt. Stetq; in Dei arbitrio miraculum edere, vel minùs; ad quod, non naturali generali con-

cursu de lege lege ordinaria tenetur; sed speciali supernaturali, & de omnipotentiæ suæ thesauris extraordinariè deprompto. Iàm Deum ipsum primarium mendacij auctorem insimulas, quisquis miraculum ab eo existimas posse obtineri in tæstimonium falsitatis.

21 Res procedit vlteriùs: vt non modò specialem supernaturalem concursum necessarium ad verum miraculum, non exhibeat Deus, si expetatur ad falsæ prædicationis adstruendam fidem; sed ipsum quoque naturalem subtrahat generalem concursum, ordinariò debitum actionibus secundarum caussarum; si quando falso miraculo, & præstigijs quis illudens, hinc sua, contrà sacram fidem, intendat mendacia comprobare. Nouit ille quidam Bruleus, qui pretio à Caluino accepto, pactus se simulaturum defunctum, vt posteà ad imperium, & orationem Hæresiarchæ, media in concione resurgeret; Oppidò non resurrexit, sed in quam formam exanimis fictè se composuerat, seriò iacuit, diuina secreta vltione enectus; Nec, apprehensa manu, multùm inclamans, & excutiens seductor ille potuit, vt pollicitus adstantibus fuerat, ab inferis reuocare, quem ad inferos miserat; Miseri illius vxore conscia de sacrilega conuentione. Neq; tamen (quod iustum Dei iudicium, ne dolus vlli vnquàm patrocinetur) tanto miraculo impij fractum cor concidit; Nec est ipse conuersus, præposteri miraculi conscius, qui alios ficto miraculo moliebatur conuertere, immò peruertere.

Sed nec faustiori exitu, in eandem descendit aleam alter ille Cooperarius Sathanæ Lutherus, dùm aggressus pellere ab Energumeno Dæmonem, clamans, inclamans; in multam diē adiurans, atque coniurans; tantùm abest, vt in quas sperabat angustias redigeret Dæmonem; vt potius Dæmon eas in angustias (Fridericus Staphius oculatus loquitur testis) *Lutheri caligas redegerit; vt is quamprimùm à Sacrario se proripere vellet; at quid accidit? malignus ille Dæmon vsque adeò fores Sacrarij obstruxerat, vt neq; forinsecùs, neq; intrinsecùs aperiri possint.* Nec dubito, quin lubentissimè, si datum desuper esset,

adstiturus fuisset Diabolus, facinori obsequentissimus, quod in perditæ fidei augumentum à Diabolico poscebatur prædicatore; forte etiam conuentione cum Dæmone interposita, vt ad alterius imperium alter exiret: quippe vix credibile, aliter Lutherum in discrimen venturum fuisse. Diuina tamen prouidentia non siuit, vt hæreticis imposturis sincera fides adstipulante mendacij Patre Diabolo, astrueretur.

22 Dubium agitatur (licèt ipsa res haud quaquam dubitatione sit digna;) Nùm vero miraculo quis posset in hunc modum abuti, si nimirùm in promissis absolutè habens à Deo, pro stato tempore miraculi alicuius patrationem, an hic deinde, vt erroneum quid prædicatione ingereret, sibi sub signi promissi vadimonio attentare, seu in attentato proficere sit potis, propter hoc, quòd hominem nequàm hac potestate miraculorũ, inter gratias gratis datas communiter computata, insigniri posse non dubitatur. Vt si Moyses, postquàm nouerat constitutum se Deum Pharaonis, ea fretus auctoritate, qua admiranda suprà naturam potis erat producere, mendacium aliquod, aut falsitatem proposuisset, miraculo subinde adhibito, quasi satisdans Deum promissus Dei supernaturalis concursus, fuisset hic suspendendus, nec ne? Non ignobili Doctori visum est quòd non: nec aliquibus displicuit Neotericis: quasi videatur, non esse à Deo, promissis non stare, magis, quàm falsò adstipulari; quin illud magis à Deo esse, quàm istud, ex eo videri; quòd istud non plusquàm indirectè Deum ipsum nominet, atque afficiat, tota malitia actus in abutentem Diuino promisso refusa; vbi Deo à promissis deflectente, quibus absolutè pollicitus fuerat homini patrationem miraculi, ipse Deus videretur infidelitate directè taxandus.

23 Sed casus iste (vt securis illicò ad radicem ponatur) quo ad vtranque partem omninò est impossibilis: & quod nunquàm tale quid sit promissurus Deus homini, quem nouerit in Diuinæ testificationis fidelitatem miraculo abusurum; vndè attentatio omninò remouetur: & quòd, data Dei promissione,

& hominis attentatione, huic non tenetur vllo modo omnipotens stare; & ideò remouetur effectus.

Tenetur immò non stare, ipsumq; suspendere miraculum, vt inueniatur fidelis, & verax: vt enim modò dicebatur, ille seductor est primarius, & mentitor, qui per alium principaliter decipit, existens ipse in causa, cur fiat dolus. In dato autem casu, quem latet, omnem suadelam ad credendum falsum, refundi in miraculum, & eius auctorem Deum? non quidem generaliter, quomodò secundarum causarum effectuum non est auctor; sed illis tantùm, vt sinat vnanquamq; pro sibi congenita virtute, operari, se se accomodat, speciali tamen diuina, ac dedita opera extraordinaria operans. Neque tamen inde dicetur Deus à promissis deflectere, ac subinde directò mendax, & infidelis; etenim negaret, quod nunquàm pollicitus fuerat, scilicet ad mendacium cum miraculo condescendere; omnis nanq; Diuina promisio in finem, summę bonitati congruentem, interpretanda est, directò excludens, quidquid fidelem deceat promissorem. Nonne ideò tenetur Deus stare pactis, quòd secùs infidelis deprehenderetur? Multò ergò magis habet in promissione cauere, ne aliquid includatur, vnde possit eodem infidelitatis crimine argui; vt ideò pro compertisimo habēdum sit, nullatenùs ad tàm amplam promisionem deflexurum iri inconsideratè, qua subdolè capiendus in verbis, teneatur, velit, nolit, falsum deinde agere testē.

24 Scilicet, cum non suppetat euidentior alia ratio, reuelationes fidei credibiliter proponendi, quàm per attestationem dati miraculi; hac infirmata per qualencunq; fallibilitatem, euidentia omnis credibilitatis adimeretur rei, quę proponitur ad credendum: vndè propositio quantiscunq; signis corroborata supernaturalibus, adhuc esset insufficienter proposita; quod in faciem omnium prorsus Theologorum planè diceretur, asserentium cum Innoc. cit. c. Cum ex iniuncto. obligari hominem ad credendum fide diuina, quidquid proponitur, simul atque compererit miraculum de ea diuinum reddere testimo-

 nium.

nium. Secùs immeritò Iudæos Saluator carpsisset dicens: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Ioan. 15. Immeritò à credituris Iudæis magnum quid, miracula, tanquàm locupletes testes, quæsita fuissent illis verbis: *Quod signum ostendis nobis, quòd hæc facias?* Ioan. 2. *Volumus à te signum videre.* Matt. 12. Quę fuit causa, cur Christus ipsis exprobrauerit: *Nisi signa, & prodigia videritis, non credidistis?* Ioann. 4. Frustrà pariter discredentibus conuertendis fuissent signa sæpius per Prophetas in veteri lege exhibita; cuiusmodi legitur: *Sed & nunc state, & videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro. Nunquid non messis tritici est hodiè? Inuocabo Dominum, & dabit vobis pluuias; & scietis, & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos Regem.* 1. Reg. 12. *Pete tibi signum à Domino Deo tuo.* Isai. 7. alijsq; in scripturæ locis sexcentis; quippe nil adderent certitudinis inspecta miracula, nisi moralem probabilitatem quandam de operantis, & proponentis integritate; Vt quòd plerunq; sancti sint, qui talia perpetrant: nostrę adhuc relicto fidei humanæ, credere prędicatorem non abuti miraculo, tanquàm virum probum, atq; fidelem: quam tamen existimationem de ipso habentem citrà miraculum, quid vetat de consequio fidere de eo viro ob suam integritatem, fore vt non sit contrà fas, & verum loquuturus?

Tantùm etiam abest, vt per miraculum, tanquàm per assumptum infallibile euidens, de obiecto, quod proponitur, ineuidenter infallibili, certus fiam, vt potiùs pro vna, duplicem præstare fidem opus habeam, rem scilicet credens veram esse, quæ proponitur, ipsumq; miraculum deceptiuum non esse. Siq; semel hoc hæreat animis, posse miraculum; & si raro; aliquando tamen, præter Diuinum institutum, assumi ab operario fraudulento, in finem malum, disseminandi errores; semper formidine merita hæsitabo, nùm ità sit, quòd hoc, vel illud miraculum veram habeat applicationem ex mente diuina, vt veritatem propositi dogmatis testificetur.

Dicamus tandem, quòd non modò nobis hinc adimeretur certissima ratio credibilitatis de quacunq; re, sed & Deo ipsi, cum seriò vellet, aliquod proponendi, & obligandi ad indubitanter credendum, semel admisso, quòd verum miraculum sit fallibile testimonium; eo quòd nunqnàm satis de mente diuina constare queat; sit ne Deus ipse proponens; aut verè in hunc testificandi finem ediderit rem miram, quæ cernitur.

25 Dico verum miraculum; Non inscius posse, præstigijs magicis multipliciter sensibus nostris illudi; resq; admirandas, aut verè, aut apparenter produci; vt præstiterũt venefici Pharaonis, & Cacodæmon est potis ostendere: vt si cadaueri assistens, vitales functiones fictè simulans, resurrectionem mortui conaretur insinuare: quibus vtique miraculis non esset impendēda fides, tanquàm Dei testimonio non fallenti, cui mendacium subesse non possit, cum reuera à Deo non sint. Cautiones propterea præscribuntur complures, quibus maiori, quæ naturaliter haberi valeat euidentia, de miraculi exhibiti veritate certificemur.

26 Si contueamur primodum in miraculis diuturnitatem effectus, & perseuerantiam: quippe nõ ità facilè est diù, sicut paululùm, & transeunter, illudere sensibus: fictitia nanque, & apparentia solent celeriter euanescere, nec ad omne diligentius examen consistere; siq; vni ludificauerint sensui, ab omnibus tamen collectim, qualia sint, nullo negotio deprehendentur. Sanè resurrectionem Lazari verum miraculum quis denegasset? Iàm enim humatus quatriduò, vitales est reuersus ad auras; quibus posteà frui est datum tàm diù, vt nulla potuisset inficiari perfidia, eam non fuisse verissimam mortem, quæ soles quatuor iàm abstulerat vitæ: aut resurrectionem extitisse fictitiam, quæ animales rursum operationes restitutas, multa conuersatione deinceps ostendit.

Effectus dehinc secundum obtinent locum, inter miraculum astruentia: si nempe eius generis sint, qui nequeant, nisi supernaturaliter exhiberi; quales sunt operationes vitæ, post ani-

mam seiunctam à corpore; illuminatio Cęci, de qua stupebant Iudæi: *A sæculo non est auditum, vt aperuerit quis oculos cæci nati*. Ioann. 9.

Frequentia tertiò, & multitudo consimilium admirandorum operum, ab eadem persona prodeuntium, apprimè comprobat miraculi veritatem; si modò nullum desit ex indicijs, & signis, quibus eorundem operum essentias veras internoscere consueuimus: qua enim euidentia potiori constare potest hoc de racemis vuarum expressum, esse verum vinum, quæ non itidem habita sit in vino, in quod Saluator ad Chananeas Nuptias lympham conuertit?

Adde non vulgarem modum, quo huiusmodi signa monstrentur, vt si imperatiuè: *Sol cõtra Gabaon ne mouearis*. Iof. 10. *Adolescens tibi dico surge*. Luc. 7. Si per orationem, vt in Lazari resuscitatione. Si (quod præclarissimum est) coniungendo opus aliquod proprium solius Dei, puta manifestationem alienarum cogitationum, quod familiare fuit Christo Domino.

Tandem ex fine de patrato opere est dijudicare; qui si bonus euidenter appareat, cæteris non deficientibus requisitis, maximam adstruet miraculo fidem; secùs omnium consensu, si euidenter malus, aut dubius dignoscatur.

27 Porrò aliæ ad idem cum non desint ab extrinseco coniecturæ, subsistas, & diligentiùs rem perpendas oportet, quandocunq; prædicationes, pro quibus datur miraculum, Orthodoxę fidei contrariare videantur. Fraudem enim latere quis nescit in eo, quod mirabiliter exhibetur, si doctrina, in cuius attestationem illud exhibetur, Diuinæ repugnet fidei? Neque enim secum met diuina veritas pugnat, vt per verum miraculum velit insinuare contrarium ijs, quæ ipse anteà reuelarit. Hùc facit illud Paulinum: *Licet Angelus de Cælo euangelizet vobis præter id quod euãgelizauimus vobis, anathema sit*. Galat. 1.

Quòd si fidei dogmatibus id, cui adstipulatur miraculum, non aduersetur; adhuc tamen perpendas oportet an aliunde sit

reprehensibile; itàut nequeat cum Apostolo appellari: *Verbum sanum, & irreprehensibile*. Tit. 2. erit enim falsum pariter prę-stigium, quod ad huius corroborationem doctrinæ apparet miraculum: pro eo quòd incongruit erronea dogmata præ-dem habere Deum.

28 Attendendum ergò, quòd fidei obiectum, etsi in suæ essentiæ veritate, quà tale, ineuidens, sufficienter tamen proponatur; nimirùm cum euidentia credibilitatis, quæ per apertas Diuinas Scripturas fieri consueuit; tutissimè verò per miracula, in dicti comprobationem signanter exhibita, quæ euidenter ostendant rem, de qua testificantur, esse credibilem; vtpotè reuelatam à Deo, siquidem hùc resoluendum est formale obiectum, seu motiuum fidei, nimirùm in Deum reuelantem; etenim, *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se*. 1. Ioann. 5. vtiq; per ipsius reuelationem: sicut de Euangelio fatur Apostolus: *Accepistis illud, non vt verbum hominum, sed vt verè est verbum Dei*. 1. ad Thess. 2.

29 Sed ne formale obiectum fidei cum eiusdem fidei habitu confundamus, vt nonnulli faciunt asserentes obiectum formale fidei non constitui tale, nisi quatenus subest habituali ipsi lumini fidei, à quo illustratio, & reuelatio necessaria procedat; præaccipiendum est de reuelatione, seu illustratione diuina, hanc esse duplicem: D. Th. docente, 1. p. q. 106. artic. 1. Alteram, qua illustratur obiectum; alteram, qua lumen infunditur ipsi potentiæ. Hoc posterius reuelatio quidem nuncupatur, sed magis propriè dicitur habitus fidei, de quo scribitur: *Nos igitur reuelata facie gloriam Domini speculantes*. 2. Cor. 3. Huiusmodi, cum suam speciem ab obiecto formali traducat, fieri nequit, quin ipsum præsupponat, minimè autem constituat. Altera verò magis propriè reuelatio est obiectiua, potentiæ extrinseca, per quam nobis proponitur Deus, vt suarum veritatum testis: de hac Apostolus loquitur: *Iustitia Dei in eo* (nempe Euangelio, quod fidei est obiectum) *reuelatur ex fide in fidem*. Rom. 3. & alibi de eodem: *Neque enim ego ab ho-*

homine accepi illud, neq; didici, sed per reuelationem Iesu Christi, Gal. 1.

Hæc reuelatio ex parte obiecti manifestat veritatem eius; seu veriùs assentiendi motiuum firmissimum præbet: quo fermè pacto Præceptor audientes, & superior Angelus inferiorẽ illuminat, nihil in potentia luminis producendo; obiectum tantummodò depurando, & enucleando. Non aliter obiectum fidei resoluitur in Deum reuelatorem, prout illud manifestando, addit eidem lumen, vt verè dicatur: *Omne quod manifestatur, lumen est*. Ephes. 5. Simili ratione dicuntur illuminati Prophetæ, & mundus à Christo Domino, qui: *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem*. Ioann. 3.

30 De priori verò reuelatione, seu illustratione, quæ fit ex parte potentiæ, estq; ipse fidei habitus, nolumus omninò eum esse, non modò totalem rationem formalem obiecti fidei, sed neque partiale complementum: Contrà nonnullos, comminiscentes reuelationem obiectiuam inchoare quidem rationẽ formalem obiecti fidei, nihilominùs eam non complere, quòd ex se huiusmodi reuelatio indifferens sit (vt aiunt) ad acquisitam non minùs, quàm ad infusam fidem; vt videre est, subdentes, in Hæreticante, quòad vnum articulum fidei, in cæteris autem consentiente propter reuelationem Diuinam nobiscum; non tamen, sicut nos, infusa fide, sed veriùs acquisita; qui proinde non tenet integrum obiectum fidei; cum desit illi complementum, quod est habitus fidei, desuper inditus.

31 Commentitia prorsus assertio: præter propter quod diximus, ea quæ se tenent ex parte principij, esse impertinentia ad constitutionem obiecti, quam præsupponunt; etiam quia falsò dicitur, Hæretici fidem acquisitam, qua in quibusdam articulis nobiscum consentit, esse ex communi motiuo Dei reuelantis: Quì enim id esse potest, cum ea non resoluatur in testimonium Diuinum, sed magè testimonium Diuinum in ea subiaceat beneplacito hominis, sic iudicantis, & opinantis?

Quid est quod Catholicus incipiens præuaricari circà articulum aliquem, de hoc tantùm infusam, & acquisitam deperdit fidem, circà alios verò, quos non diffitetur, acquisitam retinet, facta solum de infusa iactura? hoc profectò, quia alia, & alia inuenitur formalis ratio in vtriusq; fidei obiecto; nàm si Diuina auctoritas esset ratio formalis acquisitæ fidei, sicut infusæ, par vtique fuisset in obiecto connexio ad acquisitam, ac ad infusam fidem; nulla siquidem potior apparet ratio, cur hæc depereat, illa permaneat, recedente assensu, quoad aliquid ex credendis.

Et tamen altera deperit, altera permanet; non alia ratione, nisi quia infusa fides motiuum formale vnum, idemq; habet inuariabile; Diuinam scilicet reuelationem; quæ, aut tota negatur, aut tota recipitur: nusquàm humano iudicio eò variabilis, quòd in hoc vno auctoritatem non sortita, in cæteris tamen fidem faciat.

Dissimili ratione humanitùs parta fides, sicuti multiplex, illudq; alterabile habere potest motiuum, pari sorte, ac alteratione nunc huic adhærere potest, cuius non amittit motiuum; nunc eidem reluctari, cuius iàm imbibitum, modò respuit humanum assentiendi modum. Nisi desipiendo dixeris, rationem, cur amittatur fides infusa omnis, & retineatur acquisita quo ad cæteros articulos, vno negato, esse, quia in fide infusa amittatur habitus, inclinans ad omnia. Hoc .n. quis vnquàm non agnouerit præposterum; cùm habitus, eo quod se teneat ex parte principij, sequatur semper formale, quod præsupponit, obiectum?

32 Ipsi magis tota aberrant via, qui Diuinam reuelationem nil pertinere, aiunt, ad fidei obiectum formale, ex quo ea sit aliquid, huic extrinsecè aduentitium: cum tamen formalem cuiuscunq; rationem obiecti, aliquid ponere realis in ipso, nolint reuocari in dubium: quasi in alijs humanis actibus frequentissimè nō inspicerent, potissimam virtutem ad affectum, assensumue, tùm à voluntate, tùm ab intellectu ciendum, to-

tam in formis extrinsecè denominantibus reponi. Ecce amo amantem me, nec tamen amantis amor aliquid in mea voluntate, quam mouet, ponit intrinsecum. Fide humana auditæ assentior historiæ, ob grauitatem, & auctoritatem Scriptoris; quid, sodes, hinc meo intellectui intrinsecùs imprimitur, esto motiuum meæ fidei inde elicuerim?

Fortè repetent: quòd veluti scibile non dicitur antecedenter ad scientiam, sed per relationem, & analogiam ad ipsam; ità nequeat dici obiectum fidele, & credibile, nisi adiunctum ipsi habitui fidei, atque actui credendi; vt ideò non magis habeat habitus fidei præsupponere obiectum, in ipsius formalitate credibilis; quàm ipsum obiectum, quò ad hanc denominationem credibilis, ab habitu, actuuè ipso pendere credendi. Apagete æquiuocantia sophismata. Aliud est, quis nescit? obiectum considerare, siue credibile, siue scibile, prout est terminus denominatus ab ipsa fide, aut scientia; quo pacto induit rationem termini, non verò obiecti: aliud antecedenter considerare idem obiectum, non vt actu creditum, vel scitum; sed fide, scientiauè dignum, & aptum ad ciendum intellectum, vt sibi adhærescat per fidem: & hoc sensu obiectum formale dicitur; non quidem prout esse credibile consurgit extrinsecè in quouis obiecto, ex habitu, vel actu, vel propositione sufficienti; sed quatenùs formaliter constituitur per verum, propriumq; credendi motiuum, idest reuelationem.

33 At instant: formalis ratio obiecti, nonnè debet esse vniuoca? Equidem: quomodò ergò Diuina reuelatio sit formalitas propria obiecti fidei, quæ theologico quoq; communis est formali obiecto? ex D.Th. 1.p. q. 1. ar.7. non videtur formalis ratio constitutiua, ex supernaturali lumine reuelationis petenda analogo: sicut lumen naturale intellectus agentis, quod naturalia obiecta generaliter omnia percipit, nõ est ob id vniuoca ratio vnius peculiaris scientiæ. Verùm in hoc secundo, quis disparitatem dissimulet? Non est naturale lumen intellectus agentis quiddam ex parte obiecti se tenens, vt habitum

queat specificare, sed potentiæ inhæret, ad plura, formaliter in se diuersa obiecta se habenti, vt æquiuoca caussa, quatenùs potis est per distincta media præbere assensum, seu diuersa motiua obiecta formalia. Nos verò in casu opposito versamur, nàm enunciando reuelationem esse rationem formalem obiecti fidei, de ea loqui iàm contestati sumus, quæ ex parte obiecti se tenet, non de interiori è regione opposita illustratione principij.

34 Vt deinde alteri satisfiat, addendum discrimen inter modos, quibus Diuina reuelatio obiecta fidei, & Theologiæ dicitur formalizare. Neq; enim simpliciter quæuis reuelatio Diuina est ratio, in quam resoluatur fides nostra; sed ea dumtaxat, quę sicuti immediatè illustrat obiectum, ità immediatum motiuum est ipsum attingendi: vbi Theologia, mediatè solùm nititur auctoritate Dei reuelantis, quatenùs ipsis propositionibus fidei, immediatè reuelatis, tanquàm principijs vtitur, vt per discursum deinde in cognitionem deueniat rerum, non immediatè reuelatarum. Quò fit, vt minor sit de his theologicis conclusionibus certitudo, quàm de ipso fidei obiecto, immediatè reuelato, vndè deducuntur, per eam extremorum cum medio connexionem, quæ manifestat virtualem continentiam vnius in alio, naturalis luminis ope, quod citrà controuersiam, est inferius immediata reuelatione Diuina. Hinc carent theologicæ propositiones fidei obiecto formali, quoad immediationem reuelationis; subinde non sunt credendæ fide Diuina, nisi fortè eiusmodi sint, quas ideò dicas theologicas, quia per rationem theologicam explicentur, contineri formaliter in obiecto fidei, immediatè reuelato; huius siquidem generis, nō tàm conclusiones theologicæ, quàm veræ propositiones fidei, per theologicum solummodò explicatæ discursum, meritò prætitulantur.

35 Sunt qui tradant huiusmodi regulam, de theologica ratiocinatione, quòd si inter syllogismi præmissas, vniuersalis propositio sit de fide, altera particularis sola naturali euidentia

manifesta, conclusio eliciatur de fide tenenda. Exemplum. Quicunque infans ritè sacro baptismate est ablutus, inde, quòd à quocunq; obice sit immunis iàm iustificatus est: hæc vniuersalis de fide creditur: iste infans à me ritè baptizatus est: hæc particularis est naturaliter mihi conscio recti mei ministerij euidens: quidni igitur de fide mihi sit, ipsum paruulum vtiq; iustificatum iri?

Sin autem inuersa vice, particularis sit de fide, hoc est immediatè reuelata; & vniuersalis altera, non nisi naturaliter nota; naturalis pariter deducitur conclusio, nequaquàm pertinens ad fidem. Vt si dixeris: Omnis homo est risibilis: quod naturali lumine tenes: Christvs est homo: quod fides docet; consequentia futura est extrà fidei obiectum: ergò Christvs est risibilis.

Exemplum quidem vtrunq; verum, ac firmum; non tamen ex assignatis regulis, sed aliunde: ideò enim prior conclusio: Infans est iustificatus: est mihi de fide credenda, quia continetur, vt diximus, sub vniuersali præmissa pariter de fide, & sufficienter mihi, meam rectam actionem, & intentionem experto, innotescit. De fide autem non est conclusio posterior theologica, quòd Christvs sit risibilis: quia risibilitas formaliter sub ea particulari de fide solùm, tanquàm passio, ac virtualiter, ceù in radice continetur. Argumento sit manifesto, quòd si ratiocinatio ad aliam conclusionem tenderet, quæ formaliter contineretur sub particulari præmissa reuelata de fide, nihil referret propositionem esse particularem: vt liquidò constat, si dicatur: Omnis homo rationali anima constituitur, Christvs est homo: igitur Christvs rationali anima constabit: Hæc consequentia proculdubiò ad fidei obiectum pertinet, & tamen procedit ex præmissa particulari de fide; nulla alia ratione, nisi quia est explicata per theologicum discursum, non tanquàm virtualiter, sed vt formaliter contenta in ea propositione reuelata de fide, quàmuis non vniuersalis, sed particularis sit: Vniuersalitas igitur, vel particularitas præmissæ de

fide nihil ad rem nostram, concludendi propositionem de fide, vel secus.

36 Alius circa idem est error dicentium, Conclusiones omnes, quas theologicus explicat discursus, contineri in reuelata re, esse credendas de fide, siue formaliter, siue virtualiter explicentur contineri; Modò præmissa explicans sit naturaliter euidens, ideſt certa, quæ duo recurrunt ad inuicem in naturali cognitione. Si hoc enim quoad continentiam virtualem verificaretur, consequens inde fieret proprietates, & passiones, quæ in reuelatis rebus continentur radicaliter, theologicè explicatas, esse obiectum fidei, quod alienum à vero, modò in CHRISTI risibilitate est ostensum; nihilq; vlteriùs interesset inter actum, habitumuè fidei, ac inter theologalem; cū tamen Doctor Angelicus 1.p.q.1.ar.3. id discrimen constituat, quòd fides immediatæ reuelationi Diuinæ nixetur, Theologia autem mediatæ: idem ac dicere, priorem terminari ad contenta in reuelatis formaliter, alteram verò ab ijs, tanquàm passiones secundariò deduci.

Sed enim, cum non omnis theologicus discursus tendat ad explicandam continentiam alicuius cōclusionis sub aliqua reuelata præmissa; cum immò tota ratiocinatio sit non rarò ex propositionibus non nisi naturaliter cognitis; idcircò triplicem idem S. Doctor subnectit assensum; alterum quidem certissimum fidei, quando res explicatur contineri formaliter in reuelato obiecto: alterum minus certum, quando conclusio ex euidentia omninò naturali procedit: tertium medium, naturali certiorem, & fideli minus certum; qui esse nequit, nisi assensus, explicatus quidem per naturalem euidentiam contineri in obiecto reuelato; at non magis quàm virtualiter; idcircò magis certus, quàm sit assensus puræ naturalis euidentiæ, quia ab altera præmissarum de fide traducitur, quàmuis eo quod non formaliter sub ipsa contentus, nequeat omninò ad certissimum fidei assensum assurgere.

38 Est enim, vt diximus, fidei assensus solummodò de reuela-

tis immediatè; qualia sunt sola cõtenta formaliter in re reuelata; non itidem, quæ virtualiter, tanquàm proprietates, & passiones solam habent in ipsa radicem. Nec longè, de contentis formaliter, petenda est ratio: Deus quandoquidem intimam essentiam comprehendens rei reuelãdæ, perspicuè, atq; distinctè iudicans de eadem, reuelat ipsam, secundùm naturam eius absolutissimè; quàmuis nostri hebetudo ingenij primo intuitu confusè percipiat. egeatq; frustratim, quasi illa concisa, apprehendere, quæ sub vna essentia formali rei, Diuina reuelatio patefecit. Ni hoc asseras, reuelata à Deo secundum omnimodam essentiam esse reuelata; hæreticæ proteruiæ relinqueretur locus contradicendi, ac inficiãdi, quòd CHRISTVS anima rationali præditus sit; contrà expressam mentem Dei reuelantis; qui non aliter reuelare intelligit CHRISTVM esse hominem, quam CHRISTVM habere veram, ac totalem essentiam hominis. Immò etiam inficiandi non esse de fide, quòd CHRISTVS sit homo,& quòd non esset hæreticũ negare CHRIstum esse hominem;quia hoc negare esse hæreticum non fuerit reuelatum; cum tamen secundùm nostram regulam consequatur hoc etiam esse reuelatum; quatenùs est de natura,& essentia cuiusq; propositionis, formaliter includere negationem contradictoriæ, seu, quod idem, est contradictoriam sub censura propositionis explodere.

Bifariam autem contingit, contineri aliquid formaliter in ipsa reuelatæ rei quidditate; licet ex nostro apprehendendi modo id non semper explicitè,sed aliquando in confuso. Primò si reuelatio sit de propositione generali, distribuenda in sua membra: veluti si dicatur: Sacramenta omnia conferunt gratiam obicem non ponentibus; In qualibet hostia cõsecrata CHRISTVS adest; Quicunque verè contritus, est iustificatus: Omnis legitimè electus ad Romanum Pontificatum, verus est D.Petri successor: & id generis multa: in quibus propositionibus reuelantur omnes particulares; videlicet, quòd hic, & alter, & ille; siuè baptizatus sine obice; siue contritus, existat in

gratia: hæc consecrata hostia fit transubstantiata in Dominicum Corpus: atque hic electus ad Episcopatum Romanum sit vniuersalis Ecclesiæ Præstes &c. Quorsum enim illa reuelatio vniuersalis, nisi signanter particulares quascunq; includat in eo genere propositiones? & quomodò vniuersalis, nisi extendatur ad omnes particulares? Veluti igitur reuelato homine, in ipso Corpus, ac rationalis anima reuelata dicuntur; quia essentiales partes sunt illius totius essentialis, quod est homo: Cósimili essentialitatis ratione, totum vniuersale nó reuelatur absque suarum singularum partium collectiuarum reuelatione, quæ ideò formaliter in eo dicuntur contineri, non quòd partem formalitatis totius collectiui ad modum partium definitionis inuoluant; etenim totam rationem formalem, seu definitionem ipsius, palam est singulas continere: sed quia eandem totam, & indiuisam quoad partes essentiales rationem, non in tota collectione ipsius totius, seu totaliter; sed vnaquæq; pars, suam singularem, & distributiuam portionem illius communis, & totalis rationis formalis, seu definitionis collectiui comprehendat, & ab eodem toto collectiuo sic comprehendatur, quòd, ipsa exclusa, deperderet naturam, essentiam, ac formalitatem totius; nihil minùs, quàm præcisa anima rationali ab homine, non superesset amplius homo. Secundò, immediata reuelatio est de partibus essentialibus in re reuelata contentis: Licèt quoad nostram rudem intelligentiam sæpe explicitè non innotescant. Si nanq; reueletur CHRISTVM esse hominem, reuelatur pariter esse animal rationis compos, sensitiuum, substantiam, viuentem, &c. quia definitionis partes, omnesq; rationes superiores incompletæ, in rei natura, quæ absolutissimè reuelatur, formaliter, ac essentialiter includuntur.

40 Cæterùm eorum, quæ non formaliter in ipsa reuelata re continentur, sed indidem dumtaxat originantur, virtualiter tanquàm in radice inclusa, nullum dicitur immediatè reuelari; vt proindè huiusmodi extrà Christianæ fidei vagentur ob-

iectum; huius generis sunt passiones, à rei fluentes essentia. Quarè homine reuelato, non consequitur risibilitatem esse itidem reuelatam formaliter,ideòq; credendam. Quod quàm verum sit, Ecclesiæ sanctæ comprobat consuetudo per quam plures,quoad naturam,definitæ sunt ad credendum passiones, seu proprietates, virtualiter in re aliqua reuelata contentæ; vt contrà Sergium, ac Monothelitas,fuisse in CHRISTO Domino duplicem voluntatem. Minimè autem adijceret Ecclesia definire, quod idem est ac reuelare, res suaptè definitas de fide, si formaliter, & immediatè reuelatæ essent, nisi eiusdem rei duplicem velimus assignare Diuinam reuelationem, quod esset non minus ridiculum, quàm vanum.

Quòd si de rebus etiam immediatè, ac formaliter reuelatis Ecclesiam statuere autumes; hoc in primis non ostenditur,sed aliquando contigerit, Ecclesiam in huiusmodi reuelatis os posuisse, quis ignoret id factum edisserendo, & explicãdo potiùs, quàm decernendo? itàut Ecclesiæ sanctio versata fuerit,veriùs circà nondum reuelatam circunstantiam rei, aut circà reuelationem ipsius, quàm circà substantiam, vt nunc supponimus, reuelatam.

Decernit quidem eadem Sancta Ecclesia de ijs, quæ sicut in reuelato obiecto virtualiter continentur, ità, quòd reuelata mediatè dicas, quatenus cum ipso obiecto formaliter reuelato habent connaturalem connexionem, nihil ad nos. Hoc quidem prætendimus, quòd posito Ecclesiastico decreto, illa in obiecto formali fidei incipiant contineri credenda; eo quod ex tunc incipiant esse reuelata formaliter, & immediatè; astipulantibus omnibus, quòd quicquid Ecclesia definit, per Ecclesiam Deus reuelet.

41 Vide tamen, cum audis obiectum fidei esse debere reuelatũ immediatè, ne allucineris intelligendo immediatè, ex parte reuelantis Dei, vt esse oporteat tàm immediatè à Deo propositum,quin possit à quocunq; intermedio proponi prædicante. Minimè verò de immediatione ex parte Dei reuelantis; sed de

rei immediata reuelatione est sermo; quatenus ipsius rei de fide credendæ formalitas, seu essentia esse debeat reuelata, & eo ipso credatur, quia reuelatur; non autem, quòd per connexionem medij discursiuam, ex immediatè alijs reuelatis inferatur; qualis qualis deinde sit immediatus prædicator illam sufficienter proponens; modò in Deum vltimò tandem resoluatur assensus, à quo veritas ea primò, & originaliter processit.

Vt ideò, quod sacræ testantur Litteræ, id immediatè diuinitùs habendum sit reuelatum. Nonne scriptura Diuina dicitur Verbum Dei? Quod Apostolicæ sanctiones docent, docebat CHRISTVS ipse Apostolis inquiens: ***Qui vos audit me audit.*** Luc. 10. Quod Ecclesiæ rumor diffamat vniuersalis per receptas traditiones, hoc ipsum perinde ac lex scripta, firmiterq; tenenda, suscipiendum sit; vnde quadrat apprimè, quod dicitur Psal. 44. ***Lingua mea calamus Scribæ velociter scribentis.*** Quidquid ipsa in moribus, & fide loquitur vniuersaliter, id Spiritu sancto dictante recipiamus, de quo promissio extat: ***Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*** Ioan. 16.

42 Prophetæ singuli nil nisi Verbum Domini se testantur loquutos. Isaias facundum Doctorem se iactat, erudiendis populis sufficientem; Nihilominùs Diuini Sapientissimi Gymnasiarchæ Hypodidascalus audit quasi discipulus, & sibi tardè intelligenti Magister vellicat aures: ***Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum, qui lassus est, verbo; erigit manè, manè erigit mihi aurem, vt audiam quasi magistrum.*** Isai. 50. Dauid ab vniuerso orbe omnigena collecta, & disposita concione, adhuc habet addiscere quid loquatur, & dare aures Deo loquenti: ***Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem; Quiq; terrigenæ filij hominum, simul in vnum diues, & pauper. Os meum loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam.*** Verùm nihil adhuc dicendum ex me teneo: ***Inclinabo in parabolam aurem meam.*** Psal. 48.

Ezechielem Dominus sic consolatur: *Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me*. Ezech. 3.

Non minus dicendum de Apostolica Cathedra, ipsum Diuinum oraculum responsare; pariter enim superædificamur super fundamentum Apostolorum, ac Prophetarum. Non audis illos, sicut istos dicentes: *Visum est Spiritui sancto, & nobis?* Act. 5. Apostolica igitur Sedes, diuina auctoritate definit, & definiendo reuelat res de fide credendas; vt simul, ac semel Deus per os illius, reuelationem rebus per eam definitis tribuere indubiè censendus sit. Vt ideò non sint omninò audiendi asserentes, quòd Ecclesia, quasi nil addens reuelationis, singula tantummodò, prout anteà se habebant, credenda definiat; hoc est quæ immediatè à Deo reuelata agnoscit, immediatè spectare ad fidem; & quæ mediatè, non plusquàm mediatè de fide esse tenenda. Non ità est, sed post Ecclesiasticam definitionem, quæ anteà de fide non erant, vt quæ in obiecto fidei reuelato, non plusquàm virtualiter continebantur, iàm vera fide deinceps sunt credenda; eo quòd per additam Ecclesiæ reuelationem, quæ diuina est, incæperint intrà obiectum fidei contineri formaliter, non minus, quàm alia omnia intrà obiectum fidei à Deo constituta, quæ cum reuelata supponantur formaliter, ac immediatè, nil indigent ab Ecclesia definiri.

43 Per hoc tamen non negamus, quin Ecclesia, seu Summus Pontifex, à quo est tota auctoritas definiendi de fide, aliquando decreuerit immediatè, non circà substantiam, aut veritatem rei, sed solùm circà ipsius reuelationem; definiens solùm rem aliquam, tanquàm à Deo iàm reuelatam, ideò de fide credendam, quia fuerit intrà latitudinem obiecti reuelati iamdudùm reposita. Quid enim obstat, quo minùs Ecclesiæ definitio ad solam reuelationem rei propositæ immediatè respiciat, quandocunq; contingat, tàm obscurè sub obiecto fidei iam reuelato delitescere, vt per rationem inuestigabilis præstet Ecclesiæ magisterio illustrari, quantùm satis sit ad illam

de fide credendam? Hanc tamen veriùs rei sufficientem explicationem, aut propositionem dixeris, quàm definitionem. Extant tamen vsitatæ Sedis Apostolicæ definitiones, adeò rei veritatem immediatè tangentes, vt nullam prorsus rationem habuerint ad præcedentem Dei reuelationem, quæ reuera non adest. Quomodò definibiles sunt passiones, in obiecto reuelato solùm virtualiter contentæ, & de facto aliquæ fuerunt definitæ: vt CHRISTVM habuisse duas voluntates contrà Sergium, & Monothelitas; quod supra retulimus. Testes sint definitiones Conciliorum, Sacriq; in primis Concilij Tridentini, pluribus decernentis de rerum veritate ipsa, nec quidem minima interposita insinuatione de præcessa Dei reuelatione. Vt ideò tunc solùm cum fuerunt definitæ, incœperint cótineri intrà formale obiectum fidei; extrà quod priùs vagabantur: eoq; ipso reuelatæ à Deo eatenus censendæ, quatenus Deus per os Pontificis, cui assistit, media definitione, per ipsum emanata, eas reuelarit.

44 Nec magnopere attendendum, quòd Apostolicus trhonus, seu cum ipso Concilia, in definiendis articulis fidei vtantur discursu; id siquidem frequentiùs præstant, dum rem potiùs explicant contineri formaliter in obiecto fidei reuelato, quam virtualiter solùm antea in eodem contentam, nouiter definiendo, reuelant formaliter; quòd si etiam hìc aliquando per illationem procedant, maiestate rei hanc exigente maturitatem, nihilominus omne fundamentum credendi rem definitam, est ipsa Ecclesiæ sacrosanctæ auctoritas, cuius voce loquitur reuelator Deus: Quandoquidem vnum hoc in exploratissimis habere debes, assensum fidei in nulligeno posse fundari discursu.

45 Quid vis? vt principia ipsa fidei, an vt aliæ quælibet eiusdē propositiones ratiocinationi nitantur? herclè, principia nequeunt prima, per discursum ab alijs prioribus inferri principijs: iàm enim eo ipso non essent prima, quæ supposueramus prima. At demonstrarentur, vt velis, per alia priora principia;

traducenturne hæc deinde ab alijs adhuc prioribus? quiescendum certè erit tandem in aliquibus primis, per se ipsa, vnicoq; simplici assensu credendis; ne aut Ixionis labori damnemur, rotam circumagentes in infinitum; aut eadem per eadem ostendendo, in vitioso circulo principium petamus: Quod vtrunq; per inconsequens est, & absurdum.

46 Sed de quibuscunq; etiam reuelatarum assensibus idipsum apertissimè liquet; quòd scilicet in nulla possint ratiocinatione fundari: tùm quia fides, vnus est simplex habitus, cui de consequio, vnus idemq; simplex semper correspondere habeat operandi modus; ità vt si semel assentiatur absq; discursu, puta in hoc principio credito per fidem: Deum esse veracem: quod propter reuelationem eiusdem Dei creditur; vno eodem pariter simplici actu, consequens sit, vt semper in cæteros actus suos, eodem planè modo, fidei habitus tendat sine discursu: aliter non permaneret idem omninò habitus, cum huiusmodi diuersi modi operandi, & per discursum, & sine ipso, satis sufficiant ad habitus distinguendos. Tùm etiam, quia si assensus fidei à discursu penderet in sua certitudine, nunquàm certior esset lumine naturali, quo certa habetur connexio extremorũ in syllogistico illo discursu, vnde infertur ipsa conclusio credenda fideliter: Quia vt benè Dialectica docemur regula, Conclusio imbecilliori semper adhæret parti; plus certitudinis nunquàm sibi arrogans, quam repererit in præmissis: in quibus si titubauerit connexio prædicati cum subiecto, & applicatio medij termini, quid certitudinis maioris speres in consequentia?

47 Si dixeris connexionem extremorum in huiusmodi ratiocinatione, virtualiter haberi in ipsis principijs reuelatis immediatè; proinde dependentiam illam conclusionis elicitæ à principijs, cum extrinseca prorsus non sit, minimè labefactare eiusdem certitudinem, quo minùs sit supernaturali fide credenda, non proficis hilum: aut enim loqueris de ipsa pura syllogistica ratiocinatione, quæ in illatione vnionis consistit

extremorum inter se, ob vnionem eorundem cum vno tertio medio: & sic planè falleris; etenim non elicitur certa certitudine fidei, vtcunque constet ex terminis, ad fidem spectantibus: quis enim non videat talis illationis necessitatem non esse reuelatam, sed fieri humana applicatione? Sin magè intelligas de altera connexione, quam habeat ipsa veritas reuelatæ rei, cum obiecto formali fidei; vtiq; libens do illationem, seu veriùs propositionem illam cognosci per fidem; non tamen ex vi discursus, sed propter necessariam, ac simplicem adhæsionem intellectus ad fidei obiectum, sibi sufficienter per ratiocinationem propositum contineri sub tali ratione formali.

Fieri etiam poterit, vt assensus per illationem deductus, certus pariter sit, & obscurus. Nec tamen ideò sit fidei assensus; quia nimirùm intrà certitudinem illam gradus reperiri possunt, ab inuicem essentialiter discreti, prout variatus fuerit assentiendi modus, magis, minusuè certus, ob mediatam, vel immediatam intellectus adhæsionem rei.

48 Ergò (inquis) ad quid theologicus discursus proderit? aio: licet pro ratione formali, seu caussa per se assensus fidelis nequeat inseruire: perutile nihilominùs erit fidentibus, vt percipiant, quid credendum, eo ipso quod sibi explicet, & proponat rem, sub Diuina reuelatione quidem formaliter contentam, sed respectu humani intellectus, non omninò perspicuè primo apparentem intuitu: ità tamen, vt explicatione peracta, omnis assentiendi ratio sit semper immediata reuelatio Dei, discursus venatione deprehensa. Perutile etiam Sedi Apostolicæ, quatenùs inde permouetur ad rem, quam vult in posterum credi de fide definiendam, vtq; res pro dignitate transigatur, sitq; firmior in gradu persuasibilium humanæ sapientiæ, ac minùs impugnationis, aut cauillationis ab euersoribus catholicæ fidei patiatur.

49 Postquàm rem fidei huc omnem redegimus, vt eius certitudo in solam Dei reuelationem resoluatur; quanta sit huius infallibilitas dignoscere præstat. Tantam quidem cum D. Th.

2.2.q.1.art.3. Theologi cuncti rotundo ore pronunciant, vt nullus ſupponi valeat dolus. Res eſt in procliui: Deus etenim prima veritas eſt, non modò in cognoſcendo infallibilis, ſed etiam in dicendo. ità vt, quemadmodum nuſquàm falli, ità nec queat fallere: ſemper conſona menti verba proferens, ſincerè communicans, quod abſq; vlla imperfectione intelligit. Adeoq; alienum à Diuina Maieſtate cenſeatur mendacium; vt neque per eius abſolutam potentiam, inde egredi valeat: Fidelis eſt enim Deus, & ſe ipſum negare non potens.

50 Contrarium docuere Priſcillaniſtæ, de facto plura, nedum per abſolutum poſſe, Deo imponentes mendacia, Auguſtino referente lib. circa Mend. c. 2. & hæreſ. 70. Sed etiam ex noſtris non defuere, qui minimè indecorum Diuinitati arbitrarentur, ſi lubeat, poſſe mentiri. Maligno tamen parcentes vocabulo mendacium ſub hac voce à Deo ablegant: quia falſum dictum videtur ſibi velle, cum deordinatione mentis, & morali malitia, cuius eſt omninò incapax Diuina bonitas: vt proinde licèt eloqueretur falſum, nullius eſſet peccati rea; ex quo malitia nulli actui ab intrinſeco inſit, ſed vt ait Apoſtolus ſit: *Virtus peccati lex*.

51 Atqui Theatra tota reclamant: & quidem in eo falluntur, Diuinæ fallaciæ aſſertores, quòd aliud putant fallere, aliud mentiri, aliud malitioſè mentiri. Quid hæc inter interſit, nondum inuenimus. Apud homines, dicimus tecum; non idē eſſe, falſum dicere, atque mendacium. Nàm qui falſa profatur, loquitur interdum ex animo, verumq; exiſtimat, quod narrat; inde decipiens, quia deceptus; iſq; mendacium non quidem, ſed vtiq; falſum dicit. Secus in Deo, ſi ſemel admittatur poſſibilitas falſum enunciandi; cum enim hæc originari nequeat ex dicentis ſimplicitate; quòd nimirùm bona fide referat, quòd & ipſe falſum, ſub ſpecie veri imbiberit; ſequitur omne crimen voluntati inurendum bifidæ, & malignæ, dum intellectus in cognoſcendo, ipſe nihil peccauit. Aut igitur à falſo dicendo abſtinebit Deus, aut ſi dicat, oppidò mentietur.

52 Sed quòd insuper omne mendacium sit intrinsecè nequam, seclusa illa excogitata malitia extrinseca, in certissimis; immò de fide tenet Augustinus lib. de Mendacio. & testimonium suscipit non obscurum, ex c. super eo, de Vsuris. quatenus in eo habetur, neq; pro ipsa vitæ tutela, secundum sacram Scripturam, licere mentiri, ibi: *Quia cum Scriptura sacra prohibeat, pro alterius vita mentiri, multò magis, &c.* Id non negaueris mihi, multa esse peccata, malitiam non ab extrinseco traducentia, sed in se ipsis congenitam intrinsecè habentia: quod exploratum est in triuijs, & tonstrinis, nedum in scholis Theologorum. Consule, si placet, quæ ab his in materia de peccatis docentur.

Peccaminosa intrinsecè in sua natura sunt, quæcunq; naturę ordinationi contrariantur. Sic Monstrum dicitur delinquentis naturæ peccatum, quia intendens hominem progignere, capripedem, aut bicornem edit. Sed magis propriè in moralibus, quædam rationali intrinsecè creaturæ disconuenientia, atq; à proposito eius naturæ deordinata, sunt ab intrinseco vitiosa; siq; deliberato fiant consensu criminis non effugient notam: cuiusmodi sunt odium Dei; sibi ipsi manus inferre; & similia. Quæ estò sint vbicunq; per legem prohibita (quod Paulus 3. ad Rom. intendit) non tamen sortiuntur de prohibitione malitiam, sed è conuerso, potiùs lege non permittuntur, quia sunt scelerosa se ipsis. Talia si rationalem iudeceant mentem creatã, quàm procul esse debent ab increata purissima Dei bonitate; quàmuis ea exlex, hæc sit legislatrix suprema?

Mendacio hanc intrinsecam deformitatem inesse apparet ex violata conformitate ad institutionem naturæ, quæ ideò verbum dedit externum, non vt alienas mentes malignus astus circumueniret, falsiloqua lingua insidias assuesceret contechnari; immò vt penitissimi pectoris sincerè sensus expanderentur; sitq; communio politica omni deceptione vacans. Quo frustrato naturæ fine, per subdolam loquutionem, vitari nequit, quin in eandem naturam peccetur, intrinseca facti deordina-

dinatione, quæ nunquam patitur cohonestari verbum retinẽs naturam mendacij. Est enim ab eo malitia inseparabilis, vt significauit Alex. 3. in cit. c. super eo; non aliter, ac sit malitia inseparabilis ab odio Dei.

53 Vt daremus tenuitati humanæ aliquando posse indulgeri mendacium; quando scilicet grauissima necessitas vrgeret, aliter omninò ineuitabilis: quomodò tamen hæc necessitas Deũ poterit vnquàm premere, de quo vel ipse Ethnicus protulit Plato lib. 2. de Rep. in fin. *Mendacium semper indignum esse Deo, etiam si interdum possit homini vtile esse?*

Superdicam, etiam inter homines, Primoribus Viris nunquàm æquiboniq; fieri mendacium; nec nisi plebeios, & egentes de eodem excusari solere: ex quo antiquitùs adagium exijt de teste locuplete, quo indubitatæ fidei signaretur homo. Apud Tullium frequenter, præsertim lib. 3. de off. *Quem locupletiorem quærimus testem, quàm Principem Populi Romani?* rationem insinuat idem in Topic. *Opulentos enim viros, dignos quibus credatur putamus.* Quasi in tantam mendacij indecentiam, sola egestate impacti, ruerent homines; quippe, vt cecinit Siluius: *fit sceleri proclinis egestas.* clarius nil est quod desideres, quàm quod ait Satyrographus:

Quantum quisq; sua nummorum seruat in arca,
Tantum habet & fidei: iures licet, & Samothracum
Et nostrorum aras, contemnere fulmina pauper
Creditur, atq; Deos, Dijs ignoscentibus ipsis. Iuuen. sat. 3.

Hinc meritò sapiens inter tria, quæ ferre non poterat, Pauperi superbo, ac seni fatuo, recensuit medium: *Diuitem mendacem.* Eccl. 25. Vt quid studiosè mendacium sequeris Diues, sola fraudolentia delectatus? vndè compulsus amplecteris rem turpissimam? Si ergò hominem locupletem mentiri indecet; an idem in Omnipotentem nullius indigum, aliquando cadere valeat, tu diudijca: *Nunquid indiget Deus vestro mendacio?* Iob. 13.

54 An non est mentitus (inquies) Filius Dei, quando Emaun-

tem versùs pergentibus discipulis, medius se interseruit comitem, in speciem Peregrini, &: *finxit se longius ire?* Luc. 24. Minimè gentium: Nàm fingere eo loco, non sibi vult comminisci, sed componere; nec falsitates concinnauit, qui verè procul à Discipulorum cordibus se asserebat peregrinari. Gregorius rem edisserit: *Quia adhuc in eorum cordibus peregrinus erat à fide, ire se longiùs finxit: fingere nanq; componere dicimus, vnde & compositores luti figulos vocamus. Nihil ergò simplex veritas per duplicitatem fecit: sed talem se eis exhibuit in corpore, qualis apud illos erat in mente.* Paulò aliter Augustinus de quæst. Euang. *Quod* (ait) *non ad mendacium pertinet: non enim omne quod fingimus mendacium est; sed quando id fingimus, quod nihil significat, tunc mendacium est: cum autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis. alioquin cuncta, quæ à sapientibus, & Sanctis viris; vel etiam ab ipso Domino figuratè dicta sunt, mendacia deputabuntur, quia secundùm vsitatum intellectum non consistit veritas in talibus dictis.*

55 Non proinde hinc vano angaris metu, ne aliorsùm verba tendant diuina, vbi credendum aliquid reuelatur; dubius alione sensu, eadem sint intelligenda, quàm sonent prolata: hoc enim casu, de mente omnium Doctorum, reuelatio non fit in parabolis, & obscurè sub similitudine, sed quo potest clariùs, atq; distinctiùs in propria loquutione. Quòd si adhuc explicationis aliquid ampliùs desideretur, idem, quod primò locutum fuerat, os Dominicum iugiter in Ecclesia patet, ipsum adeundum, cuius hypomnemata, seu interpretationes sunt pariter Dei oracula reuelantis.

Hæc si fallacia possent prodire, siue de ordinaria, siue de absoluta Dei potentia, iàm non foret Deus essentialiter veritas: iàm fidei structura catholicæ, hoc euerso fundamento, collabascere, nec amplius firmiter, atq; infallibilis teneretur reuelata doctrina fidei: quippe semper in animo ambiguitas superesset; num aliquid in Diuina reuelatione quacunq; data

 lateat,

lateat, quod ignoremus arcani, vnde beneplacitum illi fuerit falsum reuelare; qui quandocunq; voluerit id valeat, de absoluto, sin minus de ordinario suo posse; cum tamen ex aduerso manifestè Paulus inclamet: *Vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium habeamus*. Heb. 6. & alibi: *Quia non mentitur Deus*. Tit. 3.

56 Nullus sim, si aliquid familiarius est in SS. Patrum ore protritum, quàm huiusmodi fidelitas Dei. Ambrosius in annot. ad illud: *Non est Deus vt homo, vt mentiatur*. num. 23. aliàs lib. 6. Epistolarum ad Chron. mox allata Pauli expendens: *Impossibile*, inquit, *hoc, non infirmitatis, sed virtutis est, & maiestatis; est enim impossibile Deo, quod naturæ eius contrarium est, & ità veritas non suscipit mendacium*. Augustinus pariter 23. de Ciu. c. 25. *Si volunt* (ait) *inuenire quod omnipotens non possit, ego dicam: mentiri non potest*. sibi cohæret lib. 1. de Symb. ad cathecum. c. 1. *Si mentiri* (dicens) *Deus posset, non esset omnipotens*. ad idem est 15. de Trin. c. 15. *Magna* (dum ait) *illius verbi potentia est non posse mentiri*. Basilius addit calculum, serm. de abdic. rerum: *Hæc* (dicens) *verba Dei sunt, & ideò falsa esse non possunt, &c.*

Nil igitur proderit sophisticari, quòd falsum enunciare in Deo non sit reprehensibile, neq; malitiam sortiatur: cum, si mendacium semper malum in homine est, vt potè naturæ ordinationi aduersans, quæ vocalem dedit sermonem veritatis expressiuum; quantò turpiùs idem admitteretur in Deo, cuius essentialis natura est ipsa veritas? Siq; quodlibet leue mendacium, quod homini esset veniale crimen, lethale euadit, iuramento firmatum, ex eo, quia Diuinæ auctoritatis infallibilitati quodammodò detrahatur, licebitne deinde Deo ipsi sponte mentiri?

57 Siue tandem mendacium semper peccatum, siue non, semper sanè de Verbo vnigenito Dei audimus: *Qui peccatum non fecit nec inuentus est dolus in ore eius*. 1. Pet. 2. Isai. 53. nec modò non fecit, sed neq; erat facturus; vtpotè Diuinitati inconsen-

taneum: quod ipse visus est insinuare Iudæis, quando confessus Patrem, inquit: *Si dixero quoniam non noui eum, similis ero vobis mendax*. Io. 8. Vbi non sibi arrogat posse falsum loqui, quin pariter sit perfidis consimilis impostor, & versipellis. Sed tantùm abest, vt mendacium quodcunq; non sit suaptè intrinsecè crimen, vt etiã inter peccata cętera, sit summæ veritati maximè inuisum; canente Psalmographo: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*. Ps. 6. Parœmiaste consentiente, ibi: *Abominatio est Domino labia mendacia*. Prou. 12.

Hæc de fidei natura explicanda erant, veluti regula stabili, cui applicanda sint, quæ instituti nostri efflagitat ratio; an .s. obiectum fidei, sic explicatũ, intrà se capiat propositiones contingentes, & particulares de hoc, vel illo signato Pontifice, in Apostolico Throno pacificè sedente, quòd sit verus successor Beati Petri: id quod in sequentibus iàm aggredimur explicare.

CAPVT VIII.

Aliorum placitis refutatis in re proposita vera sententia aperitur.

ELENCHVS.

1 *Svnt qui desperent, posse intrà explicatum fidei obiectum redigi propositionem de certitudine signati Pontif. Max. communiter recepti.*

2 *Mouentur quia non agnoscunt de hoc reuelationem in verbo Dei scripto.*

3 *Neq; per os Ecclesia hæc reuelatio haberi potest sufficienter.*

4 *Ex eo quòd propositionibus de certitudine putatiuorum Pontificum possit subesse falsum, suadetur de ijs non esse reuelationem Diuinam infallibilem.*

5 *De electione canonica vniuscuiusq; Pontificis habetur per Ecclesiam sola certitudo moralis, quæ non sufficit ad fidei obiectum.*

6 *Secundò ex defectu sufficientis propositionis aiunt, hoc articulum non obligare ad fidem Diuinam.*

7 *Quàm sit necessarium in omnibus supernaturaliter credendis euidentiam credibilitatis sufficienter proponi.*

8 *Insufficientia propositionis apparet ex defectu comprobantium miraculorum.*

9 *Nullum sequi videtur absurdum si Pontifex fide humana, cætera autem ab eo sancita de fide Diuina credantur.*

10 *Exemplo id illustratur prædicantis catholicam doctrinam inter Barbaros.*

11 *Varij dicendi modi inter ipsos negantes fidem Diuinam singulorũ Pontificum veritati.*

12 *Redarguuntur omnes ex certitudine dogmatum Põtificiorum, quæ nequeunt ipsis esse Pontificibus certiora.*

13 *Quantacunque humana auctoritas infallibilem Diuinam fidem non exigit.*

14 *Ex quo fit, vt qui obligare potest ad fidem supernaturalem non minùs certæ sit potestatis.*

15 *Refutatur allata paritas de prædicante Barbaris Euangelium.*

16 *Prædicatores sunt instrumenta proponentia res reuelatas, minimè autem reuelant auctoritatiuè, sicut Pontifex Maximus.*

17 *Eligans paritas inter Pontificem regulam fidei animatam, & sacrum Scripturam inanimem normam.*

18 *Ex eo quod prædicantium dicta resoluuntur in Romani Pontificis auctoritatem necessum est hanc esse plusquàm humanitùs certã.*

19 *Immò de quouis rectè prædicante tenemur credere ipsum esse veracem, saltem à posteriori.*

20 *An prosit comminisci distinctionem inter esse indubitatum Pontificem, & habere certam pontificiam potestatem.*

21 *Exploditur commentum huiusmodi.*

22 *Magis pertinet ad Dei prouidentiam non pati Pseudopontificem, quàm huic veri Pontificis auctoritatem impendere.*

23 *Lis de Caprino vellere est, num qui pontificij dignitatem, & munus obtinet sit ipse Pontifex verus.*

24 *Secundùm coniungentes potestates ordinis, & iurisdictionis nequit diuinitùs pontificia potestas conseruari in quocunque impedimento ad pontificatum.*

25 *Si de quouis; ità de omnibus licebit ambigere, num extiterint veri Pontifices, & Ecclesiastica Hierarchia confundetur.*

26 *Nisi credantur fide Diuina veri Pontifices, neque credentur vlla Concilia.*

27 *Ecclesia perditur si dubio adhærescat capiti fallibiliter.*

28 *Bulla Martini V. quærit à reconciliandis Hæreticis fidem de sedētis Pōtificis vera auctoritate tāquàm aliquid de fide Diuina.*

29 *Ratio quæritur à priori, Quomodò intrà obiectum fidei contineantur propositiones de singulorum Pontificum certitudine, & veritate.*

30 *Huius assignantes rationem, quia Pontifices se declarant, docendo aliquid fide Diuina credendum, redarguuntur.*

31 *Occursus reprimitur respondentium Papam aggredi definire res fidei, vnde & ipse ab inde fide infusa credatur, cum adhuc sit certus in sola existimatione morali.*

32 *Error assignantium rationem ex discursu constante ex altera præmissa vniuersali reuelata, & altera particulari moraliter euidenti.*

33 *Aut nihil, aut malè dicunt, qui rem in continentiam virtualem refundunt, quam habent particulares propositiones de his, vel illis Pontificibus in vniuersali reuelata.*

34 *Falsis principijs alij sibi viam parant ad propriam sententiam.*

35 *Decipiũtur asserentes particulares propositiones de singulis Pontificibus contineri formaliter in reuelata vniuersali, specialiter in hoc casu ob incommoda imminentia, & non potiùs quòd hæc sit natura totius collectiui, vt contineat formaliter omnes suas partes distributiuas.*

36 *Assertio vera statuitur.*

37 *Quomodò propositio particularis: hic pro tali communiter existima-*

matus est verus Pontifex, sit reuelata formaliter sub ea vniuersali: Omnis legitimè electus est verus Pontifex.

38 Aliud est reuelari subiectum simul cum prædicato, aliud prædicatum inesse subiecto euidenter cognito.

39 Res illustratur exemplis.

40 Idem ostenditur ex absurdis positionis contrariæ.

41 Ad aliud requisitum obiecti fidei fit transitus, nimirùm sufficientiam propositionis de euidentia credibilitatis.

42 Consensus Ecclesiæ cum sit solùm moraliter certus, non videtur sufficere ad astruendam euidentiam credibilitatis infallibilem.

43 Placet nonnullis non semper petendam esse euidentiam credibilitatis naturalem infallibilem, sed sufficere moralem probabilem idq; in quibus casibus.

44 Horum placitum displicet, & refellitur.

45 Iudicium vniuersalis Ecclesiæ est signum infallibile sufficienter proponens euidentiam credibilitatis in casu nostro.

46 Ecclesiæ iudicium infallibile est in explicandis fidei rebus, etiam qua humana auctoritate procedit.

47 Idem multò magis quatenus assistentia roboratur diuina, secundum quam etiam definire, nedum explicare valet res fidei.

48 Consensus moralis totius Ecclesiæ non minorem infert euidẽtiam credibilitatis, quam habere in cæteris mysterijs fidei soleamus.

49 Et si minùs sufficeret hæc humana auctoritas, additur ipsa indeceptibilitas Ecclesiæ, ob assistentiam Diuini Numinis.

50 Nec tempore schismatis, nec apud particulares Ecclesias hæc iudicij viget infallibilitas.

51 Vniuersalis Ecclesia non est infallibilis in docendo, sed in credendo dumtaxat.

52 Hæc infallibilitas sufficit, vt sit regula fidei explicans, non autem reuelans.

53 Infallibilis est, non modò Ecclesia in credendo fide Diuina, sed etiam in vniuersali consensu morali, quantùm sufficiat ad explicationem reuelationis.

54 Nullus Pontificum quæstionem præsentem definiuit, eo quòd apud

1 AD enarrata de supernaturalis fidei natura, Doctores nonnulli corde cadunt, agone cedunt, desperantes vnquàm posse intra Diuinæ fidei obiectum redigi articulum de hoc signato Pontifice (honoris, & exempli gratia nominetur) S. D. N. VRBANO VIII., quòd verus sit Ecclesiæ sanctæ Monarcha, D. Petri Successor, & CHRISTI Saluatoris Vicarius. Mirum est, quòd hastam abijecerint, vel classici Bellatores; Sicq; ab obiectæ fidei conditionibus enumeratis exterriti, turpiter diffugerint; vt Catholicam rem omnem deserere maluerint in ancipiti, quàm aduersus inanes metus paululò plus obfirmare frontem; quibus certè, si audentiùs constitissent, satis, mea sententia restitissent; nec, heu, aliquali fracti incuria, caussa cecidissent, rem sanè valentes, at fortè negligentes penitiùs perscrutari.

Qui signiferi inter hos, occasionem nacti de particulari hostia, quam non tenemur supernaturalis fidei assensu credere consecratam, eo quod de consecrantis intentione non constet; id-

idipsum pariter statuunt de hoc, vel illo in indiuiduo signato Pontifice. Cum quibus consenserunt quidam alij non vulgaris notæ Theologi; aliàs magno honore, tàm isti, quàm illi habendi, ac suscipiendi.

2 Quod autem tàm strenuos mouerit Duces, vt terga verterent, in primis est Diuinæ immediatæ reuelationis defectus, quam conditionem non modò, sed ipsam rationem formalem obiecti fidei esse, in superioribus adnotauimus. Quoquò .n. verterimus animum, siue à priori, siue à posteriori, vndique argumenta non ignobilia, aut obscura occurrendo signant, nullam extare immediatam reuelationem Dei, de hoc, vel illo signato Pontifice; quæ certitudinem adstruens, hinc infallibilem, inde ineuidentem, Diuina eum fide credendum Pontificem Maximum firmiter edisserat.

Vbi quæso, aiunt, talis reuelatio extat? An in scripturis, in quibus sanè habenda esset, si vspiam? Sed in ijs ne gry quidem, de particularium Summorum Pontificum successione, atque creatione legitima. Quàmuis enim inde certissimè habeatur, vniuersìm, Pontificium supremum vnum, in Ecclesia sancta perpetuum, ipsumq; signanter in B. Petri Apostoli persona institutum: de cæteris, tàm particularibus deinceps successoribus est silentium; nec multò seciùs legitur in veteri, aut nouo Testamento, Pontificum Romanorum Cathalogus; singulorũ nomina, & indiuiduantes conditiones, prophetica prædictione enarrans; quò Ecclesia Dei, per omnia secula certificetur, Summum Pontificatum in dies debitè, ac infallibiliter in eo homine collocari, quem particulari reuelatione sacra Scriptura sufficienter indigitauerit.

3 Porrò, quia præter verbum Dei scriptum, aliud non scriptum, sed huic æquiualens, sonat in ore Ecclesiæ; de qua potest concini: *Lingua mea calamus scribæ*; Ps. 44. ac per vtrunq; Diuina pariter immediata reuelatio promiscuè innotescat; Satis liquet, neq; per alterum Dei verbum ab ore sonans Ecclesiæ, quæsitam reuelationem de particulari Pontifice ad nos

descendisse: Siquidem, aut Ecclesiam consideras sine Capite; & huiusmodi est etiam sine ore, per quod oracula Diuina responsent. Consequentia enim inter se duo hæc sunt; vt si Ecclesia est Acephala, sit perinde Astoma: obmutescat necesse est igitur, vt ideò nequeas Diuinam hinc reuelationem obtendere, quà prædicetur, & doceatur certò credendus articulus, de quo ambigimus.

Aut caput huic superaddis Ecclesiæ, atq; os consequenter; quod interpretans Diuinam mentem, mysteria firmiter nobis credenda, recludat. Sed adhuc nihil addis, quoadusq; indubitanter statutum sit, hominem hunc, quem das Ecclesiæ Caput, tale esse infallibiliter. Si enim ad ea omnia elucidanda, quæ sunt in fide ambigua, Sancta Ecclesia cum Capite, & ore diuinam illustrationem pronunciat; hoc iure meritò, quod in præsenti quæsito animum pulsat, quis non videat ab eadem proculdubiò fore supponendum, antequam loqui aggrediatur, atque docere? vt ideò neq; hinc Diuina reuelatione vllatenus instruaris, ad credendum signatos Pontifices Maximos esse tales infallibiliter.

4 Res omnis dilucidiùs ratione huiusmodi à posteriori perstringitur: Nonne in Superioribus conuenimus, efficacissimè probando, nil posse subesse falsum ijs, quæ per Diuinam immediatam reuelationem fuerint recepta? Qua igitur fronte asserimus modò, de viro aliquo in indiuiduo, ipsum esse certissimè à Deo reuelatum Ecclesiæ vniuersalem Pastorem; cum eius electione, aut aptitudine ad tale onus, nihil fallibilius extet, nihil incertius? Multifariam vtiq; potest subesse falsum opinioni, quæ vniuersaliter inter Catholicos vigeat, de vera Pontificis alicuius in Cathedram D. Petri successione. Principiò, nil constat de eius capacitate ad dignitatem illam; si enim salutari is non esset regeneratus lauacro, quid? hoc in primis indubitatum est, male assumptum iri in Caput Ecclesię, qui nec dum membrum est: hoc autem semper manet incertũ, quòd aliquis determinatus homo sit Ecclesiæ membrum; quia

dubietas de baptizantis intentione, quæ nunquàm tollitur, iugem perplexitatem conseruat, an signaculum, & characterem Christianum ille receperit.

5 Ad electionem transeamus: maximum certitudinis, quod de ea possit haberi; hunc, aut illum legitima, & canonica electione esse ritè promotum; non erit vnquàm plusquàm moralis, ac subindè fallibilis certitudo humanitùs comparata, circuustantijs omnibus requisitis, quãtùm fas est, naturali lumine indagatis. Ipsum equidem Ecclesię orthodoxæ iudicium: cum plurimum in hac re tribuendum, cuiuscunque, in Pontificem vniuersaliter recepti, moraliter certam comprobat electionem: quod sanè argumentum fuit Augustino lib. contrà Epist. Fund. c. 4. cur in fide Catholicæ Ecclesiæ detineretur, ibi: *Multa sunt, quæ me in Ecclesia iustissimè tenent; concessio populorum, & gentium; auctoritas miraculis inchoata, spe aucta, charitate firmata, & vetustate nutrita: tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas Dominus demandauit, vsque ad præsentem Episcopum successio Sacerdotum.* Non tamen certitudo infallibilis fidei hinc elicitur; immò neque physica, sed moralis ad summum; cui, sicut nihil vetat subesse falsum; ità minimè potest inniti Diuina fides, cuiusuis dubietatis exors; iuxtà rectè statuta superiùs, quòd ab humana, fides nequeat fulciri Diuina: alioquin fundamentum labasceret, ipsa superædificata structura debilius.

Cumq; assensus fidei Diuinæ sit proculdubiò altioris ordinis, maiorisq; certitudinis, quàm humanus, ipsum fundans; proloquium Philosophicum mentiretur, quo perfectionem effectus nunquàm transcendere suam caussam significatur; à qua, quidquid habet, traducit: *Nemo dat quod non habet*; illud etiam mentiretur non minùs tritum: *Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis.* Aut igitur fateamur ingenuè, si Diuina fides de particularis Pontificis electione, fundatur in morali certitudine consentientis Ecclesiæ, eam non magis, quàm hanc esse certam: aut: quod audiretur absurdius: certitudinem hu-

manitùs comparatam, præstare, diuinitùs infusæ fidei certitudini, quippe cui sit corroborans fundamentum.

6 Apparet itaque satis, & super probatum, nullam omninò extare reuelationem Diuinam, de infallibiliter credenda auctoritate signati in indiuiduo Pont. Max., ac proindè formalitatem fidei, obiectum constituentem, hic penitùs abesse. Nihilominùs, vt daretur adhuc, ad abundantiorem veritatis manifestationem, quòd extaret quidem quæsita reuelatio Diuina in re proposita; Nondum tamen euincitur, hoc ipso teneri fideles ad credendum fide Diuina hunc, vel illum, de quo reuelatum sit, verum esse Pontificem Maximum; Licet enim quidquid intrà Diuinę fidei obiectum continetur, id omne debeat fuisse immediatè à Deo reuelatum: non tamen illicò ex conuerso consurgit, quòd omne habens immediatam reuelationem à Deo, ingrediatur statim Catholicæ fidei obiectum, ità vt sit de fide necessario eo ipso credendum; sed insuper desideratur sufficiens talis reuelationis propositio, quæ, si præmissa recolamus, minor non sufficit, quàm vt commonstret, rem credendam, esse euidenter credibilem.

7 Neq; enim benè asseritur à nonnullis, euidentiam hanc credibilitatis obiecto fidei esse superfluam, eo quòd nihil de ea sit reperire apud rudioris ingenij homines, & idiotes: qui tamen inter fideles nati, baptizati, & fideliter educati pueri, vsum rationis posteà assequuti, verè fidem tenent Diuinam; neque adeò vllam sciscunt euidentiam credendorum. Immò ex ipsis infidelibus non desunt frequenter, qui absq; vllo inspecto testimonio miraculorum, aut quouis alio euidentis credibilitatis argumento; statim prædicatam fidem, promptè, ac sincerè hauriunt, & retinent, cum primùm eorum aures tantum perculerit.

Non, inquam, hinc rectè deducitur, euidentiam credibilitatis, per sufficientem propositionem, non semper efflagitari ad obiectum fidei: immò, & in illis idiotis, & ingenio minoratis, sua quoque dignoscitur credibilitatis euidentia, quam se-

ſequantur credentes obiectum fidei Diuinæ: Licèt enim longè in inferiori gradu, quàm ſit in Theologo, aut prudentioris iudicij viro; aliqualis tamen eſt, & proportionata credentis ingenio. Nemo enim tam hebes erit, & bardus, qui interrogatus; cur Catholicam teneat fidem? reſponſurus ſaltem non ſit: quia ſapientiſſimos viros habeo adſtipulantes, quorum iudicio integerrimo ſic credendum eſt viſum: vel quia hanc indubitatam, & infallibilem, multitudo amplectitur: vel quòd miraculis olim pluribus audierim comprobatam: nihilq; deprehenderim vnquàm, nec ipſe, nec alij, quos ſciam in doctrina, quam teneo, rationi non conſonum: & alia plura reſpondet, per quæ ſibi oſtendat moraliter certum, non aliter fuiſſe credendum.

Quòd ſi aliquis ita oſcitabundus reperiatur, & incurius, qui credat, neſciat tamen prorsùs quarè id credat, quaſi mentis habitaculum casù locauerit dogmati cuicunque, quod primò inſederit; huius fidem nequaquam pro Diuina recipias, ob rationes alibi explicatas, de prudenti iudicio, & practicè certo, quod fidei ſtabiliter animum alicuius ingreſſuræ, facem habet prægerere.

8 Si hæc ità, vbinam habemus in re noſtra iſtius modi ſufficientem propoſitionem, cum credibilitatis euidentia de hoc, vel illo nuncupato, & habito Pontifice, quòd talis infallibiliter ſit? eſto is eſſet aliquo modo diuinitùs reuelatus, vt obligaremur ad eum fide Diuina credendum. Miracula authentica oporteret innouari quotidiè, quoties mutato Romano Pontifice, materia etiam obiecti fidei mutaretur, ad reddendã ſufficientem propoſitionem huius nouæ materiæ, fide Diuina credendæ. Veruntamen miracula vlla non cernimus; cum tamen ea neceſſaria dixerimus, ad comprobandam quancunq; inauditam anteà enunciationem, tanquàm nouiter à Deo reuelatam; quandocunq; ipſe proponens non ſit in ſe tam irrefragabilis auctoritatis, vt indè erroneum dogma procedere nullatenus queat; cuiuſmodi eſt ipſe ſolus apud homines Ro-

manus Pontifex; vel nisi saltem, in ipsius auctoritatem, prædicatio refundatur omnis, ab eius ministro, profitendo idip sum proponere, quod Summus Pontifex docet, Orthodoxa id etiam recipiente Ecclesia.

Non igitur magis coangustari videmur ad præbendam fidem articulo huic: VRBANVS SANCTISSIMVS PP. VIII. verus est in Ecclesiæ Pontificatu vniuersali D. Petri successor: quàm assertioni cuicunq; aliæ gratuitò eodem modo propositæ, à non habente infallibilem auctoritatem, quorumuis miraculorum vadimonio destituto; quàmuis plurimum tribuentes vniuersali fidelium acclamationi, cæterisq; non spernendis indicijs; quantùm humanitùs potest, certum habeamus, ipsum legitimo frui Pontificatu; sed enim hoc (quæ humanæ fidei leuitas) non nisi inconstanter, & fallibiliter, neutiquàm verò, vt opus est, euidenter, atq; certissimè.

9 Insuper ad euincendum, quòd hic, vel ille signatus Pontifex, non sit talis, fide diuina credendus, eosdem Doctores facit audentiores, quòd si incommodum vllum inde esset Ecclesiæ pertimescere, vnum, inquiunt, id foret labefactatio eorum, quæ ab ipsis Pontificibus Maximis definiuntur, credenda; eo quod videantur inde huiusmodi fide pariter, non diuina, sed humana tenus recipienda; cum ea definita non plus certitudinis valeant sortiri, quàm eorum auctor in se contineat; vt ideò quantum credimus homini huic inesse D. Petri auctoritatem, verumq; Pontificium; quo possit res fidei definire, tantidem, non pluris, æstimabilia sint, quæcunq; ab eo definita; quod certè humanum credere non transcendit.

Sed re vera huiusmodi argumentum nihil esse, ex eo contendunt, quòd alterum, sine altero benè saluari possit, atq; subsistere; nimirum obligari fideles ad credẽdum fide Diuina, quæcunq; hic, vel ille, receptus Pontifex, credenda proponat; absq; eo, quod ipse proponens, pari credatur indubitata fide, solium Apostolicum legitima successione tenere. Nam in c. de libellis 20. dist. cum Hæreticus nominetur, qui Pontificum Sãctiones,

nes,& Conciliorum Canones dicitur reſpuiſſe; nil attamen tale de eo pronunciatur, qui ipſum ſancientem, verè eſſe Pontificem Maximum fuerit inficiatus.

10 Ceſſabit mirum, ſi conſiderabimus quemcunq; fidem prædicantem apud Barbaros; ex quo per ſufficientem propoſitionem rem fecerit euidenter credibilem, obligare ipſos ad credendum fide Diuina, quæcunq;, ad propriam ſalutem ſpectantia, audierint prædicari, qui fide non pluſquàm humana ſibi ſuadent prædicantem errare non poſſe in ijs, quæ proponit: eſto etiam in atteſtationem exhibeantur miracula; hæc enim vt vera, & non ſuppoſititia miracula iudicētur, negociū omne petunt ex humana ratiocinatione, quæ per ſingulas veri miraculi coniecturas, nunquàm non deceptibiliter examinat opus, quod pro miraculo fuit oblatum. Quid ni igitur id ipſum planè dicamus de Romano Pontifice? nempè ſufficere, quòd per ſatis euidentes coniecturas naturales moraliter certi, humana fide credamus, eum eſſe verum Eccleſiæ vniuerſalem Paſtorem, qui erroris ſit expers, in ijs, quæ credenda proponit; quibus tamē propoſitis altioris deinde ordinis aſſenſu teneamur, fide nempè Diuina adhæreſcere.

11 Ità ratiocinando, ſuas partes corroborant Doctores, qui negant fide Diuina particulares deſignatos Pontifices in indiuiduo eſſe credendos; inter quos tamen, nec omnimodè conſtat. Aliqui enim rem eatenùs laxant, vt pertinaciter velint, neq; eſſe hæreticum, nec hæreſim ſapere; ſed ſolùm effrontem temeritatem arguere, acerrimè demultandam, ſi quis vniuerſali Eccleſiæ pacificè Præſidentem, & legitimè electum habitum in populis, recuſarit pro tali ſuſcipere, aut credere; ex quo videatur, non pluſquàm humanum hìc denegari iudicium, iſq; temerè tantùm de ſe ipſo præſumere, dum arbitratur ſe ſolum ſapere, ab vnanimi Catholicorum ſententia ſatiſcendo; reliquum verò fidelium cœtum quodammodò deſipere, Pontifici illi adhærendo.

Sunt ex aduerſo, qui propoſitionem contingentem de veritа-

ritate particularis Pontificis, vniuersaliter in Ecclesia recepti, reputent quidem ad fidem spectare Diuinam; non tamen adeò formaliter, & immediatè, vt qui ab ea dissenserit, hoc ipso sit habendus Hæreticus: quandoquidem res, non sit ex immediatè reuelatis; sed ex ea vniuersali dumtaxat propositione, immediatè reuelata deducatur; quòd omnis non incapax, & legitimè electus ad Romanum Pontificium, sit verus Christi Vicarius, altera deinde particulari contingente; quòd is talis sit, de quo est quæstio in indiuiduo; nó magis euidente, quàm moraliter, per sufficientem nimirum discursum, & humanam acclamantis populi auctoritatem.

Alij ex eadem classe, rationabiliùs inclinant ad eam incredulitatem damnandam, quòd non videatur, non minimùm ad hæresim vergere, eam saltem sapiendo, ac arguendo; quippe non tàm iniuriosa sit attestationi populi, humanam facientis fidem de hoc particulari Pontifice, vniuersaliter credito, quàm fidei censeatur derogare Diuinæ: ex quo enim circumquaq; inter fideles nimis exploratum, certissimumq; habetur, aliquem legitimè in D. Petri Sede regnare; ita vt nullus amplius controuersiæ afferendæ supersit locus; iure hinc optimo vniuersali alteri enunciato, immediatè reuelato à Deo; omnem scilicet legitimè ad Apostolicum trhonum electum, verè esse Pontificem Maximum, succedaneum D. Petri, contrairi præsumitur, cum nulla inde in Ecclesia suppetat ansa, de tali legitimo Pontificatu rationabiliter ambigendi.

12 Hæc illi: minimè tamen audiendi omnes, quatenùs conueniunt singuli inficiari, fide Diuina esse credendos particulares hos, vel illos, habitos in Sancta Ecclesia pacificè, absq; schismate, pro Pontificibus Maximis, esse reapse infallibiliter tales. Et quidem suo se produnt, vt Sorices, indicio. Inde moles corruit prorsùs, vndè annuit. Non ignorarunt, & ipsi malum, cui conati sunt occurrentes, tempestiuè mederi; sed medela, vt videbimus, applicita, penitùs euasit inutilis.

Hoc est ipsum profectò, quod Doctores non æquo animo

suscipiunt reliqui; neq; vnquàm suscepturus est, arbitror, corde, & mente non indigus: quòd hinc nimirum decretis Pontificijs Diuinæ fidei debeamus assensum, quia Pontifex est itá decernere potis, & obligare, indè tamen humana solùm ipsi adhærescamus fide. Cedo: quarè non ad credendum fide Diuina, quæ proponuntur à quouis homine, aut saltem à quouis particularis Ecclesiæ Episcopo, minime teneor; ad statuta autem Pontificis Summi circà fidem maximè? hoc certè, quia (vt aduersariorum ex ipso ore elicitur) hunc credo, Spiritus Sancti assistentia ductum, potestate frui ad res fidei definiendas, quæ Episcopo cuicunq; non inest.

13 Immò nec ex multitudine Sapientium Theologorum, atq; etiam Sanctitate insignium vnanimiter consentientium, fidem plusquàm moralem, atq; humanam possumus haurire: nihil enim infallibiliter humana Sapientia docet, eo modo, quo fides Diuina, vndequaq; tutissima, postulat. Homines decipi queunt, atq; decipere: eò vel magis, quod non raró conspectum est, qui aliquando, aut in aliquibus sapuerunt vehementer, turpiter aliàs, aut in alijs desipuisse: qui modò Catholicus habitus est, postmodùm vt Hæreticus explodi contigisse; vt in Tertulliano, Eusebio, Origene, & alijs deploramus.

Si igitur nemini præbendæ sunt aures, vt credamus fide Diuina, quæ prædicata fuerint; nisi constiterit, talia docentem, non posse fallere, & auctoritatiuè decernere (quod solius Romani Pontificis est) hunc vtiq; esse Summum Pontificem firmiter tenendum erit; certitudine non minori, quàm habeat Diuina fides in cæteris, ad credendum, ab ipso Pontifice Maximo propositis; à cuius auctoritate omnis eorum certitudo cum ea proportione descendit, quam seruant semper effectus, & caussa; Nempè vt hæc in formalitate, quam illi tribuit, sit superior, aut saltem æqualis; nunquàm omninò impar, atq; inferior.

14 Vt ideò si certissimè, & infallibiliter constiterit hunc esse verum Pontificem Maximum; certissimè pariter, & infallibiliter:

ter: hoc est fide Diuina: credam omnes Sanctiones, quas ipse credendas proponit. Sin mage anceps fuero, aut humana fide fallibili credidero eiusdem Pontificatum; ità vt in credenda eius auctoritate, circà definiendas res fidei, hærens pariter sim, & ambiguus; non itèm plusquàm humana fide assentiar rebus ipsis, per eundem definitis; cum actus nequeat omninò potentiam superare; & imperceptibile sit, vt qui habet potestatem obligandi ad credẽdum à se proposita, in animis fidelium non benè omninò creditam, & infallibilem; potis deinde sit actum producere, proponendi rem omnimodè, & infallibiliter credendam. Si non potuit, bone Deus, quomodò potuit, & effecit? si principium fuit infirmum, & imparis ordinis; à quo omnis definitio Pontificia procedit; quipotè hæc inconcussa poterit permanere, fidei Diuinæ certitudine firmata, illo, quod est fundamẽtum, adhuc in humanæ fidei fallibilitate nutante?

Iàm adsum inuehenti exemplum de quouis, fidem Barbaris prædicante; cuius doctrina, si sana est, & Ecclesiæ Sanctæ conformis, Diuina est fide credenda; cum tamen auctoritas ipsius prædicantis morali certitudine tenus sufficiat explorata. Bene dixisti de Doctrina, si sana sit, & Ecclesiæ Sanctæ conformis: hoc enim ipso disparitas prodit, inter docere Pontificis Maximi, & prædicare cuiusuis Prædicatoris. Hic enim non immediatè sua sibi auctoritate aucupatur fidem; sed eatenus dictis eius fides diuina debetur; quatenus sunt conformia statutis Ecclesiæ, atq; eius vniuersalis Pastoris. Qui propria auctoritate infallibili, ob assistentiam Spiritus Sancti, sibi datam in Petro à Domino, dum diceret: *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Luc. 22. Obligat ad credendum fide Diuina; non tantùm ea, quæ ipse immediatè proponit; sed ea etiam, quæ mediatè docet, per Prędicatores, ad eius mentem loquentes. Ità vt illud intersit inter Pontificẽ Maximũ, & quemlibet inferiorẽ concionatorẽ, quod inter os viuũ, & tubã emortuã; id tantummodò personantem, quod oris viui spiritu inflata, & illi adiuncta, inde receperit.

16 In obiecto igitur fidei, vt exemplo occurramus; aliud est reuelationem de obiecto contemplari, aliud eiusdem reuelati obiecti sufficientem propositionem: sicuti aliud est rem facere credendam, aliud ostendere credibilem. Hoc posterius Prædicatoris est cuiuscunq;; illud verò solius inter homines Pontificis Maximi, qui est viua regula fidei. Cum itaq; congruens propositio obiecti credendi, habeat ostendere euidenter eius credibilitatem; vt suprà notauimus; non potest esse plusquàm in genere certitudinis naturalis, seu moralis ex fide humana; cum de hac sola detur euidentia; & hæc repugnans, cui innitatur fides Diuina.

Secus autem de ipsa reuelatione, quæ est formalitas obiecti fidei; cum enim de ea minimè dari queat euidentia; debeatq; nihilominus esse certissima; non nisi fide supernaturali haberi posse consequens fit. Quis igitur non viderit Barbarum assentientem, sibi catholicam prædicanti fidem, diuersum assensum præbere reuelationi rerum prędicatarum, ab assensu, quem antecedenter habet propositioni earundem? Hunc siquidem præbet, morali non nisi certitudine ductus; per auctoritatem nimirum prædicantis, facientis res euidenter credibiles; alius verò, quem tribuit reuelationi ipsarum rerum, ideo est toto cœlo diuersus, quia ineuidens; omninò tamen certissimus; nempe fidei Diuinæ; fundatus super auctoritatem, non proponentis, qui se habet vt nudum instrumentum; sed super auctoritatem ipsius reuelantis Dei, quam certo certius est, non minùs supernaturaliter; ac infallibiliter certam esse debere, quàm sit ipsa reuelatio rerum, per eam definitarum, quas obligamur fide Diuina tenere.

17 Non est vnde meliùs rem percipias; quàm si comparaueris Pontificem Maximum; fidei regulam viuam, cum sacra scriptura, quæ dicitur eiusdem fidei regula inanimis. Vtraq; vtitur Prædicator: nihil quippè Catholicus docet, ad earum rectitudinem obliquatum: non tamen bene dixeris, ipsam Scripturam Sacram credi à nobis veracem, ac reuelatam, morali tan-

tùm certitudine fallibili; ſicut creditur auctoritati Prædicantis; ſed ſi credenda nobis ſunt fide Diuina, quæcunq; in ſacris literis continentur; hoc itidem firmiſſimè eadem Diuina fide tenendum eſt, ipſas Sacras literas eſſe Diuinitùs reuelatas, à quarum dictis ſit nefas fatiſcere.

Eccur non idem aſſeramus de Pontifice Maximo, viua regula ſupernaturalis fidei: quòd nihil ab eo definitum, poſſit mentibus noſtris ſtabiliter ingeri, Diuina fide credendum; niſi pari priùs aſſenſu ipſum crediderimus, veram eſſe infallibilem fidei normam? In has enim regulas reijcit Prædicator omnem certitudinem ſuæ doctrinæ, quando prædicat res iampridem reuelatas, & in conſpectu Eccleſiæ receptas. Sin verò aliquid, ſibi peculiariter reuelatum de nouo producat, debet proferre, miraculum comprobans, ex Innoc. c. Cum ex iniuncto.

18 Porrò luce meridiana eſt clarius, quòd perperam ab auctoritate Prædicantis amandaremur ad auctoritatem; ſiuè Pontificis; ſiuè Scripturæ Sacræ; regularum infallibilium; niſi pariter infallibiliter teneremus eas eſſe veras regulas; de ipſarum infallibilitate multò ampliùs certi, quàm fuiſſemus de Prædicantis auctoritate, per moralem certitudinem. Enimuerò, ſi allata regula, in comprobationem credendorũ, omnem prorsùs ambiguitatem non depellit ab animo; eo quòd humana fallibili fide adhuc eam habeam; ergò nihil profecit, qui eandem mihi exhibuit, quò fide firmiſſima ſupernaturali rei propoſitæ crederem; cui, ſecluſa ea etiam comprobatione, adhæſiſſem aſſenſu naturali dumtaxat, ob humanam prædicantis auctoritatem.

19 Superdico, falſum eſſe, quòd non tenear, de quouis etiam prædicante fide infuſa credere, ipſum veracem eſſe, eodẽ prorsùs aſſenſu, quo teneor rebus, ſufficienter propoſitis aſſentiri: Quàmuis enim miniſter verbi Dei, non ſit ipſe regula credendorum; ac proinde deficiente ſibi ſuggeſtione Spiritus Sancti, non gaudeat auctoritate infallibili permanenter, per modum habitus, & à priori; quaſi det ipſe infallibilitatem rebus præ-

dicatis; habet tamen infallibilem auctoritatem actualiter, in eo, quod proponit de fide Diuina credendum; recipiens ideò auctoritatem ipſe ex prædicatis; quorum deinde auctoritas aliundè, ſcilicet ex Diuina reuelatione, per debitas regulas cõprobata, non poteſt non eſſe infallibilis. Qui enim obligat nos, vt credamus fide infuſa, vera eſſe quæ prædicat; nonne obligat indidem, vt credamus pari aſſenſu, ipſum in eo ſpecificatiuè non poſſe mentiri? ſecus hac relicta formidine de veracitate docẽtis, circà propoſitum dogma determinatum; perindè eſſet, ac ſi de ipſo dogmate hæſitarem; atq. ità contra aſſertum, fide conſtantiſſima ſupernaturali non aſſentirer.

20 Obſtruendum aliud ſupereſt diuerticulum, quò ſe recipere tandem poſſe videtur aliquis; peruicáciter inficiaturus Diuinam fidem de auctoritate, & vero pontificatu Pontificis, ab Eccleſia concordi recepti: ſi nimirum Pontificium à pontificia poteſtate diſtinguat; & hanc, quam cogitur admittere fide Diuina credendam, vt eadem pariter fide Diuina, atq; infuſa, infallibiles fidei definitiones, in ipſa fundatas, efficiat credendas; concedat quidem ineſſe ei, quem vniuerſa Eccleſia morali certitudine pro Pontifice Maximo adorat: minimè autem neceſſarium eſſe, eadem fide ſupernaturali tutiſſima credere Pontificium, hoc eſt Summi Pontificis dignitatem, tali homini ineſſe. Sic de poteſtate ſtatuente Diuina prouidentia, ne Eccleſiæ Sanctæ regimen ſpeſſum eat; ob inualiditatem actuum procedentium ab eo, qui vtcunq; in hominum opinione Pontifex habitus, is tamen reuera non ſit; ſiuè occulto aliquo defectu incapax muneris; ſiue illegitima electione intruſus: quod ſemper ſuſpicari cum liceat; non licet tamen id ſimiliter ſuſpicari de Pontificia poteſtate, quæ nunquàm in Eccleſia deeſt, aut deeſſe poteſt, penes ſupremum Arbitrum eius, veruſne deinde ſit Pontifex talem poteſtatem ſibi debitam habens, aut non, niſi falsò exiſtimatus; ex ſpeciali nimirum Dei indulto, hoc caſu ſupplentis functiones Pontificias: valide exercens, in ſolemnizando vota; approbando Religiones; Sanctorum apotheo-

ses celebrando; Indulgentias largiendo; Scripturas interpretando; ac demùm in cæteris, quæ Pontificis Maximi veri sunt; quodq; nostra nunc interest, obligare ad credendum fide infusa quascunq; per definitionem sub censura fidei proposuerit conclusiones.

21 Egregium figmentum; subtile herclè theorema, quod iunctissimas res, Pontificiam nempe dignitatem, & potestatem fucatè dissecat: quantò tamen aciem acuit huius rationis gladius, eò faciliùs, ad veritatis solidissimum clypeum allisa, retunditur. Intuere eheu, quisquis talia comminisceris, cui nam dictum sit. *Pasce oues meas, & quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum, & in cælis*. Matt. 18. Et cui sit Pontificalis maxima attributa Potestas; an soli Petro, eiusq; legitimis successoribus Pontificibus veris; vel etiam cuilibet, Pontificiam Sellam prementi immeritò, & Solium Apostolicum solùm inumbranti: inde conspicies, vt subsistat, quod asseris, posse fide Diuina credi, & reipsa inesse alicui, non nisi existimato Pontifici Summo, Pontificiam facultatem omnem, quin tamen idem ipse, reuera sit, & eiusdem fidei supernaturali assensu credatur indubius Pontifex.

22 Quòdq; ad prouidentiam Diuinam habuisti profugiũ; quatenùs ad stabiliendum suum Ecclesiæ Sanctæ Regnum, nunquam sit de debita potestate existimato Pontifici Deus defuturus; etiamsi qui Caput, & Monarcha habetur, talis non sit: cur non veriùs, & congruentiùs de eadem Diuina prouidentia loquendo, confitearis eius omninò interesse prospicere, ne quando vniuersalis Ecclesia, in re tàm graui fallatur, Pontificium homini immerito impendendo honorem? Nonne satiùs foret, si impedimentum aliquod obstiterit, quò minùs verus is esse possit Pontifex, qui pro tali communiter habetur, illud vniuersalem Ecclesiam diù non latere, Diuina prouidentia id reuelante, in securitatem fidelium, salutem animarum, & hæreticæ facilè excitandæ calumniæ auertẽdam perniciem? Nonne falsò, quòad dignitatem, Pontifice, qui communiter

pro tali habetur, verum prætereà concedis Pontificem, quem diù Ecclesiæ Dei non defuturum, omnes subscribunt? vt quid autem hunc alium inuehere, quando, & à quo creatum? qui, nedum non receptus, sed neq; agnitus in Ecclesia, obire nequeat eas Papales functiones, ad Ecclesiæ Sanctæ regimen necessarium obeundas, quarum ergò Pontificatus institutus est? En in quantas conijcimur angustias. Imprudentiæ autem, ne dicam impudentiæ maximæ est, plures, ac maiores in medium afferre difficultates, quò ab vna, quæ facilior, & clarior est, expediamur.

Dum igitur quærimus, An Sanctissimus D. VRBANVS PP. VIII. hac tẽpestate ab vniuersa Christiana Republica receptus non modò, sed veneratione maxima celebratus, charus, longùmq; superstes exoptatus, sit fide supernaturali credendus, esse legitimus D. Petri successor; quarè id negas; vt des postea, sit, non sit talis, potestate Pontificia gaudere; idq; diuina fide tenendum; cum longè maior obuiet ratio dubitandi; an non habenti legitimè Pontificiam dignitatem, voluerit nihilominus Pontificis potestatem, & priuilegia Deus indulgere?

23 Sed etiam vt video, de nomine inaniter altercamur; quandoquidem, si non negaueris mihi hunc auctoritatem omnem, quæ Pontificis Maximi est, obtinere; ac prætereà in hominum existimatione non carere Pontificis dignitate, ac honore; ipse est, quem peto, Pontifex verus, & indubitatus in Ecclesia; siuè id habeat ordinariò ex canonica electione, & sua capacitate; siuè ex speciali Dei indulto; qui idcircò immediatè ipse verum Pontificem faciat, quem Cœtus fidelium talem putat (sicuti nihilominus canonicè per alios electo, Pontificiam tamen dignitatem, ac iurisdictionem, ipsum immediatè impartiri, inter omnes conuenit) licèt aliquid deesset latenter, ad eius canonicam possessionem Pontificatus; Ne quandò Ecclesiæ immineret scãdalum ex perplexitate, circà ipsius legitimam personam, aut assumptionem.

Si deinde Pontificium conseruari in Ecclesia Diuina, infal-

libili fide credis; cur ipsum negas in hoc homine, cui Pontificius honor vniuersaliter, absq; ambiguitate defertur? cum tibi necessariò pariter credendum sit, non deesse Ecclesiæ Sanctæ in concreto Pontificem; qui alius rationabiliùs esse nequit præter eum in quo reuisitur, ac conseruatur forma Pontificatus, cæteris alijs pro talibus non receptis inuerisimilibus, ac penitùs Ecclesiæ ineptis, immò exitialibus futuris.

24 Sed, vt manifestiùs etiam appareat, quàm duriùs fides diuina debeatur huic commentitiæ, potestatis Pontificiæ in non vero Papa asseuerationi: est non contemptibilium Doctorum opinio, potestatem plenariam Iurisdictionis, quadantenùs in Ordinis potestate fundari, ità quidem, vt ab ea nequeat omninò diuelli; vt ideò in Pontifice Maximo, non gemina, sed vnica sit tantùm potestas, quæ ad externam Ecclesiæ gubernationem facit, & quæ ad interius pœnitentiæ forum. Apud hos igitur saltem Doctores, nullatenùs erit fide Diuina credibile, conseruari infallibiliter potestatem Pontificis, in eo qui, ob aliquod impedimentum, verus Pontifex minimè sit; cum impedimentum esse queat ex ijs, quæ omninò efficiunt sacerdotalis ordinis potestatis incapacem. Sit igitur non verus Pontifex is, de quo est quæstio, ex eo, quod sacro ritè non fuerit fonte ablutus; aut mas non sit; aut non legitimè ordinatus Sacerdos, deficiente ordinantis intentione; ritè ne, obsecro, is creditus Pontifex Sacerdotio fungeretur, cõsecrans, & absoluens, quia dicis nihil deesse eius, quod spectat ad Pontificiam potestatem? Quì etiam carens sacerdotali potestate, pontificia nihilominùs iurisdictione potiretur, semel admisso geminas has potestates in Summo Pontifice confluere in vnam? In corde igitur, tam inepta cogitatio non ascendat; vt putemus potiùs esse fidei Diuinæ obiectum, quòd pacificè sedens in Apostolico Trhono, Apostolicæ plenitudinẽ obtineat facultatis; quàm quòd idem sit Pontifex: nàm in primis controuersum est apud Catholicos, num possit huiusmodi potestas, taliter conseruari: sed esto conseruaretur; non magis concinnè diceres, infal-

libiliter possidentem Pontificiam potestatem, non esse tamen infallibiliter Pontificem, quàm si confiterere, Animal aliquod, habere quidem ingenium, & naturam hominis; veruntamen ipsum hominem esse, posteà negares.

25 Ad incommoda redeo, quibus nimiùm succumberet Ecclesia, si fide humana tenùs suis Pontificibus Maximis adhæresceret; semel enim admisso dubio de hoc Pontifice, cum non sit maior certitudo de alio, & alio, & sic de omnibus, planè maneret ambiguum, an fuerint vnquàm in Ecclesia Diuo Petro successores veri; & quod indè consequitur, Episcoporũ etiam, ac Cardinalium legitima potestas reuocaretur in dubiũ; quotquot ab ijs Pontificibus hactenus creati sunt, vel creandi in posterum: omnisq; proinde Ecclesiasticæ Hierarchiæ corrueret certitudo; simulq; illis Hæreticis daretur occasio triumphandi, qui ab Vrbani temporibus, veram successionem Summorum Pontificum defecisse contendunt.

Quid porrò, Deus immortalis, certi, inter fideles vltrà superesset, ablata infallibili fide Diuina, de singularibus supremis Pastoribus? Nihil: pia Decreta Pontificia fierent ludicra; Concilia contemptibilia; Ecclesia nulla visibilis. Cum tamen de Summorum Pontificum Decretalibus, & de Sacrorũ Conciliorum, in quibus Pontificia præsederit Auctoritas, definitionibus, Leo Papa vocet hæreticos, quicunq; ea non receperint, c. de libellis 20. dist. ibi: *Quam ob caussam luculentiùs, & magna voce pronunciare non timeo, quia, qui illa quæ prædiximus Sanctorum Patrum statuta, quæ apud nos Canonum nomine prætitulantur; siue Episcopus sit; siue Clericus; siue Laicus, non indifferenter recipere conuincitur; nec catholicam, & Apostolicam fidem; nec sancta quatuor Euangelia vtiliter, & efficaciter ad effectum suum retinere, vel credere probabitur, &c.* Quis est huiusmodi determinatus Pontifex, cuius constitutiones respuens, damnabor hæresis, si quemcunq dederis, humana solùm fide admodùm fallibili talis esse credatur.

26 De Concilijs pariter legitimis, quæ Pontificia firmauit au-

ctoritas, negari omninò non potest, absq; fidei Diuinæ iniuria, ea esse vera Concilia, obligantia de suis dictis ad præstandam supernaturalem fidem; cum de talibus dicat Greg. lib. 1. Epist.c.24. propè finem : ***Quatuor Concilia prima generalia, sicut quatuor Euangelia venerari me fateor.*** Id quod hæreticos ipsos pudet dissimulare; Nã Serenissimus Rex Angliæ in Monitoria præfatione habet: ***Prima quatuor generalia Concilia, tanquàm catholica, & Orthodoxa veneror, atq; recipio: quæ & publica ordinum nostrorum sanctione recepta sunt, & ab Ecclesia nostra pro orthodoxis habentur.*** Non minùs igitur hæresis reus erit, qui Concilia illa, seu alia consimiliter firmata per veros Pontifices, contemneret; quàm Euangelij desertor, fideiq; Apostata. Iàm verò cum omnis Conciliorum infallibilitas à sola promanet, vt latè vidimus in superioribus, veri Romani Pontificis auctoritate; aut immediatè præsidentis; aut medijs Legatis, & singula acta firmantis: qua certitudine fatemur vera esse celebrata Concilia in Ecclesia: quæ citrà offensam Diuinæ fidei, respuere non licet: eadem indubitatum efficitur, eos saltem regnasse in Ecclesia veros Pontifices, fide Diuina credendos, sub quibus ea sunt celebrata Concilia, & à quorum auctoritate infallibili, Diuina fides ipsorum est parta decretis, & sine quibus, tanquàm acephala, non essent de fide recipienda, atq; credenda.

27 Ad hæc; sicut Conciliorum infallibilitas perditur omnium, si ea ponantur acephala, hoc est sine Pontifice Capite; ità nil minùs infirmantur, si certissimo corpori, incertum appingatur Caput. Quid aio Concilia? ipsa tota statim euanescit à nobis Ecclesia, certissimo illi capite amputato perpetuò; quantùmq; de capite ambigo; tantundem de corpore relinquor incertus: ambigere dico, fide humana aliquid credere; quia quæcunq; moralis, aut etiam naturalis euidentia affulgeat. ea nihilominus tenebrescit ad fidei Diuinæ collata certitudinem, omnifariam indefectibilem. Manifestum est quod dico; nàm semel admisso, me ideò esse deceptioni obnoxium, quòd non plus-

quàm humana fide credam VRBANVM VIII. esse verum successorem Principis Apostolorum; indè sequitur apertè, quod vniuersa Ecclesia, eodem pariter assensu idipsum tenens, falli possit; inerranter à Spiritu Sancto non duci; nec subindè ipsam veram, sed dumtaxat existimatam Ecclesiam.

28 Non exile tandem est argumentum, quod in Bulla Martini PP. V. apud Constantiense Concilium sancitur; primum omnium exigendum ab Hęreticis, S. R. E. reconciliandis, credantne Papam canonicè electum, qui pro tempore extiterit (eius nomine expresso) successorem esse D. Petri, & in Ecclesia Dei supremam habere potestatem? nàm licet non exprimatur fide Diuina id esse credendum, ac proinde videri possit sufficere, vt hæretici reconciliandi eum tantùm in hoc habeant assensum de veritate Pontificis, quem Catholica habet Ecclesia; qui definitus non est Diuinus potiùs, quàm humanus; satis tamen apertè ea Cōstitutione supponitur hoc, quod credunt Catholici de veritate recepti Pontificis, pertinere ad fidem Diuinam; cum id reposcatur ab hæreticis, à quibus non solet, nec videtur aliud debere exigi, præter confessionem eorum, quæ fidem catholicam cōcernunt, & ad quam eo ipso reconciliantur; quæ anteà inficiantes, hæretici sunt effecti, fidem dum amisere Diuinam; ad cuius reparationem, impertinens est quodcunq; humano dumtaxat credatur assensu.

29. Hæc à posteriori examinata incommoda, quæ statim occurrunt, dato quòd fidelium animis certissima fides Diuina amoueatur, de quolibet pacificè in Ecclesia Romana primatum tenente, satìs, & super sufficiunt, vt quisq; porrigens herbam, fateatur ingenuè, esse de Ecclesiæ Sanctæ incolumitate; vt eius Caput: quodcunq; pro tempore extiterit: non minori certitudine, & fide, quàm Diuina tale esse credatur. Sed illud laboriosæ magis est operæ; explicare à priori originem, vnde obligatio consurgat, credendi contingentem hanc veritatem, nempe: S. D. N. VRBANVS PP. VIII. in Trhono Apostolico pacificè ab Ecclesia constitutus, & vnanimiter receptus, ipse infal-

libiliter eſt D. Petri ſucceſſor. Quomodò enim hìc applicantur ea, quæ recenſuimus ad obiectum fidei neceſſaria? quænam habetur de hoc Diuina reuelatio immediata? vndè ſufficiens de eodem adeſt propoſitio?

30 Aliqui primo in limine impingunt, rationẽ reddentes, quarè hic, vel ille credendus ſit fide Diuina legitimè vti annulo Piſcatoris; quia definiendo res alias, ſupernaturali fide credendas, hoc ipſo non obſcurè ſe ipſum declarat, eſſe pari infallibilitate credendum verum Pontificem Maximum; quippè cuius ſolius proprio munere fungatur: ſiue deindè, id conſequenter inſinuet, quatenùs intendens obligare fideles, ad credenda diuina fide, quæcunq; ipſe definit, eo ipſo ſecundariò præintelligatur velle etiam obligare ad credendum propriam auctoritatem, non minori certitudine; ſine qua illa vtiq; non eſſent credibilia, quæ primariò intendit credenda proponere: ſiue antecedenter, quatenùs aggrediens res fidei definire, moraliter ſupponatur velle haberi aptus ad functionem, quam ſolius veri Pontificis propriam attentat, res fidei definiturus.

Verùm iſti taliter ſe exiſtimantes à quæſtione expediri, magìs ſe implicant, cum difficultatem non terminent, ſed rotent in circulum, ab effectu ad cauſſam recurrentes viciſſim, vitioſa demonſtratione, in quam Philoſophia omnis exſibilat, cum Stagirita 1. poſt. tex. 3. Si enim quæratur ab huiuſmodi de certitudine Pontificiæ facultatis in aliquo exiſtimato Pontifice Maximo, per effectus reſpondent; quia ſcilicet ſolius Pontificis Maximi munus peragit definiendo res fidei, ſi de hoc rurſus effectu idem redeat quæſitum, quarè ſit nefas, non credere infuſa fide eas definitiones; nihil aliud ſuccurrit reſpondendum, quàm ex eo, quòd definiens, ſit verus Pontifex Maximus, & talem ſe declarauerit, res fidei definiendo, & has definierit, talem ſe declarando: cum tamen ſit cunctis manifeſtiſſimum, actum ſemper iure naturæ præſupponere, à qua egreditur, poteſtatem: ac proindè niſi priùs conſtiterit, definientem habere neceſſariam poteſtatem, eſſeq; verum Pōtificem Maximum;

eius definitiones, non modò esse infirmas ad astruendam ipsi auctoritatem; sed nec obligare fideles, vt sibi diuinam fidem adhibeant. Nec est alia ratio, cur Episcopi, aut alius propositionibus credendis, non adducar; nisi quia in eo præcognitam non habeo sufficientem potestatem, in qua credendi supernaturaliter actus fundetur. Non secùs atq; rebus, per Scripturam Sacram definitis, non tenerer supernaturalem præstare assensum, nisi prius Diuina crederem fide eam, quæ talia continet, Scripturam esse canonicam, & infallibile verbum Dei.

31 Frustrà occurrere meditaris, adducendo præsupponi quidem in Pontifice definiente res fidei, necessariam potestatem ad definiendum; sed hanc ante definitiones de rebus fidei, fundari in sola existimatione Ecclesiæ; esseq; non nisi humanitùs creditam; quæ tamen, accedentibus postea definitionibus, obligantibus ad credēdum aliquid fide Diuina; ipsa pariter transeat ab humana credibilitate fallibili, ad obiectum Diuinæ fidei, vndecunq; certissimum. Nihil dicis: quia potestas, quam supponit actus, debet esse ordinis eiusdem cum ipso, & proportionata; vt enim actus proponendi res fidei, obliget ad credendum fide infusa infallibili, euidens est, transcendere debere potestatem fallibilem, &, quantùm patitur humana existimatio, solummodò certam. propptereà, qui Pontifex res fidei aggreditur definire, sola fretus hominum existimatione, qua credatur id posse, & verus Pontifex esse, potuisset eodem pariter fundamento priùs proponere, credendum fide diuina se verum Pontificem; cum tamen manifestissimè, neq; hoc, neq; illud obligaret ad fidem infusam, quippè cuius assensus certissimus, originem nequeat traducere ex incertiori existimatione humana, eiq; inniti, tanquàm rationi formali infallibiliter credendi, vt per se notum est. Nisi assensus fidei de auctoritate definientis, & de veritate rei definitæ, duo essent admodum disparata, quàmuis vnum ab alio pendens, fortasse iuuaret dicere, eodem prorsùs actu, & res fidei, quem definire, & se ipsum verum Pontificem declarare; veluti simul, & semel

assensu eodem credimus rem reuelatam esse veram, & reuelationem auctorem habere Deum. Sed statim se prodit disparitas; qua adeò illa sunt disparata, vt distincto assensu perquàm indigeant; isq; necessariò præcedat, qui de potestate reddit nos certos, à qua subinde, tanquam à caussa, certi pariter egredi queant actus.

Omitto demum non defuisse veros Pontifices Maximos in Ecclesia, qui nihil innouarint in moribus, & de fide ne quidem visi sunt hiscere in nouis definitionibus: hos ergò inter dubios reponemus, à certissimorum Pontificum catalogo expunctos? Abeant ergò, qui aliud rationis afferre non norunt, quarè hic, vel ille sit credendus de superna fide Pontifex verus; nisi quia talem semet definit implicitè, dum alia taliter credenda proponit.

32 Sed nihil melius loquuntur alij, affirmantes ideò esse de fide hanc enunciationem contingentem: VRBANVS VIII. verus est Summus Pontifex: quia syllogisticè infertur ex ea præmissarum immediatè reuelata vniuersali: Omnis electus legitimè ad Episcopatum Romanum, est verus D.Petri successor, & Pastor vniuersalis: & ex altera euidéter cognita: VRBANVS VIII. est legitimè electus, & absq; schismate vbiq; receptus: ex eo, vt subdunt, quòd huius generis assensus ex altera reuelata altera euidenti, plusquàm naturalis sit; supernaturalis igitur; vt liquet ex eo, quòd illum negantes, non habeantur quadantenùs ab hæresis labe immunes.

Minùs certè improbabilis hæc esset assertio, si altera præmissarum, quæ euidens est, lumine ipso naturæ esset huiusmodi; quippè periculo falsitatis latentis minus exposita: at verò maiori improbabilitate scatet, cum propositio, quòd hic, vel ille sit electus legitimè in Ecclesia Dei Maximus Pastor, euidentia dumtaxat humana haberi possit, quæ multimodè falsitati locum relinquit; vtpotè in quibusdam fundata, de quibus euidentia denegatur, saltem ex parte subiecti, vt ritène sit salutari fonte lotus; sacris ordinibus initiatus; quæ ex baptizan-

tis, & ordinantis secreta intentione dependent. Nihilominus hoc etiam dato, quod euidentia eius præmissæ esset omninò naturaliter euidens, adhuc impertinens esset ad inferendam conclusionem de fide, quæ vt superiori cap. nu. 45. & 46. notauimus, in nulligena potest ratiocinatione fundari.

Do equidem, assensum eiusmodi theologicum esse in certitudine plusquàm merè naturalem, quod eruitur ex altera saltem præmissarum supernaturaliter certa; veruntamen simpliciter naturalis est dicēda; vtpotè sequens debiliorem partem, qua in naturalem propositionē ratiocinatio claudicat; vt ideò ad assensum Diuinæ fidei non pertingere, omninò sit certum; sed ad summum remanere medium, vt D. Tho. aiebat loco cit. Quòd si assensui huiusmodi fidem negans, videatur negare Diuinam, & hæreticare, non inde est, quia conclusio ea eruatur, per discursum, vt credatur fide diuina; sed quia erit aliàs formaliter, & immediatè reuelata, vel per Ecclesiam definita, quæ immò cum assueuerit huius generis conclusiones, deducibiles per talem discursum, definire, indicat non obscurè eas ex se pridèm non fuisse intrà obiectum Diuinæ fidei; cum per definitiones speciales eguerit nouiter in eo constitui.

33 Difficultatem alij deserunt insolutam, qui hunc indiuiduum Pontificem Maximum Diuina fide credendum dicunt, propter continentiam virtualem huius particularis enunciati: VRBANVS VIII. est verus Diui Petri successor: in illo immediatè reuelato: Quicunq; ritè electus fuerit ad Romanam cathedram, verus est Apostoli Petri successor: Quandoquidem continentia virtualis non sufficit ad constituendum supernaturalis fidei obiectum; si de ea loquamur, quæ propriè virtualis dicitur, à continentia formali contradistincta, & in certitudine inferior; quippè quæ non sit inter essentialia rei reuelatæ inclusa; sed indè tantummodò eliciatur, veluti secundaria passio ex primario principio, per naturalem quandam connexionem.

At verò si pro continentia virtuali intelligere malint formalem confusam, & idcircò explicationis egentem; nihilomi-

nus enodandum superest, quì sic contineatur propositio contingens de particulari Pontifice, in ea reuelata vniuersali: Omnis ritè electus ad Romanam cathedram, verus est Apostoli Petri successor: cum re vera in hac reuelata nihil contineri valeat formaliter, cui possit quadantenùs subesse falsum; iuxtà in præcedentibus explicatam naturam reuelationis Diuinæ; quæ sincerè, citrà inuolucra, ad res terminatur, sicuti sunt in essentia ipsa. Quis autem ignoret falsum subesse posse asserto huic, quòd hic existimatus Pontifex verè sit talis, ob sæpiùs allegata delitescentia impedimẽta, vel incapax efficientia subiectum, vel ipsam quoq; infirmantia electionem?

34 Alij ad suam sententiam sibi accomodantes diuersorũ principiorum figmenta, difficultatem transiliunt; qui si ea diligentiùs examinassent principia, vnde toti fidunt; sanè ex eorum fallacia comperissent, omnem elaboratã corruere structuram, seq; nihil dixisse. Et primò quidem, quia Theologicus discursus circà propositionem, ex principijs fidei procedentem, ferri bifariam potest; aut scilicet eam inferendo, tanquàm conclusionem ex præmissis; ita vt tota assentiendi ratio ex vi pendeat illationis, & hoc pacto ad fidem Diuinam non pertinet; quippè illa connexio extremorum in scientifico discursu, moralis solùm, aut naturalis sit certitudinis; non proindè sufficientis ad astruendam certissimam supernaturalem fidem; aut circà eam versando solùm explicatiuè; nimirum supponendo eam esse contentam intrà fidei obiectum; ac proindè hinc deberi illi firmissimum assensum, & non ex discursu; qui idcircò solùm adhibeatur ad luculentiùs rem explicandam taliter se habere, & in obiecto formali fidei contineri, propter quod venit credenda de fide; siue deinde continentia formalis sit, & immediata; siue mediata & virtualis, dummodò tamen pręmissa explicans, sit naturali lumine euidens, qua tãtùm ratione esse potest certa. Sed enim hoc fallere, quoad continentiam virtualẽ, ostensum est, cap. superiori, num. 36. Nec ampliùs insistendum nouæ refutationi; cum neq; ipsi (quod nostra interest in præsenti)

ti) hoc pacto contineri insistant virtualiter propositionem, de certitudine huius particularis Pontificis, sub vniuersali ea reuelatione, quòd omnis ritè electus ad Romanum Pōtificium, sit verus CHRISTI Vicarius.

35 Resident nanq; in ea tandem sententia, vt dicant contineri formaliter, estò in confuso, propter quod adhibita sufficienti explicatione, esse credendam de fide, bene vtiq;, sed deficiunt in ratione reddenda huius continentiæ formalis, quia subnectunt peculiare esse in hoc casu, vt singulæ particulares enunciationes: hic, & ille est verus Pontifex: contineantur formaliter in ea vniuersali: Omnis legitimè electus, est Pontifex verus: per hoc, quòd hæc vniuersalis in alium finem non sit reuelata, nisi vt illæ particulares in reuelatis habeantur, & eo ipso credantur de fide, & indubiè singuli particulares Pontifices; quò tollatur Ecclesiæ Sanctæ perplexitas; citrà hæsitationem credamus, quæ in dies, per sedentes Pontifices Maximos, definiuntur de fide; Concilia quæ celebrantur recipiamus constanter: ad quæ, & alia huius generis amplectenda, nisi necessitas cogeret, non vtiq;, inquiunt, sub vi reuelationis vniuersalis includeretur formaliter particularis, de hoc signato Pontifice; Sicut ex consimilibus reuelationibus: Omnis contritus, est iustificatus; quicunq; ritè baptizatus, non ponens obicem, recipit gratiam: Omnis consecrata Hostia est transubstantiata in Corpus CHRISTI: necessarium non ducunt credendū, hunc, vel illum cōtritum, aut baptizatum esse iustificatum; aliquam signatam Hostiam consecratam, esse transubstantiatam; nàm, inquiunt, nulla necessitas cogit in Ecclesia, quòd particulares istæ credantur; sicuti ex aduerso, plurimùm interest, rationibus adductis, de certitudine singulorum Pōtificum; vsq; adeò, vt velint reuelationem istorum esse primarium finem, cur illa vniuersalis, de omni legitimè electo, fuerit reuelata. Aliæ vero particulares propositiones, cum nihil pertineant ad Ecclesiæ bonum, non sunt singulæ finis, quarè reuelentur in vniuersali; sed finis reuelationis vniuersalis non alius fuit, quàm vt

certum crederetur, hostiam consecratam transubstantiari; contritum, & ritè baptizatum iustificari, ad meritum exercendi fidem, atq; illas ecclesiasticas functiones, quibus salus hominis consistit.

Ex quibus colligere est in hac sententia, ideò singulos Pontifices existimari reuelatos sub ea vniuersali, quia mens Dei reuelatoris fuerit, propter enarratas necessitates, eos reuelare, non autem, quod ex natura rei formaliter contineantur in ea. Immò verò, dixerim ego, particulares propositiones, de hoc, vel illo Pontifice, contineri formaliter ex natura rei in vniuersali reuelata; neq; solùm has, sed etiam alias omnes particulares reuelatas, singulas & ipsas contineri formaliter ex natura rei in suis respectiuè reuelatis propositionibus vniuersalibus; ratio enim quarè propositiones de singulis Pontificibus sub vniuersali contineantur, peculiaris non est, vt falsò assumitur, Ecclesiæ necessitas; quò scilicet adhæreſcamus indubiè dogmatibus, quæ à modernis Pontificibus definiuntur; sed est vniuersim communis cuicunq; reuelationi generaliter factæ; quatenùs de ratione cuiuscunq; generalis reuelationis, nedum est, vt in gratiam singulorum particularium facta fuerit, alioqui inaniter fuisset reuelata generalis cōnexio prædicati cum subiecto; sed etiam quia sine quorumcunq; particularium reuelatione, consistere nequeat omninò, eo quòd singula contineat in se formaliter, tanquàm suas essentiales partes. Supposita nanq; Capitis præcedentis doctrina, reuelari à Deo res completissimè, secundùm omnia sibi essentialia: reuelato hoc toto collectiuo: Omnis legitimè electus ad Romanam Cathedram, est verus Diui Petri successor: Omnis contritus est in gratia, & alia huiusmodi, impossibile est vllum singularium distributiuorum, quæ eius essentiales sunt partes, excludi: eo prorsùs modo, quo reuelato toto essentiali, puta, homine, fieri non potest, quin essentialia eius formaliter reuelata habeantur, Anima nempe, & Corpus. Immò magìs reuelari, & contineri formaliter videntur propositiones particulares in toto col-

lectiuo, cuius sunt partes; quàm reuelētur formaliter ipsæ partes essentiales in toto essentiali: illæ quippe eandem subeunt rationem formalem, seu definitionem totius collectiui, istæ autem partes sunt tantummodò definitionis, seu essentiæ totius essentialis.

36 Ad rem igitur cominùs accedentes; aperto ore pronunciamus, exigi fidei Diuinæ assensum ab huiusmodi propositione: S.D.N. VRBANVS VIII. verus est vniuersalis Ecclesiæ Pastor, legitimè Diuo Petro succedens: & consimilibus alijs propositionibus, de singulis vniuersaliter in Ecclesia receptis, pro Maximis Pontificibus veris. Nec debitam deesse reuelationem, cum sub illa vniuersali clarè, formaliter, ac immediatè reuelata: Omnis electus legitimè est verus Pontifex. contineantur oscurè reuelatæ formaliter, quæuis omnes eius generis, & singulæ particulares; hic, & ille legitimè electus, est verus Pontifex: prædictaq; liberè, & intrepidè affirmamus; non tàm ob negocij grauitatem, hìc peculiarem; vt quòd indè Catholicæ fidei certitudo pendeat; ex quo Pontifex quicunq; vniuersaliter creditus, sit etiam habendus infallibilis regula credendorum; quàm multò magis ex ipsa natura vniuersalis reuelati. Cum enim id necessariò coalescat ex omnibus, & singulis particularibus, quæ æqualiter totum, & si non totaliter, rationem participant illius vniuersalis reuelati; formaliter in eadem sui reuelatione includere singula particularia, ex quibus constituitur, &, quibus negatis, ipsum totum collectiuum destrueretur, necesse sit. Quemadmodùm enim falsò pronunciato, quòd hic, vel ille ignis calefaciat, & sic de singulis; protinus falsum erit vniuersale: Omnis ignis calefacit: ita asserto, non esse reuelatum, quòd hic, vel ille legitimè electus, & reputatus Pontifex, sit huiusmodi; quid superest, nisi vt mentiri dicamus, quicunq; affirmauerit hoc vniuersale reuelatum haberi: Omnis legitimè electus est verus Pontifex? Quomodo omnis, si ad omnes non extenditur, immò ad nullos, cum non sit potior ratio de vno præ ceteris? Cum tamen verissimum sit,

ita esse reuelatum, nec posse contradictorium verificari, quòd illud vniuersale reuelatum non sit.

37 Verùm, nè res grauissima videatur hìc labijs gustata primoribus; penitiùs est indagare, quomodò propositio particularis: VRBANVS VIII. verus est Pontifex Maximus: habeatur formaliter reuelata sub illa, de qua non est dubium, vniuersali: Omnis electus legitimè, est Pontifex Maximus verus. an reuelanda dicenda sit tota, secundum prædicatum, subiectum, & copulam; ita vt reuelatio feratur suprà hoc totum: VRBANVS VIII. legitimè electus, est verus Pontifex: vel potiùs solum prædicatum reuelatum intelligatur; scilicet Pontificium verum consequi ad positum subiectum legitimè electæ personæ. Si eligatur primùm, vt eligi videtur à pluribus; iàm particularis propositio de hoc Pontifice non erit reuelata confusè, sed tota dilucidissimè; non minùs, quàm vniuersalis illa de omni legitimè electo; quæ, sicut explicationis nequaquàm est indiga; ita, neq; erit indigens altera; ac proinde legitima electio non erit præmissa euidens, explicans continentiam formalem confusam, & connexionem inter subiectum, & prædicatum; sed erit ipsa pariter immediatè reuelata. Sin magè alterum affirmetur, sua quoq; hoc difficultate non vacat. nàm si sola connexio prædicati cum subiecto posito reuelata dicatur, nil magìs dicitur, quàm verum Pontificium consequi ad legitimam electionem; nihil tamen certi, ac reuelati habetur, quòd hic signatus sit Pontifex verus, cuius nimirum electio legitima non reuelatur. Adde, quòd si solùm credatur verus Pontificatus, huic homini inesse, media electionè legitima, quam Pontificatus consequitur, & quæ in hoc homine reperitur; iàm ista connexio fit per syllogisticum discursum, assumendo intermedium terminum, communem extremis; in qua ratiocinatione, iàm patuit, non posse locari diuinæ fidei fundamentū.

38 Propterea cautiùs aduertendum, aliud esse reuelari subiectum totum cum prædicato in aliquà propositione, & aliud prædicatum reuelari inesse singulari alicui, sub eo subiecto cō-

tento. Subijce exempla, & rem cognoſces apertiùs: Reuelatur omnis homo in nouiſſimo die reſurrecturus, & quàmuis ſubiectum propoſitionis huius, nempè eſſe hominem, meę non reueletur entitati congruere; reuelatur nihilominus mea entitas reſurrectura, ideoq; de fide, quia ſatis ſub hominis ratione, ſeu ſigno innoteſcit. Ita pariter ad rem noſtram, reuelato, quòd omnis electus legitimè ad faſtigium Apoſtolicum, verus ſit Pontifex; reuelatur pariter quæcunq; determinata perſona eſſe Pontifex verus, quæ ſigno canonicæ electionis, abſq; ſchiſmate innoteſcat; ità quòd legitima electio ſit iudicium ad arguendum, & explicandum, ineſſe prædicatum veri Pontificatus homini huic, requiſitam conditionem legitimæ electionis habēti, ac proinde ſingularem hunc virum: VRBANVM VIII. verum Pontificem: contineri formaliter in ea reuelatione vniuerſali: Quòd ſit verus Pontifex, quicunq; fuerit ritè electus, per euidenter exhibitum ſignum canonicæ electionis.

39 Exemplum adhuc aſſume non impar: Si fuiſſet reuelatum, quòd omnis claudicans ſit iuſtificatus; nunquid reuelata eſſet mihi claudicatio huius, & alterius hominis? quorſum reueletur, quod ipſis intueor oculis? vterer equidem claudicatione, euidenter inſpecta in aliquo homine, tanquàm dato diuinitùs diſcerniculo, ad internoſcendum iuſtos à reprobis, cui certò eſſet credendum, ac ſi ille ſigillatim reuelatus eſſet iuſtus, in quo datum appareret ſignum.

Idipſum aliter: Si ex reuelatione proceſſiſſet Diuina, MAPHAEVM BARBERINVM, Anno, die, & hora ſtatutis, verum Pontificem Maximum creandum, nonnè id eſſet, verificatis ſignis, Diuina fide credendum? quis dubitet? & tamen ſigna ipſa reuelata non ſunt; quòd hic ſit ipſe, de quo facta eſt reuelatio, MAPHAEVS; quòd hic annus, & dies, ſint tales annus, & dies. Secùs, Ni prædicto modo ratiocinemur, inde apertè ſequeretur nullum particulare eſſe reuelabile, contineri confusè ſub aliquo vniuerſali, certò deinde explicandum; cum explicatio fieri nequeat, niſi per contingentia ſigna particularia; ſicut ſub-

stantiæ nequeunt, nisi per accidentia sensibus subijci, & indigitari; quæ signa si pariter reuelata essent; iàm non essent signa explicantia alicuius reuelationem formalem confusam in alio; sed essent ipsamet formalis claræ reuelationis obiecta.

40 Id quod à posteriori satis manifestè ostenditur, per imminens absurdum, dato, quòd nullum particulare credendum esset confusè reuelatum in formalitate alicuius vniuersalis, quotiescunq; id per quod ea continentia explicatur, non esset pariter reuelatum. Scilicet ex fidei articulo, liquidò reuelato, quòd omnes homines ad supremi Iudicis aduentum resurgere habeant, reddituri de factis proprijs rationem; nemo teneretur hinc se resurrecturum sperare, & credere; quandoquidem nemini per reuelationem constat, se esse hominem. & de consimilibus pluribus est eodem pacto ratiocinari; vt quia reuelatum mihi nō est, quòd animâ rationali sim prædictus, quod per euidentiam naturalem percipio; ergone fide Diuina non credam, meam animam immortalem, posita reuelatione vniuersali, firmiter credenda, quod quæuis rationalis anima sit mortis ignara? De quibus propositionibus particularibus, sic explicatis contineri sub vniuersalibus reuelatis; sicut nemo est, qui fidem supernaturalem non habeat, quarè non habebimus in hac persimili: VRBANVS VIII. de quo euidens est in Ecclesia, esse legitimè electum: est indubiè credendus Pontifex Maximus, reuelatus sub eo toto collectiuo: Omnis legitimè electus, est Pontifex Maximus? Et sanè necessarium admodùm, nedum congruum fuerat, vt de singulis Pontificibus, sub vnica vniuersali propositione reuelatis, confusè signum exhiberetur aliquod; quo inspecto, reuelatio de vnoquoq; Pontifice, non ampliùs confusa, sed perspicuè appareret: huiusmodi autem, aliud nō debuerat exhiberi, q̃ ipsa canonica electio; quippè ipsa in esse veri Pontificis sola cōstituat; neq; hæc, aut aliud generis signa sunt rationes credēdi, quas Diuina nullas patitur fides; sed notiones solūmodò explicatiuæ, & indicia reuelationis Diuinæ immediatæ, q̃ vnica est in fidei obiecto formalitas.

41 Propè nauē reduxiſſemus ad portum; iàmq; læto eſſet exultare celeumate, oſtenſo ſingulas propoſitiones particulares, de indiuiduis ſignatis Pontificibus Maximis ab Eccleſia receptis, eſſe formaliter reuelatas, quando reuelatum eſt illud totum collectiuum: Omnis legitimè electus ad Romanā Cathedram, eſt Maximus Pontifex verus: quàmuis legitimam huius, vel alterius electionem nil oporteat reuelari; quæ cum ſolummodò ſit ſignum, quo innoteſcat talem perſonam comprehendi ſub eo ſubiecto, quod eſt determinatum, pro prædicato veri Pontificatus, ſatis eſt, vt citrà reuelationem diuinam aliunde euidenter appareat.

Sed noua hìc ſuborta tempeſtate, vexamur circà ſufficiētem explicationem, & propoſitionem iſtarum particularium propoſitionum, de veritate vniuſcuiuſq; recepti Pontificis. Sint enim, vt libet, immediatè, & formaliter reuelatæ, tanquàm partes conſtitutiuæ in ſuo toto; non proinde ſtatim diuinam expoſtulant fidem, niſi ſufficienter proponantur, vt tales, cum euidentia credibilitatis, vti latè eſt in ſuperiori cap. diſſertatum, à num. 15. Porrò quidquid explicatur in aliqua reuelatione contentum formaliter, ſed confusè, explicandum nō eſt per ſigna incerta, & fallibilia; immò per infallibilia, & lumine ſaltem naturali euidentia; ſin minus ea eſſe debeant reuelata. Vndè optimè exemplificabatur de particularibus propoſitionibus, quòd hic, vel ille homo ſit reſurrecturus; animam habeat immortalem, eſſe diuina fide credendas, tanquàm generaliter ſingulas reuelatas, ſub propoſitione vniuerſali; quandoquidem, eſtò ſigna, vnde explicantur huiuſmodi particulares ſub vniuerſalibus formaliter cōtineri, nō ſint reuelata; euidentia tamen naturali infallibili certiſſima ſunt ſe ipſis, quòd hic, vel ille ſit homo; rationalem habeat mentem.

42 Aliter de ſigno, per quod explicari diximus particulares enunciationes, de hoc, vel illo recepto Pontifice, contineri formaliter ſub toto collectiuo vniuerſaliter de omnibus ſingulis reuelato. Siquidem non aliud affertur ſignum, quàm cano-

nica electio; de qua nulla euidentia, nulla infallibilis habetur cognitio, vt sufficiat ad explicãdas,& proponẽdas illas enunciationes particulares, cum debita credibilitatis euidẽtia. Estò enim plurimum videatur tribuendum concordi existimationi fidelium, & totius iudicio consentientis Ecclesiæ; quid hinc tandem? An futura est huiusmodi certitudo plusquàm moralis, valdè probabilis existimatio rei propositæ, & explicatæ; fundata in plurium Sapientium iudicio semper fallibili, quod fouere valeat falsum, non modò ex parte cognoscentis fallibiliter secundùm humani intellectus infirmitatem; sed multò ampliùs ex parte obiecti cogniti, electionis nimirum canonicæ; de qua nunquàm potest euidenter constare; vtpotè ex pluribus omninò inscrutabilibus pendente, qualis modi sunt circà subiecti aptitudinem, ordinati, vel baptizati, cum debita ordinantis intentione, vel baptizantis? Vbi enim inuoluitur aliena intentio, nulla sufficiens haberi euidentia potest credibilitatis, ad supernam fidem requisita: ex quo proindè iure denegatur, aliquam particularem hostiam designatam esse diuina fide credendam transubstantiatam in CHRISTI corpus, quòd non satis euidenter constet de consecrantis intentione, vel potestate.

43 Video difficultati huic nonnullos confractos cedere; vt proptereà credibilitatis euidentiam in sufficienti propositione obiecti fidei vsq; adeò laxent, quòd non oporteat esse vbiq; naturalem,& prorsus infallibilem; sed minorem sufficere aliquando; puta moraliter certam apparentiam, quàmuis suspicionem falsitatis latentis non vsquequaq; eliminantem. Idq; potissimùm duobus in casibus; altero nempè, quando res credenda proponeretur cum testimonio miraculi; tunc enim obligare ad fidem diuinam præstandam certum est, ex communi Theologorum calculo, & Innoc. c. Cum ex iniuncto de hæret. & tamen, inquiunt, nulla infallibilis euidentia habetur; vel quòd signum exhibitum sit verè miraculũ; vel quòd, estò esset huiusmodi, infallibilẽ fidẽ astruat rei, ad quã exhibetur testificandã.

Alter qui assignatur casus est, de quo in præsenti est sermo; nàm licèt reuelatio de veritate huius, vel illius Pontificis explicetur per signum canonicæ electionis, reputatæ talis ab Ecclesiæ vniuersæ iudicio, non omninò, vt suadent euidenti, & infallibili, obligamur nihilominus ad fidem diuinam præbendam rei sic explicatæ, ex eo, quòd supponendum sit, Diuinæ prouidentiæ munus esse in grauissima re suam Ecclesiam non deserere, vt fallatur in fide humana, de electione legitima singularium Pontificum Romanorum, in quorum postea auctoritatem omnis nostra infusa fides resoluitur, de quibuscunq; articulis, per ipsam Romanam Apostolicam sedem definitis.

44 Verùm, minùs auditur æquanimiter, sufficere quandoq; ad formale fidei obiectum explicandum, certitudinem minorem infallibili, & euidenti. Si enim aliquando sufficiat, cur non semper? An admittimus in Diuina fide certitudinis latitudinem penes intensiorem, vel remissiorem assensum; vt non omnia, quæcunq; ita creduntur, sint æqualiter reuelata, & explicata, quàmuis ex parte subiecti aliqua reperiri possit imparitas, etiam inter res ipsas formaliter reuelatas? profectò primus qui afferebatur casus capite præcedēti, manet explosus, à num. 20. vbi manifestè ostensum, nequire verum miraculum, in attestationem falsitatis vsquam produci; atq; ideò sufficientis infallibilitatis semper indicium fore euidens, vbicunq; illud inspectum fuerit, & per omnia verum agnitum, iisdem planè coniecturis, atq; euidentijs, quibus de vnaquaq; re naturali euidentiam consueuimus habere maiorem.

Alter prorsus gratãter inducitur, quòd Ecclesiæ Orthodoxę iudicium de electione canonica singulorum Pontificum, sit fallibile in se; nec nisi extrinsecè congruat per specialem Dei prouidentiã reddi infallibile; etenim, licet absq; hac infallibilitate canonicę electionis ægrè subsistere postmodū q̃at Diuina fides de rebus, p Pōtifices singulos definitis; quoi sum tñ ex cōgruētia illam emendicemus precariò; cū necessariã, & intrinsecam in ipso Ecclesiæ vniuersalis iudicio infallibilitatē habeamus?

45 Dicas igitur constantissimè, legitimam electionem vniuscuiusq; Romani Pontificis, iudicio vniuersalis Ecclesiæ comprobatam, esse signum sufficiens, & infallibile, per quod cum requisita credibilitatis euidentia, explicetur propositio particularis, de vnoquoq; vero Pontifice Maximo; contineri formaliter sub reuelatione vniuersali de habendo Pontifice, quicunq; talis fuerit legitimè electus.

46 Pro quo præaccipiendum tibi est, Ecclesiam, siue humana, siue diuina auctoritate procedat, semper infallibilem esse in explicandis fidei rebus. Humanâ quidem tunc dicitur auctoritate vti, quando ex mutua Orthodoxorum Patrum consensione, interpretatione Scripturarum, populorum acclamatione, antiquitate inuariatæ doctrinæ, miraculorum testimonio roboratæ, procedit. De hac humana Ecclesiæ auctoritate, verba sunt Augustini lib. contrà Epist. fund. c. 4. *Multa sunt, quæ me in Ecclesia iustissimè tenent; consensio populorum, & gentium; auctoritas miraculis inchoata, spe aucta, charitate firmata, & vetustate nutrita: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas Dominus demãdauit, vsq; ad præsentem Episcopum successio Sacerdotum.* Et de Doctrinæ antiquitate specialiter Hieronymus Epist. 65. ad Pammachium, & Oceanum hæc habet: *Quisquis assertor es nouorum dogmatum, quæso, vt parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostoli voce laudatur.* Et infrà: *Vsq; ad hunc diem sine ista doctrina Mundus Christianus fuit: eam senex teneбо fidem, quam à parentibus accepi: cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod anteà nesciuimus?*

47 De Diuina autem Ecclesiæ auctoritate meminit Paulus Ecclesiam Dei viui, nempè Catholicam, vocans: *Columnam, & firmamentum veritatis*, 1. ad Timoth. 3. quam prærogatiuam illi contulit Dominus, cum diceret discipulis: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem sæculi.* Matt. vlt. similiter: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Matt. 16. & aliud: *Cum venerit Paraclitus docebit vos omnem veritatem.* Ioan. 16. Ad eandem supernaturalem Ecclesiæ au-

ctoritatem referenda sunt Augustini verba, cum loco cit. c. 2. dixerit, se non fore Euangelio crediturum, nisi ab auctoritate moueretur Ecclesiæ. Et illud Leonis Papę, serm. 2. de ascens. *Vt fides excellentior esset, visioni doctrina successit, cuius auctoritatem, supernis illuminata radijs, credentium corda sequerentur.*

Et quanquàm, si sermo sit de fidei definitionibus, & condendis articulis, prior humana auctoritas Ecclesiastica nihil prosit; fides quippe diuina certior, & nobilior, nostratem dedignatur assensum, & humanam auctoritatem habere in fundamentum; altera verò, qua pollet Ecclesia, Diuina auctoritas, mediatè dumtaxat valeat, ad res fidei reuelandas, seu definiendas; quatenùs per os Ecclesiæ ipse loquitur, tanquàm per accomodum organum, Deus: si nihilominus de sola explicatione agatur rerum, iàm formaliter aliàs reuelatarum, estò in confuso; vtroq; modo infallibilitas sufficiens Ecclesiæ competit, siue moralis, siue supernaturalis assistentis Spiritus adhibeatur auctoritas.

48 Primum quidem patet; quandoquidem concors fideliũ plausus, VRBANVM VIII. verum Pontificem Maximum colens, adorans, prædicans; nihilo est in credibilitatis euidentia, inferior vllis alijs euidentijs, quæ à nobis haberi queant, de credibilitate cæterorum Mysteriorum Catholicæ fidei: quæ enim huiusmodi tandem sunt? profectò, quòd eam sanam, sanctámq; seruent doctrinam; nihil falsitatis concretum habeant; sacris neq; literis, neq; moribus aduersentur; diuinæ non absona excellentiæ; efficacissimè sint propagata per orbem, quod admiratus Augustinus lib. 22. de Ciuit. c. 7. *Diuina*, inquit, *virtutis fuisse, non persuasionis humanæ.* Quòd innumeris Martyrum, & Prophetarum, & miraculorum testimonijs comprobata, à primordijs nascentis Ecclesiæ, ad nostra vsq; secula inuariata deducta, ab vniuersitate fidelium communiter recepta sint. His, & huiusmodi intercedentibus suadelis, præterea nihil. Si ergò pari vnanimitate consensus, homo hic ab vniuersa recipiatur

Ecclesia in legitimè electum; ac proinde indubitatum Pontificem; cur non itidem eadem erit etiam hic credibilitatis euidentia?
49 Superadditur, tametsi nihil necessarius, Colophon vltimus, ab ipsius Ecclesiæ auctoritate supernaturali, qua à Spiritu Sācto assistente comite ducta inerranter per semitas veritatis, ad nullam deflectere potens in credendo erroris viam, se gerit, vt infallibilis regula fidei; quæ incluso Capite suo Summo Pontifice, reuelare potest formaliter, sua definitione, res virtualiter tantùm, & mediatè sub obiecto reuelato contentas; quatenùs post definitionem Ecclesiæ, sint fide Diuina credendæ, non ampliùs vt virtualiter, sed vt formaliter, & immediatè reuelatæ: Quantò magis eadem auctoritate superna poterit Ecclesia: quod minus est: res ipsas reuelatas iampridem formaliter, licet minùs distinctè in principijs fidei, sufficienter proponere, & explicare; vt fide Diuina credantur?
50 Caue tamen, ne has infallibiles auctoritates attribuas Ecclesiæ non vniuersali: quocircà, cum tempore Schismatis, de vera, & vniuersali non constet Ecclesia, populis singulis rem pro domo, & parte sua discerpentibus, cessat sufficiens Ecclesiæ propositio de canonica electione illius Pontificis; quippe vniuersus coetus fidelium non consentit, sed pars vni, pars alteri electioni fauentes, explicationem relinquunt ambiguam, vndè nemo fide Diuina meritò credendus tunc est verus Pontifex, ob defectum sufficientis propositionis; quàmuis, re ipsa, verus fortasse adsit Pontifex aliquis, canonicè electus, & per consequens reuelatus, estò non debitè explicatus.

Particulares Ecclesiæ de suorum dogmatum infallibilitate nil habent præsumere; quandoquidem experientia ah nimium perniciosa didicimus, particulares Christi fidelium coetus in hæresum barathrum actos, præcipites corruisse. Arriani errarunt, Diuinitatem Christi inficiantes. Et Macedonij classis, eandem Spiritui Sancto denegans, est decepta. Nestoriani malè docuerunt in Christo duplicē personam. Euthy-
 ches,

ches, & Dioscorus è conuerso geminam in eodem Filio negauere naturam. Pelagiani de peccato originali, & gratiæ necessitate renuentes audire perditi sunt. Quid plura? delirarunt Manichæi, Donatistæ, Caluinistæ, Lutherani, & quicunq; ab vniuersali Ecclesia dissociati, soliuagi, prædicantes inaudita, & à semetipsis merè conficta, Dominum extrà plenitudinem Ecclesiæ conati sunt ostendere populis, dicentes: *Ecce in deserto est*, cum tamen constet Deum in vniuersali tantùm Ecclesia reperiri; hancq; non esse, nisi in Sanctorum Patrum, ac populorum consensu: *Vbi enim congregabuntur Aquilæ, ibi erit corpus*.

51 Immò nec ipsi vniuersali Ecclesiæ attributa est Sancti Spiritus assistentia, ad infallibiliter docendum; nisi prout suum os habet in Capite Pontifice Maximo: cui in Apostolorum Principe olim à Domino dictum est: *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*. Luc. 22. Tum quia definire ex cathedra, actus est specialis potestatis, à CHRISTO institutæ, ad regendam vniuersam Ecclesiam, spectans ad clauem scientię; Porrò Ecclesiæ nulla est data potestas ad regendam semet; Neque ipsi claues sunt attributæ, sed Monarchæ vni summo vniuersali Pastori: tum quia, vt in præcedentibus capitibus enucleauimus; Impossibile foret, vniuersalem Ecclesiam simul in consessum vnum confluere, sicut confluit in consensum; vt inde concors collectorum fidelium omnium definitio, Ecclesia nempe semet, in fide instrueret. Vt proinde nullum Concilium sit vniuersale dicendum, nisi vniuersalis Pontificis auctoritate determinatum, quoad locum, tempus, ac personas; insuper nihil irrefragabiliter sanciat, nisi eadem Pontificalis auctoritas, firmiter credenda, Concilij acta confirmet.

Neque hoc modo dicimus Ecclesiam docere, hunc particularem signatum hominem, esse canonicè electum, & verum Pontificem, Diuina fide credendum. Etenim si sumpserimus Ecclesiam præscindentem à Capite Summo Pontifice, qui sua

determinatione addat robur, nihil ea potest definire de fide: Si n autem Pontificem addiderimus, Ecclesiæ opinionem Apostolico decreto corroborantem, circumagemur in circulum, qui initio quæstionis timebatur.

52 Ad aliam igitur Ecclesiæ infallibilitatem, passiuam scilicet, in credendo, reducimus certitudinem, non definitionis; qua nihil opus, cum res sit iampridem reuelata, sed explicationis, de hac propositione: VRBANVS VIII. est, indubius Pontifex reuelatus. quatenus in Ecclesiæ vniuersalis fidem intendentes indefectibilem, & infallibilem, traducimus ex huius regula certitudinem nostram singuli, de eo, quod Ecclesia vniuersa recipit; quæ firmamentum, & veritatis columna ab Apostolo diceretur immeritò, si decipi posset credendo, aut proponendo ad credendum, etiam per inuincibilem errorem. Similis in hoc cuicunq; priuato Doctori, qui ideò veritatis non dicitur columen. Vnde si Ecclesia vniuersa adhærescere posset falsitati alicui, tanquàm veritati fidei; seu explicationi ad veritatem fidei dirigenti, etiam præciso Pontifice, omnis eius fides dubia redderetur; quia dubitare posset in singulis, ne circà aliquem articulum errore inuincibili deciperetur; inde nemo posset ei inniti, seu ab ea manuduci ad credendum. Quod asserere est mendacium impudentissimum, quippe impos esset Ecclesia obligare singulos ad credendum, quod vniuersa credit: columna, & firmamentum veritatis non esset: Sede vacante periclitaretur in fide.

53 Nec modò est Ecclesia Catholica ab errore immunis, in eo quod assumit, & ad Diuina fide credendum amplectitur. Sed in ijs quoque, quæ pia tantum, & probabilia reputat; eo quòd, veluti dicebamus, vniuersa Ecclesia summæ auctoritatis sit, etiam secundùm humanam sapientiam suorum Doctorum, atque Sapiētum procedens, quibus vbiq; abundat: ita vt quidquid vniuersa Ecclesia iudicat probabile, id euidenter probabile sit habendum. Dum igitur nemini in Ecclesia Catholica irrepit dubitationis ratio, an hic, qui in Apostolico sedet so-

lio, sit ipse verus Pontifex Maximus; profectò ab Ecclesia Catholica id reputatur credibile; ergò erit euidenter credibile, quod requiritur, & sufficit ad debitam explicationem rei, alias in obiecto fidei reuelatæ, eo magis rei propositæ, qua negata, rueret vniuersa Ecclesia, cum diu, cum errore sui Capitis consistere, impossibile sit, vt ex dictis planè constat.

Porrò explicatio sola circa id quærebatur: nàm reuelationē iàm ostendimus fuisse factam immediatè in illa vniuersali. Omnis legitimè electus est verus Pontifex: tanquàm in toto collectiuo, à quo nulla potest excludi suarum distributiuarum partium, ex quibus omnibus constituitur.

54 Neq; de reuelandis huiusmodi, auditus est vnquàm Pontifex vllus, siue sua solius definitione, siue Conciliorum Decreto mutire; nec quidem tempore schismatis; cum maximè id videretur opus, pro fidelium obedientia stabilienda. Magnum sanè argumentum, nulli vnquàm Pontificum incidisse in mentem, rem huiusmodi non esse reuelatam, vt ideò definitione indiguerit reuelari; tunc maximè, cum vniuersalis Ecclesia in partes discissa, sufficientem non haberet illius designationem. Quod enim Bulla habet Martini PP. V. in Concilio Constantiensi, reposcendum ab Hæreticis, qui Ecclesiæ reconciliari voluerint; num credant Romanum Pontificem, quicunq; pro tempore sederit, esse verum CHRISTI Vicarium, ac vniuersale Ecclesiæ Caput. Licèt de fide Diuina à nobis explicatum sit suprà, quæ sola ab Hæreticis est repetenda; nihilominùs non præcipitur ibi id, tanquàm noua Constitutio hunc superaddēs articulum fidei obiecto; quin potiùs, tanquàm aliquid iampridem reuelatum, atq; credendum, iubentur singuli reconci-
55 liandi Hæretici profiteri.

Loco resoluta quæstio, iam carbasa contrahere admoneret, nisi ad pleniorem doctrinæ expositæ securitatem, adhuc penitiores recessus, & stabilissimum portum penetrare mens esset; vbi anchoris tenacissimis iactis, omnis prorsus animi fluctuatio cesset. Nonnihil idcircò hìc, pro suprema tractationis coro-

nide subijciendum, de veritate huius Ecclesiæ, explicantis sufficienter hunc reuelatum articulum: VRBANVS VIII.; & quiuis alius, pro temporum successione, consimiliter inter fideles vnanimiter habitus, est verus Pontifex Maximus: quò illudendi omnis præcludatur aditus, quæstionem amando à dubietate Pontificis ad parem dubietatem Ecclesiæ, ipsum habentis explicare certum.

Primum omnium, vnam esse Ecclesiam, eamq; visibilem ipsi cum Catholicis, licèt diuersimodè, confitentur Hæretici. Ratio statim obuiat, quam intulit August. lib. 17. contrà Faustum. c. 11. *In nullum*, inquiens, *nomen religionis congregari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Quod sensibile gluten in nostra non desideratur Ecclesia; vbi visibilia adsunt sacramenta; sensibile sacrificium; sacra Scriptura; & resonans exteriùs prædicatio; qua, miraculis etiam sensibilibus suffragantibus, visibiliter excreta, & ad nos vsq; propagata est; vsq; ad finem sæculi perducenda eadem, quæ primùm Apostolicis temporibus germinauit. Ecclesia profectò visibilis, in quam Spiritus Sãctus visibili forma descendit, cui apposita sunt per Apostolorum primas prædicationes, altera die tria, altera quinque hominum millia.

Caput, & Pastores non desunt, qui oues suas habeant cognoscere, & ab ijsdem cognosci visibiliter; dum illi iubentur super commissam pascuam aduigilare: *Pasce oues meas*, Io. 20. *Pascite, qui in vobis est gregem*. 1. Pet. 2. Alteris autem iniungitur, vt peccantes fratres ad Ecclesiæ Tribunal deferant. *Dic Ecclesiæ*. Matt. 18. quorum neutrum in inuisibili, seu in incognoscibili fidelium coetu locum nanciscitur.

Ecquid aliud indicant Conciliorum celebrationes; Canonũ sanctiones; decisiones controuersiarum de religione, fide, & moribus; nisi visibiliter benè ordinatam Rempublicam? Augustinus Psalm. 18. enarrans, ad ea Prophetæ: *In Sole posuit tabernaculum suum. In manifestatione* (inquit) *posuit Ecclesiam*

suam, non in occulto; non qua lateat, velut operta, ne fortè fiat sicut operta super greges hæreticorum. Et epist. 66. ad Donatistas: *Ipsa Ecclesia* (inquit) *in Sole posita, hoc est in manifestatione omnibus nota, vsq; ad terminos terræ*. Ad idem reddit lib. de vnit. Eccles. *Non est* (dicens) *operta Ecclesia, quia non est sub medio, sed super candelabrum, & de illa dictum est: Non potest Ciuitas abscondi suprà montem posita*. Tandem eadem epist. ad Donatistas: *In scripturis*, ait, *didicimus* CHRISTVM*: in scripturis didicimus Ecclesiam: Has scripturas communiter habemus*. Et infrà: *Ecce scriptura communes: ecce vbi nouimus* CHRISTVM, *ibi nouimus Ecclesiam: Si* CHRISTVM *ipsum tenetis, ipsam Ecclesiam quarè non tenetis? si ipsum quem legitis, & non videtis, tamen propter auctoritatem scripturarum creditis, quarè Ecclesiam negatis, quam & legitis, & videtis?* visibilis est ergò Ecclesia.

56 Id quod nec dissimulant Nouatores: Siquidem Caluinus lib. 8. instit. c. 1. §. 13. de visibili Ecclesia. sic fatur: *Allegant Ecclesiam* CHRISTI *sanctam esse: verùm, vt similiter intelligant esse ex bonis, & malis permixtam, illam ex ore* CHRISTI *parabolam audiant, in qua reti comparatur, quo pisces omne genus colliguntur, neq; seliguntur, donec in littore sint expositi*. Adde & tu consimiles parabolas, quibus Regnum Cœlorum; hoc est præsentis temporis Ecclesia significatur. De nuptiali epulo, ad quod boni, maliq; promiscuè accersuntur conuiuæ. De Virginibus decem occurrentibus Sponso, & Sponsæ, quarũ quinque prudentes, totidem fatuæ perhibentur. De ouili, in quo oues intermiscentur hædis. Et demum (quæ Apostolica affertur similitudo) de magna domo, omnigena vasa habenti, in honorem alia, alia in contumeliam.

Philippi Melancthonis habes de eadem visibilitate Ecclesiæ confessionem, in exam. ordinand. ibi. *Ecclesia visibilis, in hac vita est coetus visibilis, amplectentium incorruptam Euangelij doctrinam, & rectè vtentium sacramentis, in quo coetu Filius Dei efficax est, & multos regenerat ad vitam æternam: sunt autem in eo coetu multi non sancti, sed de doctrina consen-*

sientes. Vtinam ſic in cæteris perditi homines Orthodoxis Patribus conſenſiſſent; hoc nanq; idipſum eſt, quod Auguſtinus inquit, tract. 6. in Ioan. *Nos fatemur in Eccleſia bonos, & malos eſſe, ſed tanquam grana, & paleas*. Non igitur inuiſibiliter conſtituitur Eccleſia, ex hominibus incognoſcibili teſſera, ſiue internæ fidei, ſiue charitatis, aut prædeſtinationis coadunatis.

Licèt grex omnis, intrà viſibilem Eccleſiæ caulam coercitus, nequaquàm ſaluandus ſit; habet quippe dexteras oues, & ſiniſtros hædos: nemini tamen, extrà illum palanti, certum eſt, ſalutis aditum reperiri. Neq; in hoc lis vlla verſatur inter Catholicos, & Hæreticos, vtriſq; pariter hic etiam conſentientibus. Ex noſtris quidem Auguſtinus habetur, lib. de vnit. Eccleſ. c. 19. ſcribens: *Ad ipſam verò ſalutem, ac vitam æternam nemo peruenit, niſi qui habet caput* CHRISTVM, *habere autem caput* CHRISTVM, *nemo poterit, niſi in eius corpore fuerit, quod eſt Eccleſia*. Idem epiſt. 4. ad Bonifacium Comitem, ſub finem: *Eccleſia*, inquit, *Catholica ſola eſt corpus* CHRISTI, *cuius ille caput eſt Saluator corporis ſui; extrà hoc corpus, neminem viuificat Spiritus Sanctus*. Ex aduerſarijs verò prodit Caluinus lib. 4. c. 1. §. 4. *Verùm*, inquiens, *quia nunc de viſibili Eccleſia diſſerere propoſitum eſt, dicamus, vel vno matris elogio, quàm vtilis ſit nobis eius cognitio, immò neceſſaria; quando nō alius eſt in vitam ingreſſus, niſi nos ipſa concipiat in vtero, niſi pariat, niſi alat ſuis vberibus: deniq; ſub cuſtodia, & gubernatione ſua nos tueatur, donec exuti carne mortali ſimiles erimus Angelis*. Et paulò poſt: *extrà* (ſubdit) *eius gremium nulla eſt ſperanda peccatorum remiſſio, nulla ſalus*.

Nec mirum, ſi tantùm ſaperet homo nequam, malignus impoſtor; dedit quod negare diſpuduit impudentiſſimum ſeductorem: An ſalus ſupereſt extrà Arcam, cataclyſmo inundante? Fructificabunt traduces à vite amputati, vitæ exortes? Quid de ramis ab arbore præciſis? Aut poterunt denarium diurnum à patrefamilias promereri, qui non in Vinea labora-

rint, sed extra steterint otiosi in foro? Certè si CHRISTVS Dominus est Ecclesiæ sponsus, adulterinam non suscipiens prolem; nullos alios agniturus est liberos, quàm sibi à Sponsa Ecclesia genitos, vt Cyprianus ait lib. de vnit. Ecclesf. *Non habet Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.*

57 At non diutiùs Catholicorum Doctorum Hæretici patiuntur consortium; vlteriùs nil coeuntes, hìc dijunguntur, suaq; perdita pergunt via; docentes visibilem hanc Ecclesiam, eam non esse, quam sibi Dominus vnicè adamatam, copulauit in sponsam; quam dextera amplectitur, læua Capiti eius supposita, hoc est Pontifici Maximo, ne quando labatur, aut nutet; sed aliam Ecclesiam inuisibilem confingunt, solos electos, & iustos interna rectitudine fidei continentem, cognitos vni Deo. Hanc eam asserunt sponsam, quam sibi Dominus elegit, non habentem maculam, neque rugam; bonos, & malos minimè includentem; sed omni malitiæ excolata fęce mundatam totam. Hanc indefectibilem solam, & infallibilem autumant; cum alia visibilis, ex bonis, malisq; collecta, fallibilis, & defectibilis nedum sit, sed ex ipsorum sententia, vix integra per quinque primores sæculos, à CHRISTI Domini, & Apostolorum temporibus steterit; ab inde veram religionem, ac fidem deseruerit; sicq; in sua perditione permanens diù, vsq; ad Lutheri tempora, non sit restituta, quem reformatorem vocant Ecclesiæ.

58 O'blasphemos! ergòne tandiù fuit Deus suę plebis oblitus, vt funditùs eradicari sit passus æternum sibi constitutum Regnum? Ergò præualuerunt inferni portæ aduersus Ecclesiam? Ergò mentitus est, qui secus promiserat olim Saluator? Sed fortè dicitis, non hanc visibilem esse inexpurgabilem Ecclesiam; quin potius aliam inuisibilem fuisse, Domini promisso, securitate firmatam. Quasi de eadem Ecclesia non fuisset Domino sermo, de qua immediatè anteà Petro omnem dederat potestatem, in quo ipsam fundauerat, dicens: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non*

præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues, &c. Matt. 18. An claues, & potestatem recepit Petrus super Ecclesiam, quam nesciret? Pastor est constitutus super inuisibilem, & ignotum gregem?

Sed nec video, quomodò potuerit visibilis Ecclesia aliquãdo defecisse: propterne malitiam, & apostasiam à vera fide? non herclè; quandoquidem mali homines Ecclesiam visibilem non destruunt, quæ hos vnà cum bonis promiscuè recipit. At mali erant omnes, rectaq; prorsus religio interierat. O dictum egregiè! ergò semen penitus iustorum omne perierat. ergò ipsa quoq; tua inuisibilis cessarat Ecclesia, ex solis bonis coalescens, segregatis à malis; quando, malitia cuncta complente, nulli huiusmodi aderant segregandi. Iàm proditur, hæreticis rem non esse de Ecclesia; sed de Ecclesiastica hierarchia: Caput visibile; sublimis potestas; regula fidei animata; externus cultus; sancti mores; & ordinata politia, ipsa sunt, quæ illi oderunt, quæ conantur totis viribus abolere, synchisi omnia confundentes peruersè: quò corripientis excusso iugo, latè bacchari, & grassari per agrum Dei liceret impunè.

59 Scilicet tartarea lampas Lutherus, aut Caluinus expectatus est, ab Orthodoxorum tot Patrum mentibus caliginem discutere: ostendendo Ecclesiam vniuersam visibilem de facto errasse, & defecisse; quod isti semper impossibile pronunciarunt. Vobis dicit, Nouatores, Augustinus concio. 2. in psal. 101. cõtrà Donatistas inuectus, dum Ecclesiam inducit his alloquentem CHRISTVM: *Quid est quod perditi me perÿsse contendunt? certè enim hoc dicunt, quia fui, & non sum. Annuncia mihi exiguitatem dierum meorum: quandiu ero in isto seculo? Annuncia mihi propter illos, qui dicunt: fuit, & iam non est, apostatauit, & perÿt Ecclesia de omnibus gentibus, & annunciauit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad cõsummationem sæculi.* Idem lib. 1. de symb. ad Cathec. c. 6. *Ipsa est,* inquit, *Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contrà omnes hæreses pugnas pugnare potest, expugnari tamen non potest: hæreses omnes de illa exierunt, tan-*

quàm sarmenta inutilia de vite præcisa; ipsa autem manet in radice sua, in charitate sua, portæ inferorum non vincent eam. Augustino accinit præceptor Ambrosius lib.4.exam. c.2. ad illud psal 103. *Fecit Lunam in tempora, Sol cognouit occasum suum: Et Ecclesia*, inquit, *tempora sua habet persecutionis, & pacis: nàm videtur, sicut Luna deficere, sed non deficit, obumbrari potest, deficere non potest.* Idem lib de Salom. c.4. explicans illud prou. 30. *Tria sunt difficilia mihi, &c. Nauem*, ait, *Ecclesiam debemus accipere, in salo mundi istius constitutam, quæ crebris ventorum fluctibus, idest tentationum plagis, & verberibus fatigatur; quam turbidi fluctus, idest sæculi huius potestas conatur ad saxa perducere; quæ & si vndarum fluctibus, aut procellis sæpe vexatur: tamen nunquam potest sustinere naufragium, quia in arbore eius, idest in cruce* CHRISTVS *erigitur: in puppi Pater residet gubernator: proram Paraclitus seruat Spiritus.* Idipsum in suis Patribus Græcia quoq; perhibet testimonium; etenim Chrysostomus, serm. 26. qui est de Pentecoste: *Hic sanguis* CHRISTI, ait, *irrigat Ecclesiam, & ideò plantaria eius marcescere non possunt, nec amittunt folia arbusta eius. Non subiacet necessitati temporis; nec est conditioni obnoxia, vt per æstatem coma foliorum tegatur, hyeme amittatur. Non tenetur temporum qualitate, sed Spiritus eam Sancti gubernat gratia; & ideò non senescit, nec contrahitur, & multis impugnantibus non opprimitur.* Et paulò inferiùs: *Quando nouella erat, in nullo potuit lædi: & nunc quando vsq; ad cœlum peruenit, existimas eam posse superari? & tùc quidem, cum vndecim essent Apostoli, nullus eos superare potuit, sed pauci homines totum ceperunt mundum: & nunc quando omnes fines terræ pietate repleti sunt, putas eam te posse lædere? sed non poteris.* CHRISTVS *enim propter eam passus est: portes inferi non præualebunt aduersus eam.* Et Gennadius Scholarius Patriarcha Bizantius in defens. 2 capitum Decreti Synodi Florentinæ c. 2. habet: CHRISTVS *dicit suam nunquam errare Ecclesiam, quia se semper mansurum cum ea pollicitus est. Si ergò verus est* CHRISTVS, *& promissionem suam veram esse oportet; ita enim*

dixit, Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem saeculi: nosq; ita credimus eum cum Ecclesia sua semper mansurum, nec eam derelicturum vnquam. Si verò, secundùm vos, cum ea esse semper pollicitus est, sed dereliquit illam, & errare permisit, ex necessitate mendax est. Si verò mendax, Deus non est; videte in quam absurditatem incidistis, CHRISTVM *vocãdo mendacem; nàm hoc omnem iniquitatem, & blasphemiam superat; sed cum ea fuit, & est, & erit, & manebit in secula; quàmuis disrumpantur, qui contra, quàm Ecclesia sentit, sentiunt, & faciunt.* Dicere autem has Patrum sententias esse accipiendas de Ecclesia illa, quam comminiscuntur Haeretici, inuisibili, quis ferat? cum aduersus ipsos Haereticos illi clarigent, quos certum est de visibili Ecclesia obloqui, & contrà hanc, effractis modestiae claustris, insilire, qui vera religione amissa, fecerunt quoq; de pudore proteruiam.

60 Ostenso igitur certam singularem adesse Ecclesiam visibilem; ipsamq; infallibilem in credendo; ita vt sua fide apprimè queat esse nostra regula explicatiua; sin minus definitiua, praescindendo à Pontifice, in credendis: Hanc aliam non esse, praeter Romanam, satis est in procliui; tum ex disputatis in prioribus Capit. vbi de Petri, Cathedraeq; Romanae primatu res fuit; tum ex Sanctorum Patrum suffragio; tum demum, ex verae Ecclesiae notis, quas oppidò Ecclesia ipsa Romana praetendit; siue pro illa particulari spectetur, quae Romae olim fuit, ac perseuerat; siue pro vniuersali collectione fidelium, qui toto orbe terrarum diffusi, Romanam constituere dicuntur Ecclesiam, quia Romano adhaerescunt Pontifici.

Quod Patrum Orthodoxorum est; verae Ecclesiae infallibilitatem hi tribuunt, primò Romanae Ecclesiae, pro vniuersali acceptae; quatenus eam ipsam contestantur Ecclesiam veram, cui Dominus Petrum praefecit; quae iugi Romanorum Pontificum perennatur successione. De institutione in Petrum loquuti sunt August. tract. 124. in Ioan. his verbis: *Hoc agit Ecclesia, spe beata, in hac vita aerumnosa, cuius Ecclesia Petrus Apo-*

stolus, propter Apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate personam. Chrysostomus hom.80. ad pop. Antioch. *Petro*, inquiens, *per totum terrarum orbem præsidentiam tradidit*. Et Maximus Taurinensis hom. 3. in natal. Apost. Petri, & Pauli. *Quanti igitur*, dicens, *meriti apud Deum suum Petrus erat, vt ei post nauicula parua remigium, totius Ecclesiæ gubernacula traderentur?*

At verò de perseuerantia in Romanos successores iterum habetur Augustinus Epist.165.ad Generosum ibi: *Si ordo Episcoporum succedentium considerandus est, quantò certiùs, & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui, totius Ecclesiæ figuram gerenti, Dominus ait: Super hãc Petram ædificabo Ecclesiã meam, & portæ inferi non vincent eam: Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus, &c.* Eadem habet Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenianum, quibus Bernardum adde lib. 2. de consid. ad Eug. c. 8. sic fatum: *Age indagemus diligentiùs, qui sis, quam personam geris in Ecclesia Dei, quis es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex, Princeps Episcoporum, Hæres Apostolorum primatu Abel, gubernatu Noe, dignitate Aaron, potestate Petrus. Tu es, cui oues creditæ sunt: sunt quidem, & alij gregum Pastores; sed tu tanto gloriosiùs, quantò & differentiùs, præ cæteris, nomen hæreditasti: habent illi assignatos greges, singuli singulos, tibi vniuersi crediti sunt; nec modò ouium, sed & Pastorum, tu vnus omnium Pastor.*

61 Sed & pari veneratione à Sanctis Patribus Romana particularis Ecclesia colitur, tanquàm indeuiæ rectitudinis parens: hinc illud Hieronymi ad Damasum Papam Epist.57. *Ego beatitudini tuæ, idest cathedræ Petri, communione consocior: super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio: Quicunq; extra hanc domum, agnum comederit, prophanus est*. & illud Athanasij in Ep. ad Marcum Papam: *Nunc ergò, quia præfata septuaginta Nicenæ Concilij capitula ab Arrianis sunt igne combusta optamus, vt à vestra Sancta Sedis auctoritate; quæ est Mater, & Caput omnium Ecclesiarum, ea ad correctionem, & recreationem fidelium*

DE REGVL. ARISTOCR. Or-

Orthodoxorum percipere, per præsentes Legatos mereamur. Cum quibus Cyprianus lib. 4. Epist. 8. quæ est ad Cornelium PP. *Nos enim*, inquit, *singulis nauigantibus, ne cum scandalo nauigarent, rationem reddidisse nos scimus, & hortasse eos, vt Ecclesiæ Catholicæ matricem, & radicem* (de Romana intelligit) *agnoscerent, ac tenerent*. Et Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenianum: *Negare*, inquit, *non potes scire te in vrbe Roma primam Cathedram Episcopalem Petro collatam esse, cum qua totus orbis in vna communionis societate concordat*. Bernardus demum Ep. 131. ad Mediol. *Romana*, inquit, *Ecclesia valdè clemens est, sed nihilominus potens, &c. plenitudo siquidem potestatis super vniuersas orbis Ecclesias, singulari prærogatiua Apostolicæ sedi donata est*. Liquet igitur ex SS. Patrum mente, Romanam Ecclesiam, siue pro particulari acceptam, siue pro vniuersali, esse ipsam visibilem Ecclesiam, inoffensè à Paraclito Spiritu ductam; vt propterea falli non possit, vel fallere, explicando reuelationes Diuinas de singulis Pontificibus Maximis.

62 Agè rem adhuc ex veræ Ecclesiæ principalioribus notis dignoscamus. Sanctitas inter primas refertur in Symbolum cum illis reliquis: *Credo in vnam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*. Quam autem potiorem desideres Romana Ecclesia, si modò pro sanctitate, intelligenda sit rectissima intentio, nulla labe deleta? Ecce nihil inde reprehensibile in moribus, in doctrina procedit: castigata omnia, omnia sancta, & munda: naturalis ratio nihil eam redarguit: Diuinus cultus nusquam exactior: eadem semper iudicium cum misericordia cantat; quatenùs non indultrix, vltrix scelera persequens, cum reis mitiùs agat, benignè singulos ad pœnitentiam suscipiat; mira prudentia orbem regat, sapientissimis, & omnigena virtute Eminentissimis conscriptis Patribus, in plura Tribunalia dispertitis; nec malum inultum, nec irremuneratum relinquat bonum. Ecquid aliud illa prædicat, quàm Honestatem, Temperantiam, Religionem, cæterasq; fartim virtutes? in tantum, vt non desit illi testimonium ex prophetiæ donis, atq; mira-

culorum, in eius membris alicubi semper fulgentibus; quæ etsi quandoq; impijs communicabilia non negarimus; frequentiùs tamen sanctitatis sunt probabilissima argumenta, & sanæ doctrinæ semper infallibilia.

63 Alia obtenditur veræ Ecclesiæ nota, quòd Catholica sit, seu vniuersalis, fuitq; hoc Augustino contra Sectarios argumentum; nam, vt ait lib. contra Epist. Fund. c. 4. *Licet Hæretici omnes veram Ecclesiam sibi vsurpent; si tamen à paganis, vel quibusnis alijs interrogentur, nō audent sua conuenticula designare; quia catholica Ecclesia per totum mundum diffusa est.* Insuper contra Donatistas habet lib. 1. contra Epist. Parmen. c. 14. *Noluit Dominus ante tempus eradicare zizania, & à frumentorum permixtione separare: Sinite, inquit, vtraq; crescere vsq; ad messem. Et cum inuolucrum eiusdem similitudinis quærentibus Discipulis explicat, non ait: Ager est Africa, sed ait: Ager est hic Mundus, per totum ergò Mundum seges seminata est, per totum superseminata zizania; per totum crescit vtrumq; vsq; ad messem. Nunquid autem Donatus fuit maior messor; aut è tempore, quo se isti à terrarum orbe separarunt, tempus messis aduenerat? cum idem Dominus, ne liceret alicui interpretari quod vellet, apertissimè dixerit: Messis est finis seculi, &c.* Necnon lib. de agone Christiano c. 29. *Nec eos*, ait, *audiamus, qui Sanctam Ecclesiam, quæ vna catholica est, negant per orbem esse diffusam; sed in sola Africa, hoc est, in parte Donati pollere arbitrantur.* Nec dubium, quin pro Romana loqueretur Ecclesia, Summo subiecta Pontifici, de cuius gremio se profitebatur. Quam qui Catholicam, seu vniuersalem est negaturus, vniuersaliorem, cedò, ipse ostendat. Nonne ad Antipodas vsq; pergens Romana fides, iàm vniuersum circumiens circumplexa est Orbem; in diesq; magis, & magis gliscit, nostris hisce S. D. N. VRBANI PP. VIII. temporibus; postquam de propaganda fide inita Congregatio Sacra, suorum, fideiq; Præconum, facit sonum, & verba in omnem terram, & in fines orbis terræ exire?

64 Vt vel ex hoc apprimè persoluto munere, eadem Romana

Ecclesiã sese Apostolicam prodat, quæ alia veræ Ecclesiæ recensetur prærogatiua. bene enim seruat, quos ab Apostolis conditoribus primum candidatos mores ebibit, successione Summorum Pontificum, & sessione in Apostolica sede non interrupta: Apostolicam vnanimiter custodit doctrinam, quæ inter se mutua fidelium dissidia non agnoscit.

Estq; proinde Singularis, seu Vna, quod inter cæteras notas simul locum habet. In confusione hæreticantium Sectarum, quas vix ad binarium, vt ita dicam, excretas numerum, discindit dissensus, exiguos homines vnus orbis in pace consentientes non capit angulus. Nempe de hæresis ore, ceù de Cadmæo dracone sannæ disseminatę, statim armatos satellites secum mutuò congredientes egerminant; cum Romanam fidem locorum dissita, nationes, linguæ, & mores diuersi nihil, nihil valeant interscindere.

65 Inde altera euidens subsequitur nota de veritate Romanæ Ecclesiæ, inconcussa nimirum duratio, iuxtà promissum Christi: ***Et portæ inferi non praualebunt aduersum eam;*** Illa si quidem ab Apostolica ætate eadem durat vsq; nunquàm cessatura: Vbi Nuperæ, quas reformatas vocant, Ecclesiæ nudiustertius incæperint; & iàm iàm colluctentur cum morte; ipsis ferè, vix natæ, comprimendæ in cunis; De antiquioribus illis Eutychesis, Arij, Nestorij, atq; Donati, alijsq; Sectis, solùm, Deo grates, superstit nomen. Porrò citò arescere habent palmites, à Christo, vite, præcisi: cuiusmodi sunt omnes Sectarij: Martyre pronunciante Iustino in dial. cum Triph. *Quoniam omnis hæresis ab aliquo ducit originem, qui à* Christo *desciuerit, à nomine Auctoris suos sequaces nominat.* Et Cypr. lib. de vnit Eccles. *Non enim*, ait, *nos ab illis, sed illi à nobis discesserunt.* Quò facit illud quoq; Hieron. ad Pammachium, & Oceanum: *Vsq; ad hanc diem Mundus sinè istâ doctrina Christianus fuit: iam senex tenebo fidem, quam à parentibus accepi: cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod antea nesciuimus?* Quod si Nouatores sua commenta, non noua sed perantiqua

esse contendant, nouiter meliùs explicata per ipsos; ostendant vel vestigium eius, quod latebat, & facem promant, qua credantur, suam de tenebris eruisse doctrinam.

66 Legitimus tandem Sacramentorum vsus, & Sacræ Scripturæ sensus, in Romana vigentes Ecclesia, indicio sunt eam esse veram Saluatoris Sponsam. Priùs aliqui negant, spectare ad integritatem essentialem Ecclesiæ; eo quòd in Sacramentorum administrationem aliquãdo errauerint Orthodoxi ipsi; vt Afri olim, tempore Cypriani, rebaptizando baptizatos ab Hæreticis. Qui tamen Hæretici non sunt habiti, per August. lib. 6. de bapt. Alterum verò ipsi Hæretici non diffitentur: quàmuis ipsi ad suam libidinem mutilent: spectare ad veram Ecclesiam. Sed etiam prius ad integritatem vniuersalis Ecclesiæ spectat; quæ in fide, & sacris ritibus est infallibilis; etsi aliqua particularis Ecclesia possit ignorantia inuincibili in illis peccare. Vtrumq; inesse Romanæ Ecclesiæ per se patet; & quidem de legitimo Sacramentorum vsu, per totum sequentem Tomum clarius elucescet, vbi de impartita à Summo Pont. potestate. Similiter ad rectam Scripturarum interpretationem illa procedit, antiquis traditionibus, & Sanctorum PP. & Conciliorum expositionibus insistendo, cæterisq; probatissimis regulis; non Caluinistarum, & Lutheranorum more, qui Machabeorum libros expungunt; vnde conuincerentur de Purgatorio, quod negant; qui mos est ipsis perpetuus, passim oliterandi Scripturas, ex quibus contrà propriam Sectam aliquid pertimescunt. Est igitur Romana Ecclesia infallibilis, sufficienti euidentia proponens hos, vel illos singulares Pontifices Maximos, iàm reuelatos, & quod consequitur, de fide Diuina credendos.

CAPVT IX.

Regularium Respublicæ, Apostolico quomodò subijciantur Monarchæ.

ELENCHVS.

1 *Pontifex Maximus Regularibus Rebuspublicis singulis praest.*
2 *Discrimen inter Respublicas temporales, ac spirituales, quòd hæ omnes redigi habeant ad Monarchiam; illæ verò nulli politiæ sint alligatæ.*
3 *Religionem profitentes augent suam subiectionem Deo, eiusq; Vicario.*
4 *Romanus Pontifex acceptat Deo factas oblationes.*
5 *Quomodò idem acceptet per Regulares Prælatos approbata Religionis.*
6 CHRISTVS *Dominus nullius Religionis author in specie, sed in generali dumtaxat.*
7 *Optimè in tribus essentialibus votis Religionis perfectionis constitutus est status.*
8 *Instituit Saluator Religiosam vitam, doctrina non solùm, sed faciens potestatem.*
9 *Religiosorum ordinum in Ecclesia Dei quæ varietas, & quàm speciosa.*
10 *Instituitur Religio in irrisum, Summo Pontifice, non approbante.*
11 *Quomodò olim solo Episcopi nutu Religiosi Ordines probarentur.*
12 *Quando, & per quos decretum, ne Religiones innouarentur, inconsulta Apostolica Sede.*
13 *Oliuetanæ Congregationis insigniter hinc canonizata primordia.*
14 *In approbandis Religiosis Ordinibus Pōtificium iudiciū infallibile.*

15 *Non errasse Pontifices, approbando Religiones, tandem abolendas.*

16 *Non minorem in reprobandis antiquis, quàm nouis probandis Religionibus esse S.D.N. authoritatem.*

17 *In omni ferè Religioso statu vota emittuntur solemnia, etsi minùs fieri posset.*

18 *Profitētium vota traditionem includunt: vtrumq; per Pont. Max. acceptatur.*

19 *Religionum Prælati in his acceptationibus pro Summo Pontifice constituuntur.*

20 *Per dominatiuam facultatem potest Max. Pont. iubere sub mortali, quæ sunt circa Regulam Religionem professis.*

21 *In dubio, an aliquid possit præcipi, p superiore magis præsumitur.*

22 *Virtute potestatis dominatiuæ nil potest iubere Pont. Max. supra regulam.*

23 *Potestate iurisdictionis, & sub aliquibus titulis potest.*

24 *Probatur à fortiori, quia in casu etiam laicis potest opera supererogationis præcipere.*

25 *Per potestatem dominatiuam Papa Religiosorum simplicia vota irritat.*

26 *Ratio huius traditur duplex, & ratione voluntatis subiectæ, & materiei.*

27 *Votum arctioris Religionis nequit similiter irritari.*

28 *Dispensari quidem potest per potestatem iurisdictionis, caussa existente.*

29 *Quidam non benè asserunt laicorum omnium vota posse per summum Pontificem irritari.*

30 *Iurisdictionis potestas, præter dominatiuam, necessaria est Summo Pont. in Regulares.*

31 *Iurisdictio quæcūq; Regularibus inest Prælatis ab Apostolico Empyreo descendit.*

32 *Regularibus olim Prælatis nulla maior potestas inerat, quàm Oeconomica.*

33 *Ordinarij Religiosorum Prælati dudum fuerunt Episcopi; sed ab his posteà sunt exempti.*

34 *Nemo infra Papam poterat exemptionem hanc tradidisse.*
35 *Ius Commune subijcit Diœcesanis etiam Regulares.*
36 *Cathedratici subiectio perijt Regularibus; iurisdictionis translata est ab Episcopis ad Claustrales Prælatos.*
37 *Exemptio Regularium quarè magis rationem contractus irreuocabilis habeat cum Apostolica Sede, quàm reuocabilis priuilegij.*
38 *Iniuria nulla irrogata Episcopis ex huiusmodi exemptione.*
39 *Quàm amplè extendatur eadem exemptio Regularium.*
40 *Magnitudo Priuilegij huius expenditur.*
41 *Necessaria omnis potestas ad Politia conseruationem impenditur Regularibus à Pont. Max.*
42 *Potestas dispensandi in solemnibus votis Regularium soli Pontifici Maximo reseruatur.*
43 *Hanc Papa inesse probatur; quia in contrarium nullum adest Diuinum ius positiuum.*
44 *Item neq; officit Diuinum aliquod ius naturale.*
45 *Idipsum probatur ex dispensatione votorum simplicium, nemini controuersa.*
46 *Neq; solemnitas addita voto; neq; traditio consequens Pōtificiam limitans potestatem.*
47 *Neq; Deo, aut Religioni tale ius acquiritur per professionem Religiosam, quod eam dispensari prohibeat.*
48 *Votum Castitatis solemne peculiariter ostenditur dispensabile ex facto plurium Summorum Pontificum.*
49 *Idem rationibus comprobatur.*
50 *Par dispensabilitas suadetur de solemnibus paupertatis, atq; obedientia votis.*
51 *De facto in his dispensari, quoad Regulares, ad Episcopatus assumptos, aliqui asserunt.*
52 *Dispensatis Religionis votis, status perit Religiosus in sic dispensato.*
53 *Multò magis Pontifici Maximo facultas adest vota eadem commutandi.*

54 *Quæ vocet explicãdæ huiusmodi potestas Papæ in Regulares, exactiùs cognoscenda.*

1 MAximus hic, quem vniuersali iam in Archirepublica fidelium Principem certò habemus, Comitijs omnibus superiorem, quatenus Aristocraticum, aut Democraticum Regimen excludens, Monarcha imperet in Christi Domini regno Ecclesia, huius acceptatione, & consensu indubius. Ipse est supremus ille Cardo, & Vertex, ad quem, in vnitate omnia continentem, nostra Regulariũ Aristocratia ordinatur; quemadmodum & omnigenæ aliæ Religiosorum hominum Societates inde virtutem sumunt, ac potestatem; eodem ductore, rectà procedunt, defensore, seruantur; Neq; demum terminum alium in terris norunt, quò institutam obtemperantiam suam dirigant: Ita vt Apostolicum solium sit illis principium medium, & consummatio in politica Euangelica vita, quam profitentur.

Quales Religiosorum virorum Respublicæ sint, & earundem præstantia, præ secularibus, Tomi prioris innotuit cap. 2. Hic in ordine ad supremum ipsarum Monarcham considerandæ redeunt: siue .n. Aristocraticè institutæ sint; tamen subordinantur vltimò ad Apostolicam Monarchiam: siuè Monarchicum magis ipsæ participant regimen; nihilominùs inferior huiusmodi Monarchia in regnum vlterius Pontificium ordinatur: ita vt omnes vno capite coutantur; & quæ in speciosis ramis, exteriùs latè diffusæ apparent, atq; discretæ, vna trunci, & radicis soliditate firmiter insitæ contineantur.

2 Hoc discriminis interest, inter humanas societates, quæ in bonum publicum congregantur ciuile, seu naturale; ac alias quæ ad supernaturalem Animæ fælicitatem ordinantur; quòd illæ solutæ, ac liberæ multiformiter queunt institui, sub quo malueris Principe, aut regiminis genere; non .n. ciuile bonum est ita determinatum ad vnum, vt aliunde nequeat prouenire. Secùs cum de instituenda in supernaturalem finem Politia agi-

tur; Sicuti enim is est vnicus Deus, vnicum quoq; necesse est omnium eundem esse communem Principem, à quo dirigantur,& gubernentur,quicunq;peculiari delectu ipsum elegerunt in Dominum.

Sicuti terrarum populi conuenientes ad Politiæ institutionem, & Principis electionem, hinc ex facto potestatem contribuunt, à qua dirigantur, & gubernentur: ità quotquot, per accessum ad Religionem, Euangelica apprehendentes consilia, specialem deuotionem Deo iurant, communibus legibus vsuri, Domino quandam ampliorem in seipsos faciunt potestatem; eidem renunciantes libertatis donum, quod ab eodem media natura acceperant, in assumendis, vel reliquendis his, quæ, non ex necessitate iubentur salutis, sed pro sanctiori vita consilio dantũr.

3 Est ergò Religiosorum hominum vnus communis Dominus, & Princeps Deus; cui, dum singuli seruitutem sigillatim vouẽt, vniuersali communitatis suffragio idem Monarcha eligitur; in his peculiariter quoad viros istos dominaturus, præ cæteris hominibus, quæ, illi arctiùs sese Principi Omnipotenti dedentes, de iure proprio eidem renunciarunt. Sed quia sensibilis hominum conuictus, & in carne degentium Respublica, proportionato indiget directore, sensibili pariter, & humana conuersatione noto; Romanus Pontifex CHRISTI Dei Vicarius,sicut in vniuersali Ecclesiæ Regno eius sustinet vices,quoad fideles omnes,generali dominio,quod per baptisma,fideiq; Catholicæ professionem CHRISTO paritur: ita pro eodem peculiariorem deuotionem suscipit piæ gẽtis, in Religiosis Claustris arctiùs mancipatæ; in quam ampliori quodam imperent iure, iuxtà maiorem seruitutis professionem. Egregiè D.Thomas in 4.dist.38.q.1.ar.2. quæstiuncula 3. *sicut*, inquit, *seruitutem alicui pollicitus, confestim sese et in seruum daret; sic facit, qui se in præsenti dat Deo Diuinis se seruitijs mancipando.*

4 Inde duplicem subiectionem sortiuntur fidẽles ad CHRISTVM,ac per consequens ad eius Vicarium,alteram generalem,

per regenerationis lauacrum, in quo fidem profitentur; alteram per religionis ingressum, in quo perfectionem vouent: De qua loquutus est Hieronymus Ep. 8. ad Demetriadem ibi: *Nunc autem quia seculum reliquisti, & secundum, post baptismi gradum, inisti pactum cum aduersario tuo, dicens ei, renuntio tibi diabolo, & seculo tuo, & pompa tua, & operibus tuis, serua fœdus, quod pepigisti*. Fœderis n. & cuiusdam contractus rationem sortitur religiosa professio; qui, cum Diuinus sit, & supernaturalis, quo homo cum Deo paciscitur, acceptatione opus habet ex parte Dei: Subindè cum non consueuerit hic (neq; sit sensibili nostræ conuersationi conforme) se ipso immediatè acceptare, Vicario suo id muneris demandauit in terris; vt pro se stet in omnibus, quæ eius cultum contingunt. Quicunq; igitur per Religionis delectum arctiùs se deuouet Deo, idem & eius vices gerenti Romano Pontifici maiori subiectione addicitur, aliamq; perfectioris finis, ipso Duce, assumit Rempublicam: non potis à præscriptis, in quæ iurauit, vlteriùs resilire: vnde Chrysost. Ep. 6. ad Theodorum Monachum inquit: *Nihil in te penitùs tui iuris est, quippe qui tanto Imperatori militare cœpisti: nam si mulier proprij corporis potestatem non habet, sed vir; multò magis qui* CHRISTO *potiùs, quàm sibi viuunt, conditionem sui corporis habere non possunt*. Et Gregorius lib. 1. Regist. c. 33. si ille (inquit, loquens de Anania) *mortis supplicio dignus fuit, qui eos quos dederat nummos Deo abstulit: considera quanto periculo in Diuino iudicio dignus eris, qui non nummos, sed te ipsum Deo Omnipotenti, cui te sub monachali habitu deuoueras subtraxisti*. Ad idem frequentissimi sunt Sancti Patres, vbicunq; illis res incidit de monastici status obligationibus.

5 Acceptat autem Dei nomine Romanus Pontifex singulorum in approbatis religiosis Ordinibus profitentiū vota; quatenus semel, tale institutum approbatum in Ecclesia Dei, omnibus illud profiteri volentibus relinquit patens; & Regulares superiores, vel ipse præficit in singulis, qui pro ipso Congregationem moderentur; vel Congregationi ipsi potestatem fe-

cit, eligendi sibi huiusmodi; modum electionis constituit, aut approbauit.

Quid plura? sicut vacanter conueniunt populi ad nouam politiæ prophanæ institutionem, & Magistratus, seu Principis delectum, quandocunq; hic, aut Magistratus, cui dominium, potestasq; contraditur, non præstet assensum: ita nulla est religiosæ societatis institutio, quam Summus Pontifex; cui religiosi singuli profitentur, non approbet. Potestas igitur primò est Romano Pontifici super Aristocratias, aliasq; Respublicas Regularium, quoad prima institutionis exordia, vt eius sit propositi noui instituti rationem examinare, & probare, vel improbare; prout Ecclesiæ Dei proficuum, aut minùs vtile nouerit, laudabile, vel culpabile censuerit nouæ adinuentum vitæ.

6 Quàmuis.n.religiosus status in genere, non nisi CHRISTVM Authorem habeat; in particulari tamen, quoad certum viuendi modum, Religiones postea singulæ, Summis Pontificibus approbantibus, sunt institutæ. Nisi Apostolicum ipsum collegium pro quadam Monastice accipias, & pro peculiari ordine religioso, sub Domini Saluatoris Magisterio instituto; vtì sensit D. Basilius in regulis fusioribus, reg. 6. dicens: *Religiosam vitam esse imitationem illius, quam* CHRISTVS *cum suis Apostolis habuit.* Quod etiam placuit Doctori Angelico 2.2. q.88. art. 4. ad 3. ibi: *Apostoli autem intelliguntur nouisse pertinentia ad perfectionis statum, quando* CHRISTVM, *relictis omnibus, sequuti sunt.* Veruntamen plurium consentiam placito, aliter opinantium, Apostolicam scilicet vitam clericalem magis, quàm claustralem, aut monasticum redoluisse statum. Et re vera, si monachorum nomen Apostolis dederis, non aliùs generis esse potêrunt, quàm eorum, quos Circumcelliones ab antiquis vocatos, S.P. BENEDICTVS Gyrouagos vocat in c. 1. regul. & reprehendit: Nusquam .n. infra determinatam septi clausuram cõstitisse leguntur, monasticis operibus incumbentes; sed hospites vbiq;, & peregrini diuersabantur, bini, terni,

 & qua-

& quaterni quandoq; dimissi:cum tamen Apostolorum status irreprehensibilis omnino sit censendus.

Cæterùm non malè Chrysostomus dixit hom. 17. ad pop. *Esse Religiosam vitam Philosophiam à* CHRISTO *introductam*. Et Basilius in serm. ascetico de abdicatione rerum, & perfectione spirituali ad illud Matt. 11. *Venite ad me omnes, &c. Vocari nos*, inquit, *ad Monachorum vitam à Domino:* generalia nanq; saluator ipse prima posuit monastices fundamenta; quatenus tria vota consuluit, religionis essentialia, eaq; seruanda dedit contendentibus ad perfectionis apicem ibi: *Si vis perfectus esse vade, & vende omnia quæ habes, & sequere me. Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Quibus verbis, non modò paupertatis, & obedientiæ votum expresse significatur; sed etiam cęlibatus includitur; Non .n. sequitur CHRISTVM, qui per carnis oblectamenta vestigia figens, vitam immaculato calle non transit, sicut ille, persimilis Angelis, transijt.

7 Opportunè salutis nostræ studiosus Magister Consilia salubria ibi adiecit, vbi res videbatur magìs concussa labascere. Contendentibus ad perfectionem potiora remouenda erant impedimenta, quæ animos magis consueuerunt remorari: cuiusmodi tria potissimũ recensentur; sæculi scilicet fluxus Amor; dum terrenarum opum solicitudo mentes, ceu viscus tenax, illigatas agglutinat; ne pennas expediant, altiùs ad cælestia euolaturas. Hinc de inuitatis ad opiparam illam cœnam, cui cœlorum regnum in Euangelio simile perhibetur, aliqui terrena possessione detenti, vt non accederent excusationem protulerunt huiusmodi: *Villam emi; & ideo non possum venire.* Quasi impossibile videretur, terreni prædij curam habere, simulquè cœlestem cœnam degustare. Carnalia itidem blandimenta ab itinere perfectionis cum maximoperè habeant auocare: diuisus est .n. teste Apostolo, qui cum vxore est; solicitus hinc quomodo Deo placeat, inde quomodo coniugi: alij propterea ab eadem cœna sic se excusauerunt: *Vxorem duxi, & ideo*

non possum venire. Scilicet retinaculum grande inuenerant, qui nuptiarum præpediti celebritate, alienam, quantùmuis splendidam, aspernarentur cœnam. Solutæ demum voluntatis libertas assuetæ magis alijs iuga seruitutis imponere, quã pati, aditum obstruit ad perfectionem: siquidem in malum pronum arbitrium, non aliam nouit prolem parere, quàm peccatum, si relinquatur infræne: vt ideo cùm per inobedientiæ desidiam (vt S. P. Benedictvs inquit in prologo) à Deo primitùs homo recesserit; nisi per obedientiæ laborem ad eundem redire non detur. quamobrem ad Euangelicum illud conuiuium non accesserunt, qui alienis, non verò proprijs delectabantur iugis, ita caussantes: *Iuga boum emi quinq;, & eo probare illa, & ideo non possum venire*: Meritò; nam ad perfectionis metam bos prior præcedens peruenit, quàm bubulcus: & ideo *tollite iugum meum super vos* inquit perfectionis Magister, volens nos potiùs iuga perpeti, quàm imponere. Tria igitur perfectionis impedimenta, contrariæ virtutis professione debuerunt amoueri: atq; ità voluntariè assumptum studium Paupertatis nudos Christi Atlethas colluctanti hosti reddit lubriciores; ne quà apprehendi possint, & detineri: Carnales item sirenes obsidentes, in quo nauigamus, mundi salum, quæ demergunt blanditijs soporatos, iurata Castimonia vincit: atq; tandem Obedientia Nauarcho vni sapienti exhibita, securè, & quietè connauigantes perducit ad portum sedentes, in vnum omnis itineris curam exonerantes.

8 Religionem ita in generali Christvs instituit, vt substantialibus, & primis orditam filis, telam relinqueret, multipliciter Sanctis Institutoribus Ordinum, atq; Cœnobiarchis texendam, diuerso, omniq; illustri opere variegandam. Neq; solùm doctrina id præstitit, docens homines, & suadens statum huiusmodi vt eligerent, tanquam optimum ad consequendam perfectionem; sed insuper necessariam potestatem huic instituto seruando, ac dirigendo non prætermisit: si .n. vt sæpiùs ex Cicerone relatum est, neq; societas, neq; domus vlla diù poterit.

terit absq; potestate consistere, cui obtemperet, & in quam ordinetur; sanè religionem vouentium cœtus non erat hac potestate destituendus, quæ confusionem tollens, ordine cuncta disponeret. Fecit autem Dominus Religionibus potestatem, cum dixit: *Abneget semetipsum*. Quod perinde fuit, ac dixisse: voluntatis propriæ quodcunq; deponat arbitrium, alij se regendum committat, in quem suæ libertatis ius omne trāsfundat. Et quia non modò præsentes, sed etiam absentes, futurosq; in qualibet differētia temporis vocabat, ad obediendum, non solùm sibi, sed & superioribus, quos quandocunq; pro se erat constituturus, imponens homines super capita nostra; idcircò adiecit indeterminato modo, ac tempore absolutè: *Et sequatur me*.

9 Audierunt salubre monitū per omnia tempora, Spiritu Sancto ducti, pijssimi Religiosorum Ordinum fundatores, qui saluti hominum quaquà versùm prospicientes, tria illa religionis vota varijs adiectis roborarunt institutis; tum diuerso hominum genio, tum alio, alioq; præstituto fini accommodis. Et quàmuis non repugnaret simplex religionis status nihil adiungens vltra tria vota essentialia: de facto tamen nullus adhuc is fuit, præsertim apud Cœnobitas: sed varijs Regulis, & Constitutionibus ita religiosi ordines inter se differunt; vt sancta inde Ecclesia circumdata varietate affulgeat, omnigena seminaria colens, virtutum pulchritudinem agri secum habeat apprimè feracis, versicolores egerminantis flores, in candentibus lilijs, atris violis, cæruleis, mixtis discoloribus, aut leucophæatis, non magìs indumentorum genera, quàm peculiarium professiones virtutum Religiosas familias inter se se distinguant. Vacantem Mariam alis contemplationis sequuntur hi, optimæ adhærētes parti: operosæ Marthæ alij comministrant, in Animarum salute curanda soliciti. Eorum rursus; alij silentio eminent; alij clausura; qui psalmodijs, & precibus; qui labore manuum; quiq; abstinentia sunt admirabiles. Ex alteris quoq; non omnes studio insistunt eidem, in operibus Miseri-

cordiæ proximo impendẽdis: sunt qui doceant; qui ministrent languentibus; qui captiuos redimant; qui orphanos recolligant; quatenus Sanctæ nihil Ecclesiæ desit eorum, quæ, & fideles possint in disciplinis virtutum excolere, & infidelibus piam admirationem suscitare.

10 Has omnes in particulari determinatas, quoad certũ finem, & viuendi modum religiones Romanus Pontifex solus instituit; seu approbat institutas; ita vt instituatur in irritum quodcunq; religiosè viuendi genus, cui Apostolica authoritas non adijciat firmitatem. Iam igitur primam habes Pontificis Empyrei potestatem super Aristocratias regularium, aliasue eorum Respublicas, quoad natiuitatis primordia: ne sinè ipso in lucem prodeant, cuius complexu, & influxu semper deinceps indigent conseruari.

11 Et quamuis solo Episcoporum consensu videatur antiquitùs potuisse religiosos ordines innouari: ex concessione tamen id Summi erat Pontificis: nam grauiores caussæ; siue ad fidem pertinentes; siue ad mores; cuiusmodi vna est religionis innouatio, non aliundè habent determinari. Simile est quod de hominibus Sanctorum Catalogo adscribendis, olim Episcopis in proprijs Diœcesibus fuit regulare, cum tamen nemini reuocetur in dubium id Apostolicæ Sedis iudicio reseruari.

12 Propterea, dum magis cautè res fuit Ecclesiastica disponenda, Innocentius 3. decreuit in cap. vlt. de Religiosis domibus in Conc. Later. *Ne nimia Religionum diuersitas, grauem in Ecclesia confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero nouam Religionem inueniat, sed quicunq; ad Religionem conuerti voluerit, vnam de approbatis assumat*. Idipsum statuit Greg. 10. in Conc. Lugdunensi c. vnico eodem tit. in 6. ibi: *Cunctas affatim Religiones, & Ordines mendicantes, post dictum Concilium adinuentos, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni subijcimus, & quatenus processerunt reuocamus*. In quibus Iuribus, estò Pontifices adhibuerint verbum *prohibemus*, ea tamen prohibitio simul est irrita-

tio, iuxta glossam in dicto c vnico de Religiosis domibus in 6. verbo processerunt, dum subdit *de facto*; hoc est, non iure; & sic exponit verbum illud *reuocamus* ibidem; scilicet nulla esse declaramus, ac de medio tollimus. Ita etiam D. Thomas in 4. dist. 38. q. 1. art. 2. quæstiunc. 3. incorp ad 3. Et re vera, si vota eorum qui professi fuissent in eiusmodi religionibus fuissent valida, non erant sic de facili reuocanda; neq; adfuisset pœna conueniens dissolutioni votorum, cum illi potuissent cogi ad profitẽdum in religione alia ex approbatis. Immò Clem. vnica. De Religiosis domibus declaratur Beguinas non fuisse religiosas verè; quia non profitebantur in Religione approbata; nec non extrauag. Sancta Rom. eodem tit. Quidquid à simili secta sub nomine Religionis actum est, nullius momenti, aut firmitatis fuisse decernitur. In qua extrauaganti Io. XXII. renouat Gregorij, & Innocentij decretum aduersus nouæ Religionis authores.

13 Id quod Oliuetanæ familiæ nostræ illustria nõ minimũ, atq; canonizatæ probitatis reddit natalia; dum sub id tẽporis inciderunt, quo, nouiter datũ, acerrimè custodiebatur decretum de Religionum nouitate repellẽda: Idemmet nihilominus Pont. Max Ioannes XXII. libentissimè non duxit non excipere, & approbare Oliuetanæ Monastices recẽs in Italia exortum germen, postquàm accurata circumspectione, diligentiq; examine sanctissimam vitæ rationem cognouit ex Patribus, inde ad se Auenionem vocatis. Sed insuper rem, adhuc circumspectiùs cognoscendam, Aretino Diœcesano commisit, quò duplum testimonium darent Oliuetani progenitores de spiritu, quo erant afflati, Diuino. Verùm nihil maius desiderandum fuit; quandoquidem ipsa per se Cœlorum intemerata Regina Episcopo suos filios commendauit: normam, insignia, vestes, & nomen eadem proponens, satìs ostendit, subnascentem monasticum ordinem tanto futurum decori, & exemplo in Ecclesia Dei; vt conduceret pro eo nuperum statutum infringere de Religione noua minus instituenda.

14 Poterit ne, ais, Pontificiæ menti in Religiosis ordinibus approbandis error irrepere; ita vt aliquando falli contingat, tanquàm sanctum, & Ecclesiæ vtilem approbando ordinem, qui superstitiosus, malus, & pernicialis Catholicæ conuersationi existat? Absit. de infallibili iudicio supremi Pastoris Ecclesiastici plura in superioribus disputauimus. Hùc facit præsertim quod pro constanti habuimus, in grauioribus caussis de fide, & moribus, neutiquam posse de Apostolica Sede proficisci errorem. Porrò, sicut in canonizatione Sanctorum firmiter credunt fideles, indeceptibile esse iudicium Pontificis Maximi: quia de cultu agitur vniuersaliter Ecclesiæ omni proposito; quod certè ad mores Ecclesiæ insigniter pertinet: ita pariter de approbatione Religiosi Instituti credi oportet, esse indeceptibilem Summi Pastoris sententiam: de re siquidem agitur, non minùs vniuersalis Ecclesiæ mores attingenti; eo .n. ipso, quòd religiosus aliquis ordo approbatur, facultas concedi intelligitur cuicunq;, & omni fideli, ad eum vitæ statum transeundi; qui, si irreligiosus, & criminosus esset, daretur in Ecclesia immunis iniquitati locus: immò nemo prohiberetur fidelium à Catholicis moribus ad damnabilem vitam transire.

15 Neq; te existimes sufficiétem adinuenisse disparitatem in eo, quòd nemini liceat Summorum Pontificum sententiam retractare prædecessorum suorum de Apotheosi Sanctorum; secùs verò contigisse non semel, vt Religiosi ordines, per plures Pontifices Maximos approbati, qui etiam in sanctitate dudum processerant, atq; floruerant, damnati tandem sint, & aboliti: Nulla inquam disparitas intercedit; neq; .n. religiosum institutum, semel ab Apostolica Sede approbatum, damnabile est vnquam per succedentes Summos Pótifices: estò sæpiùs extincti sint Ordines Religiosorum, qui, vel non expresè fuerant approbati; sed quadam permissione, & conniuentia processerant, antequàm perspectiùs examinarentur: vel si quidem approbati expresè fuissent; adeo tamen à primæua institutione deflexerant, vt reprobatum postea non fuerit, quod Sanctæ

quondam instituebatur; sed solùm quod abusus irrepserat, & corruptelæ, peruertētes ordinem: aut deniq; fieri potest, vt per Summos Pontifices mandetur religiosum aliquem ordinem, olim approbatum, extingui, sic ferentibus conditionibus temporum, in quibus iam minùs expediat tale viuendi genus, aliàs opportunum: nec tamē qui abolet ordinem approbatum, prædecessoris approbantis sententiam redarguit, sed tantummodò suo seculo minùs opportunum reputat, quod aliquādo cōcedit sapienter receptum.

16 Sicut .n. Religiosorum hominum politiæ ab Ecclesiastico Monarcha in institutione dependent; ita in destructione eiusdem nutui subiacent: vtrobiq; tamen non nisi grauissima circumspectione proceditur; rebus examinatis ad apicem: in hoc potissimum, vbi de antiquādis prædecessorum priuilegijs agitur, piæ caussæ fauentibus; & de inferenda iniuria familijs, à Sanctis Patribus institutis, longàq; seruorum Dei serie illustratis. Neq; ab Apostolica Sede humanæ prudentiæ consilium repellitur, ne quid inconsultò deliberetur; quàmuis inerranter Diuina sapientia assistens, grauia huiusmodi Christianæ Reipublicæ negotia peragat.

16 Approbata per Apostolicum Monarcham Regularium Republica aliqua, simul facultas edicitur cuilibet in ea profitendi, eamq; vitæ rationem vouendi. Sed hìc pariter Pontificia potestas aliquid habet; tribuit nanq; solemnitatem votis, quæ in omnibus ferè Religionibus intelliguntur esse solemnia; eius nimirum naturæ, vt matrimonium dirimant ratum, ante contractum; & inhabilem reddant ad coutrahendum deinceps. Et quàmuis votorum solemnitatem non esse religioso statui essentialem declarauerit satìs Greg. XIII. in bulla cui est initium *Ascendente Domino, &c.* Vbi scholares, & coadiutores formati in Societate IESV Religiosi veri dicuntur; cum tamen nihil solemniter voueant: peculiare tamen hoc est, & fortasse huius inclytæ Societatis vnicum. Cæterùm antehac nunquam agnitus est religiosus ordo, qui absq; solemnium votorum emis-

fione susciperetur. Illud quidem verum est à Romano Pontifice processisse omnem votorum solemnitatē, vt habetur cap. vnico de voto in 6. ibi: *Voti solemnitas sola Ecclesiæ constitutione inuenta est.* Nimirum à solo Pontifice, qui Ecclesiæ præest in caput.

18 Vota huiusmodi propriè idem Romanus Præstes vniuersalis acceptat: In quo aliam adnotes Regularium subiectionem ad eundem Ecclesiæ Sanctæ Monarcham. Res innotescet paucis: nihil .n. est aliud in approbato Religioso ordine profiteri, quàm proprij corporis, immò & voluntatis potestatem, ac dominium omne à se abdicare, ingenitamq; exuere libertatem, vt Richardus ait in 4. dist. 28. ar. 7. q. 2. & 3. *Qui solemne votum emittit, dat alij dominium super se ipsum, & ponit se sub alterius potestate.* Propterea, cum Religiosa professio traditionem includat cum votis; nam sine traditione nō est dominium acquirere, l. traditionibus. C. De Pactis, traditio verò nulla sinè acceptatione subsistat, neque dici possit quis alteri tradidisse, quod acceptatum non fuit, l. nec ambigi. C. de Donationibus, quis dubitet aliquem deberi acceptatorem dedēti sese religionis obsequio? Insuper, cum deditio hæc Deo fiat, sitq; ex hac parte contractus profitentis Diuinus; abs dubio incompetens acceptator erit quiuis alius ab ipso Deo, vel ab eo, quem pro se ipse statuerit. Deus autem ipse immediatè per se acceptare non consueuit: siuè quia minùs tantam deceat maiestatem ad cōtrahendum cum homine inclinari, vt accipiat imperfectum, ac participatum dominium; quale illud esset, quod in huiusmodi contractu à creatura exhiberetur Deo: siue quia per talem acceptationem traditus, sua voluntate, dominioq; priuatus, sui curam alteri prorsùs comittit; Deus autem ordinaria lege neminem suscipit immediatè regendum; neq; sensibili conuersationi nostræ id esset proportionatum: reliquum igitur est, vt fidelis domus Dei dispensator CHRISTI Vicarius, qui in terris est super omnem rem Dei præpositus, ipse pro Deo acceptet profitentium vota.

19 Verùm, quia nec ipse Maximus Pontifex vbiq; locorum adesse valet, aut sufficere; vt traditiones acceptet, quæ in dies per vniuersum terrarum orbem fiunt à deuouentibus se se Religioni; Congruè id muneris Superioribus Religionum relinquit; vt in singulis pro approbatis consuetudinibus ad regularem habitum, ac professionem sibi asciscant alumnos: illos tamē nomine Pōtificis Maximi acceptare satìs ostēditur, quòd eorundem non sit deinceps professionem dissoluere, aut in votis dispensare, sed omnis de professione quæstio subnascens ad Apostolicum sit deferenda Tribunal; cui ius pactum est, & dominium super eum, qui professionem emisit; etsi in manibus, non Pontificis Maximi, sed Regularis Superioris.

Sumus itaq; ab emissis solemnibus votis gens Apostolicæ potestati dominatiuæ subiecta; sicut .n. generale est, quod traditionibus, & acceptationibus rerum acquirantur dominia, l. traditionibus C. de Pactis; l. nec ambigi. C. eodem; ita in hoc vero contractu, quo profitens sui à se abdicat potestatem, vt mancipetur Dei obsequio; isq; qui pro Deo stat recipit traditionem, statim vendicabitur huic dominatiua potestas.

20 Magni sunt huius dominatiuæ potestatis effectus; per eam siquidem valet Pontifex Maximus, vel alius quilibet Prælatus, qui eius nomine intelligatur præesse, iubere sub obligatione mortalis reatus, quidquid regulæ non supergreditur fines, secundùm quam religiosus promisit; non modò in his, quæ pertinent ad immediatam votorum materiam; sed etiam in alijs quibuscunq;, quomodolibet conducentibus ad votorum obseruantiam, ac vniuersæ regulæ inuiolationem, salua semper prudenti æstimatione de rei quantitate: certum .n. est ex nimia rei leuitate, quæ in quolibet genere à lethali culpa excusat, præceptum circà obseruātias Regulares, à Superiore egrediens, sub mortali non illaqueare reatu. Sicut .n. furtum ex natura sua, & de se intelligitur semper mortiferum crimen; & nihilominus ita materiei paruitate potest extenuari, vt plusquàm venialis noxa non reputetur; ita Religiosorum inobedien-

dientia generaliter quidem de graui, & lethifero crimine audit; suam tamen & ipsa patietur exceptionem, in re nihili, & materia paruipendenda.

21 Datur hoc etiam dominatiuæ potestati Summi Pontificis, eiusq; nomine præsidentis cuiuslibet super Regulares, vt in ancipiti, sit eius sententia potior. querimoniæ cessent, disputationes sileant, si modò quod iussum fuerit, ita palàm non reuincatur aduersari pietati; vt Pontificiam subterfugiat potestatem, quæ in ædificationem data est, minimè verò in destructionẽ Religiosi, & Ecclesiastici corporis. Cæterùm vbi aperta, & euidens malitia non appareat, ad nutum superioris, quaquàlibet, sub obedientiæ iugo flectenda ceruix. Audi Bernardum lib. de præcepto, & dispensatione. *Perfecta*, inquit, *obedientia legem nescit, terminis non arctatur, neq; contenta angustijs professionis, largiori fertur voluntate in latitudinem charitatis; & ad omne quod iniungitur spontaneo vigore liberalis, alacrisq; animi modum non considerans, in infinitum extenditur.* Ex Sanctissimo Parente id hauserat Benedicto, qui nil magis quàm Monachorum obedientiam indiscretam, & cæcam suadens, inter cætera habet c. 5. Regulæ: *Propter seruitium Sanctum, quod professi sunt, mox vt aliquid imperatum fuerit à maiore, ac si Diuinitùs imperetur, moram pati nesciunt in faciendo: de quibus Dominus dicit, in auditu auris obediuit mihi; & idem dicit Doctoribus: qui vos audit me audit, &c.* Non licet igitur hiscere Monacho aduersus Summi Pontificis, aliorumq; superiorum, quos eius nomine patiatur, honestum mandatum, de votis ac regula; aut horum perfectiori obseruatione; etiam si in contrariam opinionem feratur animus, existimans quod præcipitur, nec ad regulam facere, neq; intrà eius limites contineri. Quorsùm de præcepti æquitate altercari, pergere rationibus argutari; si quo modo iugum obedientiæ queat excutere, aut portare solùm pro libito? Sanè animi hæc habenda est nota rebellis, si pactis non stetur; si quod semel deposuit affatim, quis denuò voluntatis reposcat arbitrium.

22 Sin autem quæras de his, quę supra regulam sunt, cuius quis obseruantiam vouerit, an in huiusmodi possit Religiosus vllatenus illigari; ita vt à mandatis desciscens, fiat lethalis criminis reus, res prorsùs diuerso modo se habet; simpliciter nanq; , & quoad ex rei natura proficiscitur, nemo tenetur plus reddere, quàm promiserit: & iniustè reposcitur, quidquid non continet syngrapha creditoris. Fundatur omnis Superioris potestas in voluntaria Religiosi traditione, quæ si ad aliquid fuerit limitata, puta ad huius, nec alterius Regulæ constituta, eccur authoritas dominantis excedat, quæ ex limitata mensuratur traditione? benè Doctor idem Mellifluus lib. eodem de præcepto, & dispensat. c. 7. *Si professo*, ait, *secundùm illam Regulam Abbas meus mihi aliquid fortè imponere tentauerit, quod non sit secundùm Regulam, quænam mihi, quæso, in hac re necessitas imminet obsequendi?* Solum quippe id à me posse exigi arbitror, quod promisi. Quod de Abbate Bernardus ait, etiam de Summo Pontifice venit intelligendum; cum vtrobiq; par vigeat ratio, & ipso Pont Max. authore in c. Gesta. dist. 7. *Iustum est, vt nemo crescere compellatur inuitus.* Alioquin nil inter ordines religiosos interesset: Vacanter propria vnicuiq; foret descripta regula: si omnes pariter vnius supremi Pastoris, aliorumq; Superiorum committerentur arbitrio, vagè ad quælibet excurrere posset imperium: cum tamen Religiosus aliquis ordo strictiorem obedientiam Pontificis Summi nutibus expresè profiteatur: quod sanè opus non esset, si ex ipsa generali traditione, quæ comitatur quācunq; religiosam professionem, omnimoda, & incircumscripta pareretur Sanctissimo Patri dominatiua potestas.

23 Alio nihilominus titulo, nempe potestate iurisdictionis; vel in pœnam commissi criminis; vel ad præcauendum futurum, non est dubium, quin illi liceat arctioribus præceptis, quæ regulam professionis superent, illigare Religiosos. Hinc Summus Ecclesiæ Monarcha, nòn prohibetur collapsas Regularium Respublicas reformare, ad priorem non modò eas re-

uocando morum integritatem, quidquid attritum fuerit resarciendo; sed insuper Constitutiones, legesq; nouas præscribendo, pœnitentiam exigentes maiorem, & in asperiorem vitæ statum dirigentes, quàm olim essent, dum sub faciliori instituto aliquis profiteretur. Esto .n. hùc non pertingat dominatiua potestas, quæ ad traditionis determinationem limitatur; ne plus exigat, quàm fuerit obligatum: hoc tamen ad Prælatum pertinet, gregem suum religiosum maximè custodire vsquequaq;, ipsumq;, quoad fieri posſit, procul ab omni recidiui labe seruare; pericula præcauere, & studiosè repellere, impunitatem non facere delinquentibus: vt si veterana statuta iam, temporum corruptela, & hominum vitio, parùm sufficiant ad Religiosi status integritatem custodiendam, noua nil timeatur potentiora vincula superaddere; si his sinè videatur commune bonum periclitari; siue vniuersalis Ecclesiæ; siue peculiaris illius Religiosæ familiæ; sicq; domus patêter hiscat, vt fortioribus fulciminibus non adiuta, ruinam minitetur indubiam. Huiusmodi est quod legitur in c. vnico De Statu Regular. in 6. Pontificem Maximum monialibus indixisse clausuram, etiam si illam minimè vouissent: quòd prudentisſimè censuit, nouæ, ipsæq; asperrimæ obseruantiæ non parcendum, modò Sanctimonialium pudicitia necessario firmaretur præsidio. Magnum sanè, & Ecclesiæ vniuersali dedecus, & Religioso statui imminebat, & fortè scandalo propinquum quid debuit cæpisse inaudiri; ex quo, aliquali Religiosarum Virginum grauamine, vniuersali bono Summus Pastor non fuit veritus prospicere.

24 A fortiori adhùc id colligas; etenim licèt nequeat Summus Pontifex fidelibus omnibus de suo grege præcipere ea, quæ supererogationis sunt, atq; consilij: nil tamen vetat, quo minùs id posſit, suadente bono communi; quod primo loco debet vniuersalis Pastoris cordi insedere, & cui singularium acquiescere habent incommoda. Ita sæpè nouimus Apostolicam sedem, necesſitatibus efflagitantibus, vniuersalia indixisse ieiunia;

nia publicas ſupplicationes;aut alia pœnitentiæ opera,de mortali reos faciendo tranſgredientes. Neq; tamen tanta laici fideles ſubiectione addicuntur Pontifici, quanta mancipati Religioni. illi.n.ſimplici fidei titulo, Apoſtolica vexilla ſequuntur; hi verò dupliciter, & in baptiſmatis, & in Religionis profeſſione deuoti, ſub ſignis militant CHRISTI, eiuſq; Vicarij; Non operantur aliquid amplius ſubiectionis ad Romanum Pontificem ſolemnia profitentium vota, atq; ſui traditiones, ſupra id, quod vniuerſaliter in vniuerſam fidelium paſcuam habet ſupremus Paſtor iuriſdictionis,& poteſtatis? Certè non licet ambigere, quin amplior ſit Religioſarum Rerumpublicarum ſubiectio ad Eccleſiæ Sãctæ Monarcham, quàm ſit prophanarum: idq;, tum ex parte materiei, quæ Pontificiæ iuriſdictioni eſt magis proportionata; cum ſupra fidei titulum addat religionem, ſupra laicam ſortem, ſtatum ſacrum importet; tum etiam ex parte ipſius poteſtatis in Summo Pontifice, qui ex votis, & traditione Religioſæ perſonæ ſuam in eos auget duplicem poteſtatem, iuriſdictionis, videlicet, atq; dominij.

Immò tanta eſt huiuſmodi dominatiua poteſtas, vt virtute eius Romanus Pontifex poſſit Religioſos dare in pignora, ſeu in obſides, pro Monaſterij rebus: quod ipſum remanet quoq; in poteſtate clauſtralis Prælati, qui eius authoritate gubernat, & aliquando contigiſſe in vſu teſtatum eſt in c. ex reſcripto. De Iure iurando. ibi: Super hæc prædictus Abbas quoſdam ex Monachis obſides dedit. . .

25 Effectus quoq; dominatricis poteſtatis in Regulares Pontificiæ eſt, eorum vota poſſe irritare, quæcunq; ſubſequantur profeſſionem,per quam Pontifici Summo ſunt traditi;neq;.n. is Eccleſiaſticæ iuriſdictionis eſt actus; cum par inſit facultas Domino reſpectu ſerui, Patriq; reſpectu filij. ratio eius redditur in c.ſi Religioſus. De elect. in 6.ibi: *Emiſſa profeſſione Religioſus velle,& nolle non habet; ſed ex illius, quem vice Dei ſupra caput ſuum poſuit, & cuius imperio ſe ſubiecit, voluntate dependet.* Si igitur voluntas ſubditi iam non ipſius eſt, ſed pertinet

ad Prælati dominium, irritari ab hoc fas erit, quodcunq; ille vouerit de non suo.

26 Ex quo duplicem adnotes caussam potestatis huius, irritatricis votorum: primò siquidem directè id ex parte voluntatis enascitur, cui auferri potest vinculum voti, eo ipso quod per traditionem, atq; professionem religiosam in Summum Pontificem translata sit, aliosq; eius nutu regentes Prælatos: vt refertur ex August. in c. non dicatis. 12. q. 1. ibi: *Religiosum non solùm facultatibus; sed etiam voluntatibus proprijs renunciare, & se per promissam obedientiam aliorum potestati, & imperio subdere conuenit.* Sed insuper eadem votorum irritatio potest Regularibus fieri à Pontifice indirectè, ex parte materiei, quæ, posita traditione Monachi, & Summi acceptatione Pontificis, intercedentibus in professionis contractu, qualiscunq; voto obligetur à Religioso, ipsius non est, sed eius cui se iamdudum, suaq; omnia tradidit, & cuius se dominanti potestati subiecit; vnde Bonauent. lib. De Informat. nouitiorum c. 2. *Te dedisti*, ait, *propter Dominum, & iam tuus non es.* Si ergò alienus es, citra Domini tui assensum perperam de temetipso disponis, & ius habet possessor tuus tua placita conuellendi. Rapinam Deus odit in holocausto, quę te sanè redarguit, dum quod offeras Deo in votum, alteri surripis, nihil habens.

Seruo nihil, quod voueat, superest: vt propterea, cum aliquando spopondisset Dauid: *Vota mea Domino reddam coram omni populo eius.* Statim ad se reuersus, nihilq;, quod voueret, vel redderet, in sua potestate comperiens ingemiscat: *O Domine, quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Sed iterum animo erigitur, dum in manumissione confidit, atq; redemptione: *Dirupisti vincula mea*; idcircò est quod reddam: *Tibi sacrificabo hostiam laudis*, Psal. 115. Ratione igitur materiæ, quæ aliena est, nil poterit Religiosus voto irreuocabiliter obligare; manet siquidem penes rei obligatæ Dominum ius obligationē dissoluendi, iniustè præstitam ab alieni iuris vsurpatore: proinde integrum erit Pontifici Maximo, alijq; superiori

iori inde traducenti authoritatem, vota regularium irritare; perinde ac viro vxoris, quæ, se non assentiente, vouerit continentiam, disponens de suo corpore cuius non ipsa potestatem habet, sed vir, iure valens debitum postulare.

27 Secùs de voto arctioris suscipiendæ Religionis, hoc nanq; prohiberi nō potest, quo minùs persoluat, quicunq; illud emiserit post professionem in minùs aspero instituto; cum deficiat hic dominatiua potestas, cuius est actus irritatio voti alieni: Si.n.ex traditione, seu deditione sui dominatiua potestas exoritur, eam hæc nullatenus superabit. Atquì se ipsum nemo intelligitur tradidisse vltra regulæ fines; & perfectionem, quam professus sit: poterit igitur quilibet, quæ suæ professionis, atq; deditionis perfectionem superent, deuouere, & reddere.

Pergam; quia, etsi Summus Pontifex, aliusq; stans pro eo Prælatus dominatiuam potestatem adipiscantur super se tradentes Religionis obsequio; quia tamē nomine Dei acceptant, cui exhibetur traditio, & in contractu, qui propriè Diuinus est, stipulantur, nō licebit eis hinc Diuinæ caussæ præiudicium inferre; quatenùs si priori professioni, atq; deditioni lubeat Monacho maioris perfectionis aliquid superaddere, atq; arctiorem iterum cum Deo renouare contractum, in eius maius obsequium; ab ijs nequeat cohiberi, quibus primò quid obtulerat imperfectius, Diuinæ maiestati sacrandum.

28 Si de dispensatione loquaris, benè insit Ecclesiarum Pastori hæc etiam dispensandi facultas, data sufficienti caussa in voto arctioris religionis, quemadmodum in ipsis solemnibus votis iam iam dicemus. Verùm id potestatis minimè est dominantis: Irritatio quidem hinc solet prouenire. Quæ tamen nec quidem in Pontifice Maximo consurgit, respectu Regularium, ex acceptatione votorum; hæc.n.de se nil maius importat, quàm simplicis promissionis acceptationem; ad quam nulla dominatiua facultas consequitur; vt habetur l. Traditionibus. C. de pactis. Sed acceptatio traditionis, annexæ votorum emissioni, ipsa est, quæ Dominium acceptanti parit Pon-

tifici, quo traditi vota valeat irritare.

29 Hinc eorum placitum non probatur, qui vota omnia fidelium, etiam laicorum, per Summum Pontificem dicunt irritabilia; quippe id semper conditionis videantur conuoluere, si, cuius interest, supremus fidelium Pater fuerit assentitus. Aegrè his ego assentiar: quandoquidem non apparet, ex quanam traditione laici, nō minùs, subdantur dominatiuæ potestati Pontificis, quàm Regulares, qui se illi dederunt; ita vt, illorum quoq; sit captiuata voluntas, ne quid, inconsulto Summo Pōtifice, voueant. Hactenus de supremi Apostolici Empyrei potestate dominatiua in Respublicas Regularium.

30 Præter quā necessaria est iurisdictionis alia potestas, vt Religiosi ordines integrè ad sui finis consecutionem absolutissimam dirigantur; pro quo impar sola est ea dominatiua potestas, quæ, aut Oeconomici regiminis facultatem non superat; aut ad politicum quidem extēditur regimen, sed morale dumtaxat, ac temporalium; non verò sufficit pro fine supernaturali, atq; spiritualium; quem sibi omnis, vt initio prioris Tomi notauimus, Religiosorum virorum Politia præstituit, præter ciuilem honestatem, atq; fælicitatem, quàm accessoriè intendit. Siuè igitur quòd Sanctissimi Domini authoritas in Regulares plusquam Oeconomica sit, eamq; oporteat posse compellere subditos ad bonum, in quod iurarunt, flagris, pœnisq; corporeis grauioribus, quarum vsus Oeconomicæ dominationi interdicitur: siue, quia, cum animum quoq; attingere debeat; quatenus spiritualibus pœnis, seu censuris hic stimuletur ad spiritualem suum finem, compescatur à malo; dominatiua autem potestas pœnas hasce spirituales infligere nequeat: idcirco addēda est iurisdictionis potestas suprema in eodem Ecclesiastici corporis mortali vertice, à qua, sicut fidelium generalis Respublica regitur iuxta proportionatū modū, ita Religiosus status in primis arctiori nexu depēdeat, inde debens acceptā quæcunq; in Regularibus suis Prælatis iurisdictio viget, ad animarū regimen impartita; de qua sequēs dabitur Tomus.

31 Ab ipso quippe primo clauigero dispensante potestas alia quæcunq; descendit, qua Ecclesiastici regni illi crediti prosperitas promoueatur, & incolumitas. Vt iuxtà Leonis Papæ pronunciatum in c. Ita Dominus 19. dist. *Ab ipso, quasi quodam capite, dona sua, velut in omne corpus diffunderet,* Spiritus viuificantes, per singula membra diffusi, non aliunde haberent originem, aut virtutem. Ab hoc itaq; Apostolico potestatis Ecclesiasticæ fonte in Regulares Prælatos, ceu in riuos, religiosum agrum rigantes, iurisdictio permulta defluxit; sed multa etiam, penès ipsum seruata, nemini communicatur. Quod ex liberali Pontificia concessione Prælati Regularium retulerunt potestatis, insignissimum est, gratiasq; immortales reposcens; Iurisdictio nimirum Episcopalis in suos subditos, qua Religiosorum ordinum omnium Superiores iam ferè gaudent; siue specialiter proprio priuilegio id aucupati; siue ex mutua, quæ inter eos interest communicatione participes.

32 Habuerāt sanè Religiosorum hominum Societates iampridem de iure cōmuni facultatem à Sanctissimo Domino, quanta opus esset ad piam Oeconomicam dirigendam: Qui .n. eas, dum instituerentur, probauerat, simul & semel intelligendus erat contulisse earum Superioribus necessariam potestatem ad rem domesticam ministrandam, monasterium regendum, Regulæ obseruantiam custodiendam, diuini demum ad reuerentiam cultus quidquid fecisset, aut domesticam vtilitatem ac pacem, nulla erat extranea virtute cogendum. Sic nanq; intelligendum, Glossa docet in verbo *totam*, quod dicitur in c. Nullam. 18. q. 2. *Totam potestatem Monasterij ad Abbatem pertinere.* Nimirum, vt ibidem legitur, pro Diuini reuerentia cultus, nec non Monasterij vtilitate; in quæ Monachis non liceat inferioribus sese ingerere; sed cura sit omnis eorum Abbati.

33 In cæteris nihilominus quælibet Regularium Congregatio dudum subdita mansit Episcopi Diœcesani iurisdictioni, antequam speciali prosequens benignitate Pontifex Maximus,

ipse paternis vlnis decreuisset claustra immediatè complecti: tunc .n. Religiosas Politias, eximens de cuiuslibet Ordinarij Papa inferioris potestate, suo nostra reseruauit arbitrio. Verùm quia: vt maiestatem decet vniuersalissimi Empyrei: is mediatè, atq; remote inferiora gubernat immotus, non operosus, sed placido, insensibiliq; impresso influxu intermedijs administris; quam ordinarijs Diœcesanis iurisdictionem eripuit, domesticis nostris Prælatis contulit: siue id ortum duxerit ex præsumpto grauamine, quo ab Ordinario claustrales opprimerentur; quasi in ipsos innatum esset eis tabescere odio; vt videntur insinuare c. nimis iniqua, &c. nimis praua, De excessu Prælatorum: Vbi septem supra viginti grauamina recensentur, quæ Prælati exteri inferebant Religiosis: quod idem in Clementina vnica eodem tit. Pontifex Maximùs non dissimulauit in Conc. Viennensi, prouidens contra iniuriarum genera triginta per Episcopos ijsdem Regularibus solita inferri. Siue (quod verius existimandum) in fauorem Apostolicæ Sedis, cuius interest permultos habere immediatè subiectos: nec non, vt quietè maiori sub vmbra, & protectione Sanctæ Sedis viuentes exempti, ab inferioribus potestatibus liberiùs Dominorum Domino deseruire valeant.

Qui sanè inter præcipuos est numerandus influxus, quos ab Apostolico suo Empyreo nostra Aristocratia, aliaq; omnis Regularium Respublica glorietur se recepisse: perfecta siquidem inde insignita est potestate, qua nihil vltra desiderandum supersit, pro publici, quod intendit, boni, tum spiritualis, tum temporalis consequutione.

34 Nec aliundè poterat tantum benignitatis perpluere; cum neq; Episcopus ipse, iuri concedens suo, valeat subditos in totum eximere, postquàm semel Episcopatui ius fuerit acquisitum, & ab eiusdem fundatione vsus iurisdictionis in subditos iam inoleuerit; quia id foret Ecclesiæ, cui datus est sponsus, & custos, rem dilapidare, & successoribus inferre præiudicium. Atq; ; vt distinctiùs quid loquamur: Episcopo non esse inte-

grum Diœcesanos suos à visitatione statuta eximere; vel à procuratione, aut correptione, testatum est in c.Visis 16.q.2. Eundē Synodatici iuris nequire ex subditis vllos exortes reddere, ne soluant, quod in synodo est consuetum, habes c.olim. De Censibus. Sicuti idipsum de iure Cathedratico, sibi debito in Cathedræ honorem, statuitur c.placuit. 10.q.3. Quid multa? Episcopus non modò; sed neq; Metropolita, aut Apostolicus, quanquam à latere Legatus poterat Regulares tam insigni beneficio exemptionis munificare; adeo Empyrei Ecclesiastici est proprium opus, huiusmodi vacationem dare: Gloss. c.1. verbo exemptionis. De priuileg. in 6. Idq; pro constanti est cunctis, neq; lateralem legatum quid posse aduersus communia iura, quale esset eximere c.Omnes basilicæ. 16.q.7.

35 De communi siquidem iure cautum est, Episcopos in Diœcesibus suis latissimè Ordinarij potestate pollere in omnes, nemine excempto. c.Domus. 16.q.7. c.Venerabilis. De Religiosis domibus, &c. Cum Episcopus. De officio Ordinarij, in 6. Quòd si de Regularibus magis expressam mentionem quæras, habebis in Concilio Chalcedonensi re gestam act. 15.c.Placuit ibi; *Placuit nullum quidem vsquam ædificare, aut constituere Monasterium, vel Oratorij Domum, præter conscientiam Episcopi Ciuitatis: Monachos verò per vnamquamq; Ciuitatem, aut Regionem subditos esse Episcopo*. Tandemq; in Can. fine concluditur: *Veruntamen conuenit Episcopum Ciuitatis competentem Monasteriorum prouidentiam gerere.* Alijsq; Concilijs est antiquioribus sententia non dissimilis, Arausicano c. 6. Toletano secundo c.1. & Aurelianensi primo c.21.

Ita vt Episcopus staret Monachis olim, quasi pro Generali, per Monasteria Abbates instituens, atq; destituens; circumiret visitans; ad professiones reciperet; eos demum subditos possideret, quoad vtranq; Episcopatus legem, Diœcesanam scilicet, atq; iurisdictionis: virtute prioris Cathedraticum, siue Synodaticum exigebat, partem scilicet oblationum decimam, funeralium quartam, charitatiuum subsidium, seminariorum

pro rata substentationem, & si quæ alia sunt id generis: Iurisdictionem verò exercebat in eosdem, cognoscens caussas, tum Ciuiles, tum Criminales; si quid opus esset visitans, corrigens, & reformans; Prælatos ponens, atq; deponens cæterisq. fungens, quæ inter iura Episcopalia numerantur c. Conquerente. De officio ordinarij.

36 Iam verò (egregium Apostolicæ beneficentiæ munus) subiectio Regularium ad Episcopos, quà Cathedraticum respiciebat penitùs est expuncta: Iurisdictio autem ad Superiores est translata familiares, quos, vel sibi Congregatio elegerit, vel ipse dederit Sanctissimus Dominus; cui hæc nunquam adimitur in Religiosorum Respublicas potestas, Principes, & Magistratus pro libito instituendi; immò de eius est indulgentia, quòd Religiosi viri, qui se Deo dum traderent, voluntatis omne exuerunt arbitrium, conuenire valeant, ad Superiores sibi præficiendos, iuxta Ordinis cõsuetudines, & eiusdem Apostolicæ Sedis præscripta.

37 Summo item Ecclesiæ Monarchæ subsidia pendimus; etsi Episcopalis Cathedratici facti simus immunes: quod inter potestates connumeres, quibus ille Regularium Rebuspublicis dominatur, eas sibi retinens quodammodo vectigales, paratas pro ea, quam profitentur obedientia, collectis impositis æs Apostolicum, indigentijs non sufficiens, adiuuare. In quorum subsidiorum veluti hostimentum hæc ipsa Monachis prouenit exemptio ab Ordinariorum iure. Quocirca sortitur conditionem, non tam priuilegij, quod reuocabile maneat à concedente, qui sibi manus nequit ligare; quàm potiùs firmioris contractus, non ita de facili reuocabilis, teste Innoc in c. In nostro. De Iure iurando, atq; Abbate cons. 51. lib. 2.

38 Eoq; firmior Regularis Reipublicæ hæc consistit exemptio; quò nihil querimoniæ superest Diœcesanis, de iniuria sibi inde illata, ob quam in integrum petant restitui. Ipsorum .n. quantacũq; authoritas eundem Apostolicum Patrem habet authorem, qui vniuersalis fidelium ouium cunctarum Pastor, non

prohibetur quas, & quot maluerit ab inferiorum potestate subducere, sibiq; immediatè reseruare pascendas. In fauorem .n. & Sanctæ Sedis, & Regularis tranquillitatis piè instituta est hæc exemptio: primùm quidem, quia illius interest multis dominari immediatè: alterum verò, quia sublata extraneæ manus attrectatione, quæ semper minùs amica præsumitur, domi inter Patres, & Fratres res tractatur amantius; Diuinum obsequium, soluti ab alieno iugo, prosequũtur alacriùs. Quamobrem cum sit hæc exemptio caussæ pijssimæ perquàm fauorabilis; insuper non habeat rationem priuilegij, quod priuatæ concedatur personæ; ideoq; in odium iuris emissum; sed vniuersæ Communitatis fuerit indulta in bonum; ac propterea legi æquiparetur, in corpore iuris insertæ, erit hinc parciùs alteranda, & latiùs quoad fieri valeat extendenda.

39 Extenditur sanè satis generaliter lata, quoad loca, res, & personas, quæ sub Regularium Rerumpublicarum dominio maneant; quatenus supremo soli Pontificio subsint Empyreo; eiusq; virtute, operantibus duobus proximis orbibus, primo nimirum mobili Sacro Eminentissimorum Patrum Collegio, & Chrystallino (si habeant) Protectore: Infra quos procul ab harum Rerumpublicarum negocijs, aut imperijs aliæ quælibet potestates inferiores.

Neq; reputes ad Professos Regulares datam exemptionem arctari, vt soli gaudeant illa: etenim, cum non sit dominatiuæ potestatis opus; proindeq; nihil habeat cum professione, aut traditione; sed à suprema Pastorali iurisdictione processerit, apprimè potest etiam nouitijs in ordine participari, & reipsa participatur, qui non immeritò Religiosorum nuncupatione notantur c. nullus, De elect. in 6. Verè siquidem de Claustrali manet Republica nouitius, semper illi annexus, quamdiù signa, & coniecturas apparenter non dederit propositi deserendi, & iterum transfugiendi ad seculum, c. statuimus De Regular. &c. Non solùm codẽ in 6. Conuersi pariter publica fruuntur exemptione Congregationis, cuius habitum assumpserunt

cum ſui deditione, quamuis in laicali ſorte, non tonſi. Immò & oblati nihil habent cum Diœceſanis, poſtquàm ſe, atq; ſua obtulerint Monaſterio; quàmuis habitu non mutato. Adhuc & ſerui, quotquot in exempta Religione actuali ſeruitio mancipantur intra clauſtralia ſepta non conductitij, aut temporales, pari priuilegio gaudent, vt ſub obedientia Regularis Prælati degentes, ab ordinariorum localium liberentur imperijs. Sic nimirum Sacram Congreg. declaraſſe aliquando author eſt Zerula in praxi Epiſcopali.par.1.verbo. Exemptio.

Quid plura? etiam Profugos, & Apoſtatas, cæteroſq; extrà Religionem licitè, vel illicitè diuerſantes, ſola Pontificij Empyrei poteſtas immediatè complectitur, vltra Regulares Prælatos, ſuos ſibi in ordinarios conſtitutos, quibus adhuc obſtricti remanent Religioſæ obedientiæ vinculo, quàmuis Religionis habitum exuerint, neq; .n. huius abiectione, pariter abiecisse dicēdi ſunt ius gaudendi priuilegijs eius ſtatus quem deteſtantur; quippe de genere perſonalium priuilegiorum huiuſmodi cenſeatur exemptio, quæ ideo loco, aut Monaſterio ita nō ſit addicta; vt pereat extra morantibus: quemadmodum etiam de clericali priuilegio nulla ſit ab huiuſmodi Apoſtatis, profugioq; iactura c.ſi quis ſuadente Diabolo.17.q.4. Communi Doctorum calculo ſuffragante.

40 Ecce quantùm Regularis omnis Congregatio Maximo Paſtori debeat, à quo, ceù à beneficentiſſimo Empyreo, tantam retulit poteſtatem; vt vſquequaq; ab extraneis dominatoribus libera, ipſi ſoli glorietur colla in terris præbere; à quo etiam ſuauiſſimè, abſq; agitatione, ſoloq; placido influxu omnia gubernante, in tanta poteſtate relinquitur ac libertate; vt benè intelligas quomodo conſtet ſimul, & ſemel has Regularium Reſpublicas eſſe Ariſtocraticas, alias Monarchicas, aliæ aliam politiæ diuerſam temperiem miſceant; cum nihilominùs vnà ſit fidelium, atq; Religioſorum omnium Sancta Eccleſiæ Monarchia: quia nimirum, ſicuti nō incongruit Catholicos alios, & alios populos proprijs, atq; diuerſis dirigi politijs, ſiue in

Ariſtocratiam, ſiue in regnum; quia, licèt in ſpiritualibus communem vnum profiteantur Monarcham CHRISTI Vicarium; in laica tamen politia liberi ab hoc relinquuntur: ita poteſtatis, ac libertatis ſupremum Empyreum Apoſtolicum Regularibus tãtum impendit; vt ſuas hi valeant efformare diſtinctas, & gubernare Reſpublicas.

41 Et re vera quid non impendit? quid ſibi reſeruauit, quod Reipublicæ dirigundæ neceſſarium reputetur, & obuium? præter generalem de qua egimus exemptionem ab Epiſcopis, & collationem iuriſdictionis in Regulares Prælatos, priuilegia exundant ab huius Empyrei beneficentia; quorum ſinguli ferè ordinum Religioſorum ſunt prædiuites. Noſter Oliuetanus cum primis in quarto iam ſeculo ab inſtitutione ſua, ſucceſſiuè ſemper ijs adauctus, pro ſingulari ſuccedẽtium omnium Pontificum in ipſum ſtudio, de quo aliquid priori Tomo incidenter innuimus, occaſione facta ex ambitionis vitio benè cõſtitutam Ariſtocratiam non infeſtante.

42 Supremus quidem Apoſtolicæ poteſtatis in Regulares effectus eſt ſolius, in eorum votis ſolemnibus diſpenſare, quod inferiorum Prælatorum nemini cõmunicatur. Immò arduum viſum eſt nonnullis, quòd ipſe Pontifex Maximus id poſſit; inter quos Doctor Angelicus 2. 2 q.88. ar.11. Sic fatus: *Papam non poſſe facere, quòd ille qui profeſſus eſt Religionem, non ſit Religioſus; licet quidam Iuriſtæ ignoranter contrarium dicant.*

Verùm probationes deſidero, quare nequeat Summus Paſtor in votis Religioſorum ſolemnibus diſpenſare. An non diſpenſat ſuper profeſsione religioſa, quæ eſt quid maius, tanquam totum vota includens, vt partes? Non apparet vnde limitetur ad hoc latiſsima illa D. Petro collata poteſtas: *Quodcunq; ligaueris, quodcunq; ſolueris &c.* Quidnam prohibet, quòminùs ſolemnis profeſsio intrà vniuerſale illud *quodcunq;* contenta, valeat diſſolui?

43 Si aliquid prohiberet; vel eſſet Diuina conſtitutio, vel humana: illa non adeſt, iſta non ſufficit; igitur diſpenſabilis eſt

per Apostolicas claues Religiosa professio. Ius diuinum de indispensabilitate huiusmodi nullum adesse, sic arbitror satis manifestari: etenim, cum duplex illud sit, alterum naturale, alterum positiuum, neutrum impedit; immò veriùs ius positiuum Diuinum circa Religiosam professionē nullum est præceptiuum, sed tantummodo institutiuum: Religiosus.n.status in genere à CHRISTO Domino fuit institutus; non autem sub præcepto datus, ab omnibus necessariò assumendus, sed solùm à studiosis perfectionis maioris; quibus nihil etiam mandatum diuinitùs est, post assumptum statum istiusmodi perficiendum; quippe eius obseruantia firmari positiuo Dei præcepto minimè indiguit, quæ naturali satis erat lege firmata, qua Deo obnoxia per votum non licet retrahi: & si quando in Scriptura Sacra huiusmodi proponitur obligatio, non inde aliquid positiuè præcipitur, sed naturalis iuris obligatio insinuatur tantùm. Cum igitur ius Diuinum positiuum non adsit vllum de professione Religiosorum, non rescindenda præcipiens, hinc non ligabitur Apostolica manus, quæ omnia ligat, & soluit.

44 Ius verò Diuinum naturale de indispēsabilitate caussari potest inesse professioni Regularium; aut ex ipsa rei natura; quasi contractus omnis humanus ad fidem obliget suaptè, & inuiolationem; aut ex peculiari obligatione, quam docet natura de re haberi Deo deuota. Atquì primum est procul à vero: non est quandoquidem humanus contractus vllus, vllumq; vinculum ciuile, quod publicæ potestati maneat indissolubile, si præcisè in ipsa natura vinculi persistamus: discurrito, & inductione singula perquirito. & multò magis, si publica dissoluens potestas non sit purè humana, sed supernaturalis, qualis Apostolica est. Vnde etiam in rato Matrimonio posse hanc dispensare, si iusta non desideretur caussa, communis tradit opinio: & tamen ex arctioribus nexibus Matrimonium reputatur inter humanos. nil igitur minùs professionis vinculum solubile erit dicendum per potestatem eandem, cum pariter humanitùs cōtrahatur, & per mutuum consensum, vt fertur in c. ad Apo-

ſtolicam. De Regular. Quod ſi Matrimonium conſumatum ſit ſtabile, & diſpenſationis cuiuslibet incapax, aliunde id oritur nempe ex addito vſu, quo ſpecialiter firmatum eſt vinculum & ius proli generandæ acquiſitum; minimè verò ex ipſa natura humani vinculi, quod ſit publicæ poteſtati inſolubile.

45 Alterum nihil officit: ſit .n. quoad velis verum, naturalem obligationem conſurgere cōſeruandi Deo, quidquid huic fuerit ſemel voto obnoxium; hoc nihilominus ius naturale Apoſtolica quandoq; diſpenſatione diſrumpi, neq; indiſſolubiliter illigare oſtendit diſpenſatio, nemini controuerſa, de votis ſimplicibus, ſuper quibus diſpenſare poteſt Supremus Rector Eccleſiæ, tam in Religioſis, quàm in laicis; & nihilominus materia votorum ſimplicinm obligatur Deo, non minùs atq; ſolemnium. Quid ergo hoc? prohibebitur vnum, & non prohibebitur alterum; cum ſit amborum par tenacitas vinculorum, quantùm ex parte eſt obligationis Deo exhibitæ?

46 Solemne votum à ſimplici nihil differt, niſi ratione ſolemnitatis; atq; traditionis, quam de ſe exhibet Religioni qui ſolemniter vouet. Sed quid obſit ſolemnitas poteſtati Pontificis Maximi, ne votum ſolemne, ſicut & ſimplex adimat diſpenſando? Nonne ab hac eadem poteſtate votorum eſt inducta ſolemnitas; & quæ inſtituiſſe potuit, erit impos auferre? Alterum verò, quòd in ſimplici ſit pura promiſsio ſed in ſolemni ſuperaddatur traditio, abſit quòd infirmet, quin magis propoſitum firmat. prorſus vt hinc ſumpſerint aliqui diſpenſabilitatis præcipuum argumentum; ſic .n. non imprudenter ratiocinantur. Hominis Politici voluntas, quatenus talis, & ad commune Reipublicæ bonum ordinati, nunquam non ſuo capiti per omnia ſubordinatur in ijs, quæ ad commune bonum per ipſum adiudicata fuerint pertinere; Igitur Religioſus quiſquis, dum ſe in profeſſione tradit Eccleſiaſtico Monarchę, tam arctè nunquam ſe poteſt dedere; quin ſemper includat conditionem tacitam, quoad vſq;, & quomodò ei libuerit, à quo acceptatur: ſitq; traditio nō abſolutè ex inde obligans in perpetuum,

sed quamdiù Caput communitatis, quam profitetur, ob commune bonum non censuerit obligationem professionis relaxandam.

47 Ad extremum: indispensabilitatem professionis Religiosę, non parit ius acquisitum Deo, aut Religioni. Non primum; quia non minùs iuris acquisitum erat Deo per simplicem promissionem in voto non solemni, quàm per promissionem solemnem voti, cum traditione simul: etenim sicut rem, semel alicui dono datam, nemo valet donanti reddere, nisi ipsemet, qui eandem dono acceperit, ita de promissione, nemo eam potest remittere, nisi ipsemet cui facta est, vel alius eius nomine, & ab eo facultatem accipiens. Cum igitur promissionem simplicis voti Pontifex Maximus reuocet dispensando, quid ni etiam traditionem, atq; promissionem solemnis?

Virtute quippe Diuina, & potestate non humana, sed cælitùs accepta ad hasce dispensationes Cœli Ianitor progredietur; Quomodò Innoc. à simili in c. Inter corporalia. De Translatione Episc. ***Non humana,*** inquit, ***sed potius Diuina potestate dissoluitur coniugium spirituale, cum per translationem, depositionem, aut cessionem authoritate Romani Pontificis, quem constat esse Vicarium*** Iesv Christi ***Episcopus ab Ecclesia remonetur.*** Nil igitur mirum, si in his, quæ ad Deum pertinent, homo se se ingerat potestate fretus Diuina; & si vniuersale bonum intendens Ecclesiæ, cui est Præfectus; vt hanc Deo seruet incolumen, & immaculatam, censuerit expedire particularis voti quantumuis solemnis dispensationem.

Quod est deinde Religionis, inutiliter caussabimur ex iure illi parto super professum Monachum, potestatem adimi Summo Pontifici rescindendi professionem. Nullum siquidem ius Religionibus paritur independenter ab Apostolico, cui subsunt, Patre: quasi qui eas condidit, seu firmitatem institutionibus earum dedit, qui potestatem fecit omnem, quantacunq; illis inest; habeat postmodum ipsarum iuri concedere, quo minùs operari queat in ijs, quidquid sibi magìs visum fuerit pro

Pastorali suo munere expedire: quasi passim non videamus authoritate Apostolica dispensari, vt Regulares semel vni Religioni donati transferantur ad aliam, etiam laxioris instituti; iure nihil obstante, quod posset sibi prior Religio vendicare, in qua priùs est emissa translati professio.

48 Agè per singula votorum Religiosorum incipiamus excurrere. In voto Castitatis solemni sanè aliquando per Sedem Apostolicam est dispensatum: vt cum Ramiro, non solum Monacho, sed insuper Sacerdote, de Aragonum genere Regum dispensatum fuisse, propter successoris Regij defectum, vt Monasterium deserens, vxorem duceret, ex qua filium habuit, qui successit in Regno, testatur Anchar. cons. 339. nu. 2. Et satis celebre illud habetur, quod ex Bern. Iustiniano Surius refert in vita S. Laurentij Iustiniani: deficiente nobilissima familia, belloq; eius absumptis reliquijs, dispensasse Alexandrum 3. P.M. cum vnico superstite ex illo genere Monacho Nicolao. Eundem itidem Pontificem Maximum constat pari vsum dispensatione cum filia Gulielmi Siciliæ Regis Cõstantia, quæ in Monasterio iam professionem emiserat, vt Henrico nuberet Friderici Ahænobarbæ filio, ad Sobolem Gulielmo patri suscitandam. De alio Casimiro idipsum legitur Poloniæ Rege, qui postquam in Benedictinas iurasset leges, per Pontificiã dispensationem duxit vxorem. Et sanè in his Castitatis votum dissolutum est, quoad omne vinculum absolutè, nedum ad tempus, & quoad vsum; nam potestas vxori facta est per coniugium petendi debitum viro, qui ei tenebatur semper conuiuere. Non eam tamen inficias, potuisse in dispensatione conditionem apponi regressus ad Monasterium post amissam vxorem, quatenus huius interitu extinctum reuiuisceret votum. Ergo ne Pontifices Sanctissimi, doctrina, ac pietate referti, assistentia insuper Sancti Spiritus in re tanti ponderis ducti offenderint, vt temerè ad rem non sui Iuris suam authoritatem extenderint?

49 Sed quare non sui Iuris? An quod promissio iure Diuino

obliget naturali, quam nullatenus rescindere liceat? Non sanè: quia potestas supernaturalis, qualis est Apostolica limites non obseruat à legibus naturalibus positos, & in simplicis voti promissionem dispensatio cadit; cum nihilominus illa parem obligationem ex lege naturæ retineat. Aut officiet adiuncta solemnitas, vel ipsa indissolubilis Religiosi status essentia? Nihil minus: solemnitas de Constitutione Ecclesiæ inducta, esse nequit impedimento supremæ potestati Capitis Ecclesiastici. Neq; de se Religiosus status absolutè dispensationis est incapax, qui vt dicebamus præcepti Diuini positiui cuiuscunq; est expers; in institutione dumtaxat generaliter à CHRISTO dependens. Sed neq; huiusmodi indispensabilitas suadelam habet peculiarem ratione materiæ, quæ continentia sit, nullo potens æquiualenti bono redimi, & compensari; nam vt daretur, nullum particulare bonum virtuti continentiæ æquiualere: commune tamen adhuc superest præponderans bonum, in cuius gratiam illius patuihabeatur iactura. Sed illud omninò falsum est, quod continentiam bonis cæteris præfert, nam solis externis eam anteposuit bonis Syracida, cum ait: *Omnis autem ponderatio non est digna continentis Animæ*. Eccl. 26. Cæterùm quis præstare nesciat cõtemplationem, atq; Martyrium, vt Theologi docent 2.2.q.8.ar.2.? Nec tamen ideo necesse dicam in dispensatione super Castitatem hanc, aut Martyrio, aut contemplatione redimendam; cum in solius publici commodi gratiam sufficiat dispensationem dari; quòd .n. illud priuato commodo præstet, obuium suadet à præscriptione argumentum, in qua, communis gratia boni, ad comprimendas scilicet lites, aufertur Dominium rei à Domino vero, vt transferatur in præscribentem. Et multò magis, annuente Domino ipso, & consentiente, translatio illa Dominij in alium iniustitia vacat: hoc autem pacto consentire Deum par est credere, vt sibi partum dominium per professionem, & vota Religiosi, oblitetetur, suo Vicario, iustis ex caussis, sic dispensante.

50 De votis alijs, Paupertate, ac Obedientia quid statuimus?

idipsum prorsus: pares .n. sunt votorum omnium de dispensabilitate rationes: quia nimirum facultatem habens dispensandi in voto simplici,& in superaddito solemnitatis,& in traditione,comitante professionem Religiosam,is apprimè in votis solemnibus potest dispensare. Atqui pauperiem simpliciter Deo promissam valet Pontifex Max. reuocare; solemniter item promissam,quia ipse solemnitatem instituit; traditionem tandem nil vetat dissolui si caussa institerit potioris boni totius communitatis. Quid ergo desideratur potestatis in ipso Romano Antistite ,vt licitè super voto solemni paupertatis dispenset, aut obedientiæ, sicut & Castitatis?

51 Immo Doctores non desunt, qui asserant de facto in duobus ijs Pontificem dispensare, quandocunq; ad Episcopalem Cathedram Regularem aliquem assumit de Claustro; solo nimirum remanente in Episcopo Castimoniæ solemni proposito, ob annexionem eius cum ordine Sacro. huiusmodi Papæ ipsius videtur sententia in c.vnico. 18.q.1.ibi: *Monachum quem canonica electio à iugo regula monasticæ professionis absoluit*. Et re verà non vouet Religiosus obedientiam qualemcunq;, sed iuxta Regulam tantùm: quocirca si à Regularibus cunctis eximatur oneribus, atq; præceptis, quidni etiam ab obedientia, quæ, præceptis regulæ demptis, nulla superest? ita autem est, vt Episcopus Regularis, ex sola congruentia honestatis, regulæ suæ deinceps statutis adhæreat, nullo debito impellente, quasi transgrediens, in reatum aliquem incideret.

Consimilis de voto paupertatis quoq; Pontificia habetur sententia in d.c.vnico, vbi inter loquendum de Regulari Episcopo, hæc habentur: *Velut legitimus hæres, paternam sibi hæreditatem postea iure vendicandi potestatem habet*. Ecce quomodo Religiosa paupertate sublata, Episcopo ius accedit sibi proprium vendicandi, & verò dominio, quod illa excludit, possidendi hæreditatem: cum vendicare, & sibi acquirere, solis, verisq; Dominis competat,l.in rem.ff.de rei vendicatione. Insuper quoad hoc non est discrimen inter Secularem, & Re-

gularem Episcopum, sed vtrisq; sua portio adiudicatur cum libera administratione, & dominij facultate in alium transferendi: De quo latè, cum de voto paupertatis. Et hìc ad nos parum, qui rationibus magìs innitimur, initio inductis pro dispensabilitate solemnium votorum omnium, & singulorum, quàm super facto Episcoporum, an ita sit, vt verè in his, quoad pauperiem, & claustralem obedientiam, dispensetur, ex toto, vel potiùs non nisi relaxentur, quoad vsum eorum vota, olim in Religione præmissa, vt malunt alij; quatenus Episcopali honorificentiùs, & commodiùs muneri obeundo, exercitio solùm actuali parcatur Regularis obedientiæ, ac paupertatis; quæ relaxatio eò nihil indeceat, quòd bono perfectiori conducit Episcopatus.

52 Hoc quidem constanter appingimus, quòd facta super votis solemnibus dispensatione, status item Religiosus de consequio pereat; neq; .n. absq; ijs est potis consistere, quæ sibi essentialia sunt: vsque adeo quòd Pontifex dispensans cum aliquo super obedientiam, intelligens nihilominus ipsum de Religioso non educere statu, extra claustra priuatò sibi viuens, ad obseruantiam suæ regulæ relinqueretur addictus; & obedientiam aliquam adhuc intelligendus esset retinere, ad Apostolicam saltem sedem; obedientiam inquam, non generalem, quæ fidelium est quorumcunq;, sed particularem, quæ Religioso statui adest propria, super quo dispensare Summus Pontifex non intellexit. Propterea dogma est S. Thomæ 2.2.q. 186.ar.8.ad 3. Papam dispensare non posse cum Regulari, ne Prælato alicui parere teneatur in his, quæ ad perfectionem vitæ pertinent; nam, sicut huiusmodi sunt à Religioso statu inseparabilia; ita & quæuis obedientia super hæc cadens; iuxta quod etiam dixerat q. 185. art. 8. ad 3. Cum transeuntibus à Religione ad Episcopatum, in voto obedientiæ non dispensari, sed veriùs intercedere solam mutationem subiectionis, quæ nouiter soli Summo debeatur Pontifici; cum antea Prælatis etiam Regularibus deberetur. Quare, si proprietati sermonis studeamus, ad-

adhuc veriùs limitationem dicemus, quàm dispensationem, aut translationem obediētiæ, quatenus quæ duplex antea erat, simplex deinceps remanet ad solum Pontificem.

53 De votorum tam solemnium, quam simplicium commutatione superfluum est superaddere: ostensa siquidem dispensandi (quod longè maius est) potestate, infertur à maiori ad minus etiam commutandi: Hanc commutationem dicere possumus quadantenus intercedere, quando ex Pontificio indulto, Religiosus asperioris obseruantiæ ad Regulam transitat laxiorem: estò .n. substantialia vota paria vbiq; sint in Religionibus singulis; permultùm tamen interest quoad circumstantias, modumq; ea custodiendi, inter Benedictinam puta Regulam, & Franciscanam. Immò potestas hæc votorum commutatiua, tanquam leuius quid, solet etiam Prælatis aliquibus Regularibus à Summo Pontifice impartiri; argumento quòd sit in ipso plenissima; quandoquidem alteri nemo dat, quod non habet.

54 Amplissimus hic Apostolici Empyrei complexus, quo Regularium Aristocratia nostra, nec non generis cuiusuis eorundem Respublica continetur, cuius potestate, participata immediatè, à suis Magistratibus regitur, ac gubernatur, hinc ex Dominatiua potestate procedit, quæ per traditionem profitentium solemniter Religionem consurgit, qui se vt Deo dedant, eius Vicario tradunt in terris; inde ex latissima iurisdictione, quæ Pontifici Maximo inest duplex, respectu eorum, qui in Religione Diuinis mancipantur obsequijs: hi .n. cum iure Diuino sint laicæ potestatis immunes, ne omninò vagentur exleges in his quæ ciuilis, & temporalis sunt fori, subijciendi erunt Christi Vicario, qui virtute Diuina qua regnat, vtrumq; immediatè in ipsos Principem agat, spiritualem, ac temporalem. Quod vt dilucidiùs innotescat, & Apostolici nostri Empyrei magis super Regulares statuatur authoritas; necnon horum clarescat nobilitas, qui tanto soli Monarchæ subijciuntur in terris, adhuc superest adijciendum, quomodo

temporale dominium Sedem Apostolicam non indeceat; super certas prouincias præsertim (nam hoc maligniùs calumniari videntur hæretici) & exinde multò certiùs habendum erit, super Religiosos viros temporalem dominationem non prohiberi ei, qui hac alicubi gaudet in Laicos. Et vice versa laico Principi ostendemus nulligenam competere in spiritualibus potestatem. Demum ius Diuinum de Ecclesiastica Immunitate, maiori quàm Scholarum sit diligentia, & suauitate prosequemur.

CAPVT X.

Romano Pontifici non esse indecens vtile, & actuale dominium super certas Prouincias in temporalibus.

ELENCHVS.

1 *PIetas Secularium Principum se, suaq; in obsequium S. Ecclesiæ deuouentium, cum primùm conuerterentur ad Euangelicam fidem.*

2 *Donatio magnifica Constantini S. Ecclesiæ verbis refertur authenticis.*

3 *Ecclesiasticam Dotem, qui inuaserint, recuperarint, & auxerint.*

4 *Mechtildis, Normannorum fratrum, & aliorum Principum erga Apostolicam Sedem munificentia.*

5 *Errores extremè de Constantiniana donatione opinantium.*

6 *Papam vniuersi orbis Dominum imprudenter asserunt nonnulli.*

7 *Affertur pro hac opinione Doctor Angelicus.*

8 *D. Thomæ locus explicatur lib. 3. de Regim. Princ. c. 16.*

9 *Altera ad eundem sextum explicatio additur.*

10 *Ostēditur nō potuisse in D. Thomæ incidere mentē relatā sentētiā.*

11 *Vnde habeat Summus Pontifex opum splendorem, secundùm D. Bernardum.*
12 *Donationem factam Ecclesiæ à Constantino, alij commentitiam dicunt, alij inofficiosam, vel irritam.*
13 *Vnde tantus Hæreticorum liuor in Ecclesiastica bona.*
14 *Quam insulsè veritatem donationis Constantinianæ aliqui inficientur.*
15 *Eiusdem donationis inofficiositas producitur perperam.*
16 *Non licere Vicario* CHRISTI, *& Ecclesiasticis tēporalia possidere, ex quibus scripturis contendant Hæretici.*
17 CHRISTVM *Dominum non tradidisse inquiunt Vicario suo, quo ipse caruit, actuale dominium temporalium, dato etiam quòd potestatem, aut habituale dominium tradidisset.*
18 *Inde oblata à Principibus bona non debuisse Pontifices recipere, exemplo Saluatoris, & Apostolorum.*
19 *Secùs videretur Ecclesia variata eadem non permansisse, temporalem dominationem indepta.*
20 *Exempla legis veteris inducuntur, quibus Regnum, & Sacerdotium incompatibilia indicantur.*
21 *Multò magis id verificari in nouo Testamento docet Nicolaus PP.*
22 *Apud Ethnicos, Sacrorum, & murorum Magistratus discretus, & ratio prohibetur ex difficultate rectè persoluendi munus vtrumq;*
23 *Sacerdotij, atq; Regni antithesis.*
24 *Gladij, tum bellici, tum ciuilis tractatio Secularium Principum propria, maximè indecora Sacerdotibus.*
25 *Regnum Cælorum traditum Pontif. Maximo, non ergo terrenum, illi oppositum.*
26 *Satisfit singulis: Et primò nec apud ipsos Hæreticos veram esse Ecclesiam, si hac opes debeat deuitare.*
27 *Ipse* CHRISTVS *Dominus suam tempore opportuno ditauit Ecclesiam; & diuitiarum suaderi contemptum in Euang. non autem prohiberi possessionem ostenditur.*
28 *Cur Ecclesia primordijs fuisset Regnum intempestiuum.*

29 *Apoſtoli aliquando dimiſsi à Domino mendicatum, alias cum ſacculis, & citareijs.*

30 *Iidem oblata recipiebant ſtabilia bona temporalia; ſed cur non Ieroſolymis.*

31 *Eandem eſſe Eccleſiaſticam Rempublicam diuitem, atq; inopem, exemplo, & ſcripturis firmatur.*

32 *Vinea, & Columbæ ſimilitudo adhibetur Eccleſiæ ad hoc, inter cætera.*

33 *Refellitur quod de Leuitis opponebatur in veteri Teſtamento.*

34 *Antè, & poſt ſcriptam legem ijdem ſacris præfuerunt, atq; prophanis: quòd temporalium adminiſtrationem Hebrei à Samuele ſubduxiſſent, Dominus improbauit.*

35 *Diſcrimen inter Eccleſiam, & Synagogam; quòd illa regale Sacerdotium, hæc Regnum Sacerdotale ſint appellata.*

36 *Temporalium Regno Eccleſiaſticorum teſtimonium datur ex Apocalypſis 5.*

37 *Circumſpectè à Nicolao PP. dictum, ne Imperator Iura Pontificis vſurparet; Pōtifex verò ab Imperatoris ſolo nomine abſtineret.*

38 *Apud Ethnicos non inſuetum, vt Sacerdotibus commendaretur Regnum.*

39 *Temporalium Regnum potiùs iuuat ſpiritualium promotionem, quàm impediat; Sanctiq; non defuere Eccleſia ditata Pontifices Maximi.*

40 *Citra ſanguinis effuſionem poſſunt à Sacerdotibus tēporalia ſceptra tractari.*

41 *Spiritualium, & temporalium regna minimè ex oppoſito diuiduntur, ita vt vnius collatio collationem excludat alterius.*

1 VT primùm infidelitatis tenebras, à terrenorum Dynaſtarum mentibus, lux Euangelica diſpulit; ſacra hi vaticinia contuentes, quibus Eccleſiæ, Regum mamilla lactandæ, gens, & regnum, quod non ſeruiſſet deſtinabatur perire; certatìm Principes glorioſiſſimum ſunt arbitrati, ad Apoſtolicum ſolium, ſua ſerta, & ſceptra proijcere. Qui, in antiquo

dominatu mundi, præcedebant: *Procidebant seniores ante sedentem in throno; & adorabant viuentem in secula seculorum; & mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem; quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* Apoc. 4.

2 Constantinus præcipuus, agnoscens Romanorum Imperium, quo potiebatur, subdendum lapidi illi, sine manibus abscisso, qui proruens, in Regnorum colossum impegit. Dan. 2. illud S. Ecclesiæ, in manu Syluestri Papæ, renuntiauit; notandis hìc, licet prolixioribus, verbis c. Constantinus dist. 96. *Vt Pontificalis apex non vilescat, sed magìs, quàm terrestris Imperij dignitas, gloria, & potētia decoretur: ecce tàm palatium nostrum, quàm Romanam vrbem, & omnes Italiæ, seu regionum Occidentalium prouincias, loca, ciuitates, præfato Beatissimo Pontifici nostro Syluestro, vniuersali Papæ, contradimus, atq; relinquimus; & ab eo, & à successoribus eius, per hanc Diualem nostrā, & pragmaticum constitutum, decernimus disponenda atquè iuri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ concedimus permansura. Vnde congruum perspeximus, nostrum Imperium, & Regni potestatem in Occidentalibus transferri regionibus, & in Bizantinæ prouinciæ optimo loco nostro Ciuitatem ædificare; & nostrum illic constitui Imperium; quoniam, vbi Principatus Sacerdotum, & Christianæ Religionis Caput, ab Imperatore Cælesti, constitutum est; iustum non est, vt illic Imperator terrenus habeat potestatem. Hæc verò omnia, vsquè in finem mundi, illibata, & inconcussa permanere decernimus, &c.*

3 Quam ab Ecclesia dotem, Barbaris postmodùm Romam, & Italiam populantibus, ereptam, diùq;, iniqua possessione, detentam, Arithpertus pius restituit Longobardorum Rex, religionis stimulo tactus, Auorum tyrannidem detestatus, qui dudum Ecclesiasticum occuparāt Imperium, Ioanni VII. P. M. Rauennatem Hexarcatum resignans, cuius nomine veniebat, vt ferunt, quidquid Apenninum montem inter, & Padum, à

Placentinis finibus in agro Ticinensi, vsq; ad Venetorum paludes, & Adriaticum mare coerçebatur; Insuper & Alpes Cottias addidit, Liguriam vsq; ad Galliarum fines comprehẽdentes. Luitprandus, & duo sequentes Longobardi Reges attributionem eandem firmarũt; donec quartus ab Arithperto iniquus insurgens Aistulphus, Ecclesiasticam pacem antè diuexare non desijt, quàm Hexarcatu potitus, à Carolo Magno debellaretur; qui Stephano II. P.M. omnia recuperauit, à quo fuerat, in Ecclesiæ Sanctæ defensionem, accitus. Sed Desiderio Longobardorum vltimo Rege, contrà datam fidem, loca eadem inuadente; idem Carolus Longobardicum nomen penitùs, in Italia, deleuit; donationes antiquas, & iteratò defensas, non modò Apostolicæ Sedi restituens; sed munificentiùs augens; Adriano Pontifici obtulit, cum Spoletano, & Beneuentano Ducatu, quidquid, vt scribitur, Lucam inter, & Parmam, Lunam, & Nicæam Vari concluditur. Sequacibus Imperatoribus confirmantibus; Ludouico præsertim, cui factum idcircò cognomentum Pij; cuius amplissima concessionis legitur forma dist. *63*. c. Ego Ludouicus.

4 Mechtildis deinceps Religiosissima Comitissa, Henrici Imperatoris exercitum timens, Liguriam, & Tusciam, Prouincias, Gregorio PP.S R.E. deuotissimè obtulit, anno MLXXIX. & moriens, Apostolorum Principi Patrimonium fecit, quidquid à S. Quirico agri Senensis, vsq; ad Ceperanum, mari clauditur, & Apennino.

Vtramq; Siciliam, Græculis ereptam, & Barbaris, Normanni Tancrediades fratres, Romanæ deuouerunt Ecclesiæ; à qua primùm Rogerio, cum Regali titulo, est attributa in fæudum. Vltrò plures alij Reges iuri Apostolico se se submisere fideles; Merciorum, Anglorum, & Saxonum Occidentalium, gloriabundi de fascibus ad Pontificios pedes proiectis.

5 Malignus hostis tantam Ecclesiæ gloriam non tulit æquanimis; sed, àb inferorum portis, rabidum furiarum emisit agmen, quæ, nouerint quãtumuis se nunquam præuabituras; de-

ſperato tamen Marte configant: Noua non parcit maledictorum arma ſuggerere, quò remoretur ſaltem, ſi non detur mergere Nauiculam Petri; ſcandalorum fluctibus inundantibus.

De Conſtantini donatione, vndè primò in actuale dominium ſuprema Pontificis temporalis poteſtas erupit, decipiuntur, & margine decidunt incedentes extremo; & qui nimio, erga Apoſtolicam Sedem, religioſo zelo, eam, pluſquam opus ſit, euehunt; & qui in eandem maligno inuehuntur liuore.

6 Sunt Catholici, de quibus Gerſon aiebat, mirificè Pontificiæ dignitati abblandientes, qui, pari lance, CHRISTVM, eiuſq; Vicarium trutinantes, nihil norunt inter vtrunq; diſcriminis; Sicuti data eſt vni omnis poteſtas in Cœlo, & in terra; ſuper Angelos, Beatos, & Damnatos, omnia tradita ſunt à Patre eius, qui illum conſtituit hæredem vniuerſorum; ità hic alter, nihilò inferior, authoritatem, & potentiam omnem, ſuo merito, & perſonæ dignitate, exhauriat; & non potiùs Vicaria fruatur poteſtate, quantùm opus ſit, ouili Chriſtiano paſcendo, limitata. Hi rentur Principes terrenos omnes, aut ſaltem Chriſtianos, à Vicario CHRISTI, emendicata gerere ſceptra; vt veluti non eſt poteſtas niſi à Deo; & ex permiſſione CHRISTI, qui mundum ſibi redemit, ſinguli dominantur; non aliter Romani Pótifices patiantur, precariò, regnare actualiter Principes ſeculi, ſibi reſeruantes ſolam habitualem poteſtatem, cum vtranq; iure ſuo poſſent repetere: & in hoc fundatas volunt tranſlationes Imperij, & Regnorum inſtitutiones, ac deſtitutiones, per Summos Pontifices, olim præſtitas.

Zelus certè non ſecundùm ſcientiam. Vt nimis contendant, nihil obtinent. Cameli his quadrat Apologus, qui, vt cornua conſequeretur, amiſit etiam aures. Poteſtatis exceſſus, quem non ſufficienter aſſerunt, iuſtum quoq;, & rationabile reddit ſuſpectum: *Arma tenenti, omnia dat, qui iuſta negat.* Lucanus. Aegrè ſentiunt ſeculariter aliqui dominãtes ipſam habitualem Pótificis poteſtatẽ in temporalibus, quid ſi & actualem prædices? Qui molli ſpecio vulnus ſcrutari, & fomentis demulcere

haberent, crudeli ferro ſcalpentes, exulcerant, vt recrudeſcat.

7 Aſſertum his eſt: Pontifices terrenam dotem non accepiſſe à Conſtantino gratuitò oblatam, ſed recepiſſe debitam; quaſi poſtliminio reuertentem. Placito huic ità ſuffragari videtur Doctor Aquinas Opuſc. 20. de Regimine Principum ad Regem Cypri; vt qui doctrinam tanti Doctoris profitentur, & reuerentur; quacunq; expoſitione deſperata, id ſolum perfugij habuerint, ſi ſuppoſititium, & ſpurium opus id D. Thomæ negaſſent: porrò habet lib. 3. c. 16. *Opportuno igitur tempore, vt manifeſtaretur mundo Regnum* Christi *compoſitum; virtus Principis noſtri* Iesv Christi *Principem mundi ſollicitauit, Conſtantinum videlicet, percutiens eum lepra, ac ipſum curans ſupra humanam virtutem; qua probata, in dominio ceſſit Vicario* Christi, *B. videlicet Syluestro, cui de iure debebatur, ex cauſis, & rationibus ſuprà aſsignatis*. Sed immeritò Opuſculum illud pro Thomiſtico non recipitur; etenim, & inter cætera Angelici Auctoris Opuſcula ſemper inſertum eſt, & connumeratum; nec negatiua pars probabilitate ſuadetur aliqua; quin potiùs, & ſtyli candor, & doctrina ab alijs eiuſdem libris non diſcrepat: Similia nanq; habet, de Christi Regno temporali, 3. p. q. 69. ar. 4. & in fine 2. ſent. d. 44. & ſuper 2. Cor. c. 11. lect. 2.

8 Non propterea fauent admodum S. Theologi verba contendentibus Conſtantinum non dediſſe, ſed reddidiſſe Romano Pontifici actualis dominij regnum. Manifeſtat quippe ille quid ſentiat, dicens: *Cui de iure debebatur ex cauſis, & rationibus ſuprà aſsignatis*. Superiùs autem nil aliud egerat, quàm Christi Domini oſtendere excellens iuris dominium, quomodò ſteterit cum eius inopia, abſq; actuali vſu facti. Quarè, ex his præmiſſis, nil deduxiſſe potuit, præter dominium iuris, & excellens, debitum iam fuiſſe Syluestro; vt ſit ſenſus: Conſtantinum obtuliſſe dominium facto, cui iamdiù iuris debebatur, ex rationibus præallegatis; quòd nimirùm Christvs hoc dominium habituale, & iuris poſſederit, ſuoq; Vicario dereliquerit.

9 Alius latet ſenſus in repenſatis verbis: *Cui iure debebatur*; videlicet, ex diſpoſitione Diuina, tunc deberi inceperat Regnum, quia paratum illi fuerat, & adiudicatum; quò tunc inciperet Eccleſia Sancta de præteritis reſpirare preſſuris, & in maieſtate conſurgere; ne ab indè contemptibilis redderetur Imperatoribus; iàm ad eius obedientiam accedentibus; quibus fortè ægrè ferendum fuiſſet, abiecto, profugo, vt eòuſq;, ſubeſſe Pontifici. Debebat quidem Romanum Imperium Christi Domini procidere Regno, vt prædixerat Daniel; ſed, antequàm deuolueretur, non debebatur, niſi in futurum; Vnde citatus S. Doct. habet: *Opportuno igitur tempore*; quaſi antè illud intempeſtiua fuiſſet oblatio, non antè debita, iure Pontificatus.

10 Secùs; placuerit tanto Doctori adiudicare debitum Apoſtolicæ Cathedræ, quidquid Imperator eſt muneratus temporalis actualis dominij: Cedò; an de vniuerſo orbe fuerit idipſum debitum, an de ſola portione, quam donari contigit? Si hoc dicitur; præterquàm temerè dicitur, nulla in ſcripturis, aut traditionibus Patrum, apparente huiuſmodi determinatione; non vincitur quæſtio; ſed hæremus eidem luto; cum non aliud dicatur, niſi, Diuina inſtitutione fuiſſe præordinatum, vt Syluester P. M. media humana oblatione Imperatoris, opportuno tempore tantundem actualis dominij reciperet, quantum per illum dari decreuiſſet Omnipotens; Sin verò aliud eligatur, ergò Conſtantinus, partem reſtituens, & partem ſibi retinens, hactenùs fuit Tyrannus; & ipſe, & cæteri quicunq; dominantur in Orbe, in Eccleſiaſticam graſſantur Hæreditatem, occupant reddenda Eccleſiæ omnia; cum tamen aliqua ad Cæſaris iura pertineant, ipſi reddenda, Domino pronunciante.

Neq; dixeris à Romano Pontifice Principatus ſibi debitos, ſpontè terrenis Principibus indulgeri, tanquàm ſuis Vicarijs; Nam, præſertim de infidelibus dominantibus fallit; cuius modi habere Vicarios non eſt è ſententia illius: Veri nihilominus ipſi Domini ſunt, quibus obedire ſui tenentur ſubditi.

Nusquam saluabitur quod, in Ecclesia, canit Sedulius: ***Non eripit mortalia, qui Regna dat Cœlestia***, Si nato Christo, illicò reputes, decidisse Principes à quouis, non solùm habituali, sed etiam actuali dominio.

Quòd si dicas Dominum Iesum Regna sua singulis permisisse; illorum sunt ergo, quoad actuales functiones, & vtile dominium; nec Petro tradidit infimam hanc facti dominationem. Et verè seniores illi, in Apocalypsi, sponte ponebant ante thronum coronas nulla vì detractas.

11 Rem hanc Bernardus declarat: vt .s. à Christo Domino parta sit Petro, & succedaneis potestas excellens in omnia Regna mundi, fidelium quidem proximè, & excellentia actuali, infidelium autem in aptitudine; at verò actuale infimum dominium nusquam, Diuina immediata institutione, traditum illis; sed per Imperatoris oblationem: Quod indicare visus est suprà citat. S. Th. quatenùs cessisse aiebat Constantinum, & non restituisse Imperium. Scribit Mellifluus Eugenio lib. 2. de Consideratione: ***Quid tibi aliud dimisit Apostolus? quod habeo, inquit, hoc tibi do; quid istud? vnum scio, non est aurum, neq; argentum, cum ipse dicat, argentum, & aurum non est mihi. Si habere contingat; vtere: non pro libito, sed pro tempore; sic eris vtens illis, quasi non vtens; ipsa quidem, quod ad animi bonum spectat, nec bona sunt, nec mala; vsus tamen horum bonus, abusio mala, solicitudo pcior, quæstus turpior. Estò enim, vt, alia quacunq; ratione, hæc tibi vendices, sed non Apostolico iure; nec enim ille tibi dare, quod non habuit, potuit; hoc dedit, solicitudinem, vt dixi, super Ecclesias. nunquid dominationem? audis ipsum: Non dominantes in Cleris, sed forma facti gregis***, Petri 5. Et clariùs alibi ait, Eugenium successisse Petro in Regimine Ecclesiæ (quod non excludit excellentem potestatem vniuersalem) sed in facultatum possessione, Constantino.

12 Aliquid ampliùs contenditur à Romanæ hostibus celsitudinis; nempe Pontifici non deberi Regnum temporale in vsu, nec ex vi Cæsareæ donationis; quam dicunt aliqui fabulosam, so-

laq; inuasione arroganti Romanos Pontifices se ipsos in eo dominatu intrusos, quem solùm longè abituriens Cæsar Syluestro recommendarat. Sic calumniantur Huttenus, & Laurentius Valla.

Inualidam alij, & si veram, illam donationem litigant; qui ex parte Cæsaris, non valentis, in Posterorum, & Imperij præiudicium, tanta bona alienare; & qui ex parte Pontificis; quòd non potuerit oblationem recipere, suo incongruam, & vetitam statui.

Primi sunt generis Irreligiosi pauci aliqui, Seculariũ Principum Gnathones, qui lapidem mouent omnem, nil deserunt intentatum, quò, Apostolicæ Sedi querulos, & subamaros laicos Dynastas efficiant. Aliorum fuit hæresis perantiqua, de quibus, sub Apostolicorum nomine, meminit Augustin. de Hæres. c. 40. eius refodit cineres Ioannes Vuiclepho, cuius hi tres articuli, inter cæteros, sunt in Constantiensi damnati. Ditare Clerum est contra regulam Christi. Syluester Papa, & Constantinus errauerunt, Ecclesiam ditando. Contra Scripturam Sacram est, quòd viri Ecclesiastici habeant possessiones: Demortuum fætidum errorem Caluinus reuexit ad auras, & plaudunt noui Nouantes.

13 Nec miror, si bona Ecclesiæ toruè videant, qui inuideant, & inuideant, qui inuadunt; quò & liberiùs ea possent depeculari, nulla Ecclesiastica vellent cohiberi potentia: adhinniunt, quia, detractis orcis, rem, & Ecclesiam Dei mordere auent, & conculcare; nudum CHRISTVM iterũ desiderant de Cruce pendere, vestimenta eius sibi diuidere; & gaudere de Apostolorum esurie, spicas ori fricantium: qui Euangelium suum strepitu prædicant timpanizantium, mucrone sanguineo humanis exarant pectoribus; ceu Alchoranum Turcicum defendunt gladio. Quæ dum nefariè peragunt, satis indicant eleganter, ne dum licere; sed necessariam omninò fuisse in Ecclesia actualem temporalem potentiam, sine qua, per ipsos, de illa actum foret: Dum .n. ipsi Ecclesiasticæ paci, irreconciliabiliter in-

sensi, nunquam parcere statuerunt; aut Christi Regnum natum est ab illis depopulari, & aboleri; aut vi indiget, qua vim repellat iniquam.

14 Qui commentitiam donationem Constantinianã euulgant; ipsi somniant; aut stertisse volunt Cæsares, qui non aduerterent membrum ab Imperio tantum decidi, per Pontificum arrogantiam. Edormire pariter scriptores omnes, quibus somnium idem instillarit Morpheus, vnanimiter referendum. Anne commentum est, Constantinum, lepra mundatum, baptizatum fuisse? Extatne Constantinopolis vrbs, quæ Byzantij mutarit nomen, ab ædificatore, seu restauratore, & incola? quis ergo Constantinum Roma expulit? quis cæteros Imperatores arcuit, ne Romanam Sedem repeterent?

Sed, parum ad rem, litem suscitant Huttenus, & Valla, de re, quæ mille circiter, ac trecentorum annorum est præscriptione firmata. Vsurpassent sibi tunc Romani Pontifices, quidquid nunc possident; iam deberetur illis, non minus, quàm debitum esset Cæsaribus, dum illud amitterent, necdum .n. tot annorum præscriptione firmatum ipsi gerebant Imperium, quod Iulius Cæsar violenter, ab annis quadringentis, inuaserat.

15 Inofficiosam qui eandem donationem causantur; nil fortius vrgent. Serò nostræui conquerantur Imperatores, de imminuto sibi Patrimonio, per Constantinum, cui non reclamarunt propinqui filij, & nepotes. Quid illis cum Constantino, qui, de Caroli Magni, aut Othonis oriundi progenie, Imperium recipiunt à Romana Sede collatum? Siluerunt nõ modò huicce collationi Imperatores Græci, sed, vexante Ecclesiam Friderico Ahenobarbo, Emanuel Constantinopoli oratores semel, iterumq; legauit Alex. III. Pontifici Maximo, qui maximas in Fredericum copias, ingens auri pondus, reconciliationem insuper Græcanæ Ecclesiæ cum Latina pollicerētur; dummodò occidētale sibi Imperium restitueretur, à maiorum suorum amissum desidia: Cur, inconsulto Pontifice, Imperium si-

bi ipsi non redimeret, quod proprio auro, & milite, erat Pontifici reciperare paratus; modò ab huius posteà concessione sibi esset acquirendum? tantò abest vt Imperator Græcus in Pontificiam ditionem ius aliquod sibi vendicet; vt neq; in Imperium, auctoritate Pontificis suis Auis ablatum, ius vllum se habere mussarit; humiliter obsecrans, & pollicitans, ex benignitate attendebat, quod iure nequibat repetere; Alexander tamen, diutinam post consultationem, respondit; Nolle se iterum vnire, quod prædecessores sui, de industria separarant. Sed eadem annosa pręscriptio dat Ecclesiæ actuale dominium, quod contenditur, dederit, non dederit, legitimè, non legitimè Imperator. Quarè non potest, in externo foro, culpari, quòd bona illa Romanus Pontifex in vsu possideat.

16 Ad Conscientię recta dictamina vniuersa relinquatur quæstio; sintne Apostolico incompossibilia muneri temporalia vtilitatis dominia. Abundant in hoc sophismatibus innouantes, & penè sibi videntur triumphare; eadem repetunt quæcunq; aliàs effuderũt in temporalem Ecclesiæ potestatem vniuersim; de Saluatoris humilitate; de præcepto, ne, sicut Reges Gentium, dominentur Apostoli; ne militantes Deo negotijs se sæcularibus irretirent; vt CHRISTI discipulus vale diceret cognationi, & rei; daret omnia venum; omnibus dispretis, CHRISTVM inopem Cruciger sequeretur; de SS. PP. consensu, Bernardi præsertim, qui aiebat Apostolis ministerium indici, dominium interdici; & Petri instituentis Clementem, caueret temporalium solicitudinem, vndè à prædicatione verbi retrahi pateretur; & alia id generis; quæ, & si primariò eiaculentur, vt omnigenam demoliantur in Ecclesia de temporalibus potestatem, cum quoquomodo, aiunt, aliundè saluetur habitualis, & excellens; earum vim rationum saltem declinare non potest actualis dominatus, & immediata tractatio terrenorũ.

17 Fuerit in CHRISTO Domino, quam Petro contulerit Iuris excellens potestas in rebus vniuersis; certè defuit ordinarium istud Imperium vtile illi, cuius sors misera volucribus Cœli,

& Vulpibus nidos, ac foueas poterat inuidere. Qui ferè ostiatìm victitaret quæsita stipe; hoc .n. est non inuitatum Zachæi Cœnam rogare; Paschale conuiuium in alieno Cęnaculo strato peragere; & profiteri: *Ego autem mendicus sum, & pauper.* Sed nec potestatem voluit exercere, quatenus nō audiuit adolescētem petentem iudicium, de communi diuidundo, Luc. 12. Petrus auri argentiq; inops, neq; obolum de marsupio promere quiuit, sed spiritalem eleemosynam erogauit claudo illi, ad portam Templi sedenti.

18 Dicetur fortè, ex Bernardo, Romanum Pontificem non Christo, aut Petro in opum splendore succedere, at Constantino, licitè tamen. Licitè? inquiunt; Non excusat oblatio Principum, quotiès quod offertur, nimirum terrestre dominium vtile, Christi, & Apostolorum professioni incongruit. Tunc etiam Saluator refugit Imperia, quando, præuidens turbas venturas, vt se raperent ad Regnum, elapsus fuga in montana delituit.

Vt possessioni terrenæ Petrus restiterit inde apparet, quòd nullius ad fidem conuersi prædia recepit oblata; sed cum exigeret abrenunciationem temporalium à fidelibus omnibus, quibus erant omnia communia, non tamen agri, & stabilia bona recipiebantur in conuentu: *Quotquot .n. possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes, afferebant pretia eorum, quæ venibant, & ponebant antè pedes Apostolorum.* Act. 8. Qui mox, noscentes à prædicatione maximùm præpediri, administrationem illam temporalium abiecerunt; dicendo: *Non est æquum nos derelinquere Verbum Dei, & ministrare mensis.* Act. 6.

Hìc exclamant: Sanctissimos Apostolos, Spiritu Sancto refusos, impediebat possessiuncularum aliquot, & exigui numeri fidelium solicitudo, quominùs, vt par erat, spiritualibus nauarent operam, dùm vix nata Ecclesia paruula, & innocens lallaret in cunis; ità vt paucitas, & sanctimonia gubernandorum, non plurimum negotij facesseret gubernantibus: quid modò, cum Ecclesiastica vinea extenderit palmites suos vsq; ad

ad mare, & ad flumen vsq; propagines; Christiana charitate frigente; Pontifices imbecilliores sanctitate, non æquandi antiquis, confidant onus oneri cumulare, spiritualibus sæcularia negocia regni superàddentes.

19 Dum in confesso sit, primitiuam Ecclesiam, humiliter fundatam, caruisse diuitiarum splendore, regno, & satellitio; neq; nunc talia quimus admittere citrà variationem eius, quæ vna eadem perpes futura promittitur: *Vna est Columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ electa Genitrici suæ.* Cant. 6. Si ergò tantoperè solicitabamur anxij de inuariabili identitate Ecclesiæ, vt inde perpetuam colligeremus Monarchiam, sub quà instituta est primò; allegantes, ex Philosopho, variari Rempublicam, variata forma regiminis; cur materiam variemus, & formam? tertium post sæculum superaddentes Ecclesiæ subiectum terreni regni, & dominij formam temporalem super eo? maior oppidò hæc est mutatio, quàm simplex transitus à Monarchia ad optimatium, aut Democratiam, in eodem spirituali regimine.

20 In lege veteri, vt sæpiùs inculcatur, gnomon, & regula quędam aspicitur, quam frequenter adimus non frustrà, vt ex eius vmbra, de nostris rebus clarescat indicium. Igitur dum dirimeretur in singulas tribus Israel promissæ terræ possessio, sacra Leuitarum familia terrenam sortem non habuit: *Filijs autem Leui mandatum est; nihil possideant; decimarum oblatione duntaxat contenti,* num. 18. Rechabitarum lex: *Domum non ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis,* Hierem. 35.

Moyses licet ad tempus Pontificium sacrum sustinuerit simul, & prophanum Imperium; vbi tamen res meliùs componendæ fuerunt, iussus est temporalium immediato, actualiq; dominio renuntiare, Duces, & Tribunos de Plebe substituens; imò & ipsum Aaroni Sacerdotium resignare; quo totus vacaret populo, de lege, & cæremonijs erudiendo.

De Regibus item Hebræis nil certius, Sacerdotalem Tri-

bum Leui fuiſſe, & Regiam Iudæ; nec huius honorem vnquàm ad illam deueniſſe. Quomodò miniſtrarent Sacri Pontifices Regnum violenter extortum, inuito Deo, per populum ceruicoſum? Vt petiere Regem Iſraelitæ, conqueſtus eſt Dominus Samueli: *Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos,* 1. Reg. 8. Neq; ergò abiectus Dominus conſentiret, vt ſuus Pontifex, caput illicito redimitus auro, Sacram Infulam, vetito diademate, prophanaret.

21 Quid his cunctamur? fuerint, vt velis, ante Euangelium cōſociabilia, in eodem Principe, ſpirituale, & terreum regnum; quia ex hinc videntur præſidium quærere Apoſtolici Patrimonij fautores; iàm, diſcuſſa caligine: *Cum ad verum ventum eſt,* Nicolaus inquit Ep. 1. ad Michael. *Vltra ſibi, nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium vſurpauit.* Sancitum eſt; vt redderentur Deo Diuina, & Cæſarea Cæſari: *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, in his conſtituitur, quæ ſunt ad Deum; vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis.* Hebr. 5. at ſæculares Dynaſtæ inſtituuntur: *Ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum,* 1. Pet. 2.

22 Quaſi verò neſcierimus, apud ipſos Ethnicos, alium ſacrorum, alium murorum præſediſſe Reges; vtrunq; onus dorſo vnius non alligatum; ſuadente, vel primò infirmitate humana, quæ duobus negotijs, nec cogitatu quidem, vacare ſimul, & ſemel ſeriò poteſt. Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus. Gemini lactentes ab eodem pectore ſibi viciſſim ſugunt, & minuunt alimoniam. Affinia ſunt Amor, & Regnum; neutrum ſocietate conſiſtit. Cui duæ amicæ, is neutram diligit. Nullus ſponſus libidinatur adulter: Sic etiam qui in eodem throno duo diuerſa ſibi regna coniunxerit ſpirituale, & temporale; quaſi duas pellices, medius in eodem toro maritet: Vulgus his abundet prouerbijs: *Omnia cingis, nil ſtringis: Geminos inſectaris lepores, hic fugit, hunc fugas: Nuſquam eſt, qui vbiq; eſt.* Sacrum illud quadrat humano pectori: *Coangustatum eſt enim ſtratū, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumq;*

operire non potest, Isa. 28. Artem artium dixit Gregorius regimen animarum. *Gigantes ipsi gemunt sub aquis*; ideſt maioris ſapientiæ homines ſub gubernaculis populorum, eodem interprete; quandoquidem Aquæ multæ populi multi. Qui ergò animas non ſolum vniuerſi orbis fidelis, ſed etiam corporalia alicubi regenda ſuſcipiat Romanus Paſtor? *Aptari onus viribus debet, nec plus occupari, quàm cui ſufficere poſſumus*, Sen. Ep. 108.

23 Regnum, & Sacerdotium non meliùs audiantur, quàm Fiſtula, & Cymbalum conſonare; Illud opuleſcere petit, quod paupertate contemnitur; Iſtud à terrenarum opum neglectu fit venerabile; Alterum ornato incedere cultu, etenim: *Qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt*; Alterum cilicio delectatur, & ſacco, modeſtiæ comitur indumento. Opipara vnum veſcitur menſa, epulatur quotidiè ſplendidè, iuxtà quod de Salomone habetur: *Erat autem cibus Salomonis, per dies ſingulos, triginta cori ſimilæ, & ſexaginta cori farinæ, decem boues pingues, & viginti oues paſcuales, & centum arietes, excepta venatione ceruorum, caprearum, atq; bubalorum, & auium altilium*, 3. Reg. 4. Alterum ieiunijs, & parſimonia macret: *Non eſt Regnum Dei eſca, & potus*. Luxurioſa illud palatia incolit, delicijs aſſueſcit, vt idem fatetur Salomon: *Aedificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos, & pomaria, & conſeui ea cuncti generis arboribus; extruxi mihi piſcinas ad irrigandum ſyluam lignorum germinantium*. Eccl. 2. Iſtud humiles decet habitare caſas, delicias aſpernari; demum ab omni ſæculari magiſtratu repelli. Et apud Romanos priſcos, ait Alex. ab Alex. l. 2. Genial. Dier. Sacerdotis fuiſſe proprium, nec Imperia, nec Magiſtratus gerere, nec equo vehi.

24 De Armis, & gladio quid dicimus? Reipublicæ Princeps in hoſtium occurſum pergere debet armatus; inter pedites, & velites pectus impauidum obiectare vulneribus; ſanguini nil parcens, vt ciues ſeruet incolumes: aut ergò Prouinciæ, quæ ſubſint Romano Pontifici, Patre carebunt pro earum ſalute dimicaturo; &, inſtantibus inimicis, credendæ erunt mercenarijs

defenſoribus fugibundis; viriſq; Ciuitates deſtituentur belligeris, quorum trophæis decorentur, muniantur virtute: aut Sacerdotes habebunt Duces. Idem, mox cruore horribili madidus, à cæde reuertens, accedet altari, polluta manu ſacra cõtingens. Abſit fœdor horrificus: ***Virum ſanguinum abominabitur Dominus.*** Cruentus Dauid Templum eſt ædificare prohibitus, ſed pacifico Salomoni ſeruatum eſt opus. Aeneas ab Idolis receſſit tangendis, ſanguine maculatus, dicens:

> ***Tu genitor cape ſacra manu, patrioſq; Penates.***
> ***Me, bello è tanto digreſſum, & cæde recenti,***
> ***Attrectare nefas, donec me flumine viuo***
> ***Abluero, &c.*** Aeneid. 2.

Verum, ac viuum Deum contrectet, qui, aut Martis gladium ſtringens in bello, aut Aſtreæ in pace, ſiue hoſtium, ſiue ſontium ſanguine rubeſcat? Petrus vehementer auditur increpitus, quòd, neceſſitate ſuprema inſtante, vel pro ipſius Christi defenſione, ſacrilego ſeruo tantillum carnis abſciderit, in minima auris particula mutilauerit, & ceù latronem ſtigmatizarit eum, qui ad Ieſum, tanquam latronem, exierat comprehendendum.

25 Ità demum ſæculare, ac Eccleſiaſticum Regnum inuicem aduerſantur, vt ex oppoſito diuidantur, ſicut carnale, & ſpirituale, terrenum, atq; Cœleſte; cumq; in Pontificij inſtitutione expreſſa fuerit mentio de Cœleſti: ***Tibi dabo claues Regni Cœlorum***; contrarium, nempe terrenum Regnum videtur excluſum; quod aliundè conſtat Apoſtolis interdictum, ſin minùs in habitu excellenti, certè in actuali poſſeſſione. Quem non pudeat Eccleſiaſticum, inter ſenatores, & milites, per plateas, auro, & ſeruis tumidum grandigrare; qui Apoſtolicos Auos habuiſſe meminerit, in antris, & catacumbis famelicos latitantes victu, & quibus tegerentur contentos?

Habetur c. Solitæ, de Maioritate, & Obedientia, Soli, & Lunæ ſpiritualem, ac temporalem potentiã in Chriſtiana recomparari. Omninò; ità ſit. Neq; ſol vnquam ad lunarem infi-

mam sphæram ab altitudiue sua transcendit, proprios vnumquodq; motus in suos peragit fines. Alto dominio fruatur Pontifex Maximus, infimum nullatenùs occupās; indecet nobilioribus ordinatum, spiritualibus magnificentijs, deorsum conuerti, & auidè reculis hisce terreis incubare.

26 Audin argutiolas? Hèm hominum zelum de humilitate, vnitate Ecclesiæ, sedulitate spirituali in regimine, Sacerdotum incontaminatione, Prouinciarum vtilitate. Sed hæc dogmata Caluinistæ, ab exemplo, non comprobant; qui quoquò pergunt, bellicum buccinant; seditiosos irritant; sitiunt cruorem; sacras expilant ædes. Ergo neq; apud ipsos vera sit Ecclesia, cum opes non abhorreant, immò studeant latrocinari: Ergo dolent, non quòd apud Ecclesiam sint diuitiæ; sed quòd apud se eas non habeant. Ecce eorum rationes soluimus; & simul Catholicum probatur assertum; qui nobis mos, vitantibus tricas.

27 Defuit Christo Domino, Apostolis, & Pontificibus vsq; ad Syluestrum, terrenum Regnum actuale; despectus opum prædicatur in Euangelio. Sed potuit Saluator alium solicitare, qui, in sui gratiam, daret Ecclesiæ, quod ipse, non habens, non dederat: hoc dicebat Angelicus; *Opportuno igitur tempore, virtus Principis nostri* Iesv Christi *Principem mundi solecitauit Constantinum, &c.* Nec Syluester errauit recipiens, quæ offerebantur solicitante Domino.

Terrenorum contemptus, vt aliàs dicebatur, non suadetur quasi prohibeat vsum, & vtilitatem eorum, quæ, in naturæ humanæ gratiam, condita sunt omnia; sed vt illis non posthabeantur Cœlestia; neq; hæc tanta anhelemus cupiditate, cuius comparatione terrestria sordeant. Omnibus dicitur fidelibus: *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse Discipulus*, Luc. 14. Ergonè Christiana professio insociabilis est terrenis diuitijs? Vbi ponimus Sanctissimos Reges Inas, Eduardos, Ludouicos, Casimiros, Ferdinandos, Boleslaos, &c. hi non fuere Christi Discipuli? Verùm: ita præcipimur

DE REGVL. ARISTOCR. om-

omnibus opibus renunciare, ſicuti, in eodem Euangelio, Cognatos, & Affines iubemur odiſſe; quod explicat Gregorius amorem non excludere, dicens: *Si vim præcepti perpendimus, vtrunq; agere per diſcretionem valemus, vt eos, qui nobis carnis cognatione coniuncti ſunt, & quos proximos nouimus, diligamus; & quos aduerſarios in via Dei patimur, odiendo, & fugiendo neſciamus*. Ita prorſus diuitiarum fugiendus vſus, quatenùs ad æternæ conſecutionem ſalutis officiat; amplectendus qui conduxerit; quod Theologi definiunt 2. 2. q. 184. ar. 7. differentes, quomodò temporalia bona, ex ſe indifferentia ſint ad ſalutem, vel perditionem; habitualis tantummodò abalienatio mentis ab eis ſit de neceſſitate perfectionis; actualis autem renunciatio ſit inſtrumentum imbecilliores faciliùs iuuans.

28 Propterea naſcens Eccleſia nuda, ſplendore caruit diuitiarum; ne videretur CHRISTVS, ſuis opibus potiùs, quàm veritate fidei, aſſecutus aſſeclas: Piſcatores, & contemptibiles elegit, quibus fortia mundi confunderet: Intempeſtiuum erat Imperium Eccleſiæ, in Sanguine tantorum Martyrum, ſicut & Redemptoris, fundandæ; non pependiſſet in ligno pro ſalute noſtra hic, ſi recepiſſet Regnum, ad quod petebatur: Non trucidaſſent Romani Imperatores tot Martyres, ſi ab initio Petrus Romæ ipſe fuiſſet Princeps; ex conſequio fides his teſtibus caruiſſet. Opportuno igitur tempore, nouit Deus Eccleſiam opulentare; quando non eſſent theſauri impedimento eius perfectioni, ſed adiumento conuerſationi. Ante tranſitum Maris, & Deſerti, nō ſunt Hebræi terram promiſſam conſequuti; ſic & Eccleſia, Sanctiq; Pōtifices: *Immania pro* CHRISTO *in ſuis corporibus pertulerunt tormenta*; & poſteà coronas acceperunt à Domino Deo.

29 Dicis: potuiſſet diuinitùs Eccleſia ab hoſtium inſultibus præſeruari in ſua humilitate, abſq; potentia terrena? Equidem: potuiſſet Dominus ſemper Apoſtolis, per miraculum neceſſaria miniſtrare; aut ſemper egenos eodem modo dimittere; ſed lego tempus mendicimonij, ac debilitatis; & tempus proprie-

tatis cum potentia: *Quando misi vos*, ait CHRISTVS Discipulis, *sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: nihil. Dixit ergo eis, sed nunc, & qui habet sacculum, tollat similiter & peram, & qui non habet gladium, vendat tunicam suam, & emat gladium*, Luc. 22. Quorum explicationem habes apud Antoninum par. 5. hist. tit. 5. §. 3. *Habuistis abundanter necessaria, me præsente; deinceps autem; quia persecutionem patiemini, non dabuntur vobis ista; & ideo concedo vobis, vt pro necessitate, de his vobis prouideatis; non solùm de victualibus ad viuendum, sed de armis ad defendendum, cum oportet.*

30 Exinde receperunt Apostoli oblata munera; quàmuis ante Constantinum, nullus integrum donarit Imperium. Dona stabilia possidebat Ecclesia vbiq;, prçterquàm Hierosolymis; vbi, cum de pretio Domini, ager esset coemptus; terra illa vniuersa erat Haceldama, hoc est sanguinis; de qua CHRISTI Sanguis clamabat: sic dicitur 12. q. 1. *Futuram Ecclesiam Apostoli in Gentibus prauidebant; idcircò prædia in Iudæa minimè sunt adepti, sed pretia tantùm, ad fouendos egentes.* Breuì nanq; sciebant regionem illam vastandam, in vltionem sacrilegi parricidij. Cæterum in alijs Prouincijs, non omnes fideles ea rerum communione vtebantur, qua Hierosolymitani, quibus illi ministrabant subsidia, dicente Paulo: *Nunc igitur proficiscor in Hierusalem, ministrare Sanctis. Probauerunt .n. Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctos, qui sũt in Hierusalem*, Rom. 15. Sed hac tanta fidelium sanctitate frigente, numero vehementer excreto; excreuisse etiam par fuit potentiam: quatenus insolescentes potis esset corripere, saltem temporali flagro; sin minùs miraculorum terrore, deficientium in Pontificibus minoris, vt dicebatur sanctitudinis.

31 Variatur Respublica ex variatione formæ, aut materiei substantialis: Ecclesiæ autem essentialis est Monarchia in spiritualium regno actuali, & potestate temporalium habituali: opes sunt adiectitiæ; nam dicitur: *Quærite primùm Regnũ Dei,*

& hæc omnia adijcientur vobis, Matt. 6. Subinde varietas nulla consequitur rei, quando in actu promit, quod continebat virtute: *Simile est Regnum Cælorum*, hoc est Ecclesia, *grano Sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, & creuit, & factum est in arborem magnam*, Luc. 13. In humilitate est Ecclesiæ iacta sementis; quæ sua inoleuit virtute. An non eadem est mulier, quæ puella primùm, mox nubilis virgo, minor, pecunias non contrectat, ac tandem, mater familias fit diues? Nihil dat dilectę Spôsus, quandiù *Soror nostra paruula est, & vbera non habet*; at, pro desponsationis tempore, iàm adultæ splendida munera meditatur: *Quid faciemus sorori nostræ in die, quādo alloquenda est? si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea; si ostium est, compingamus illud tabulis Cedrinis*. Cant. 8. Circà illam sic parat in aggeres cumulare argentum, vt vel hostibus defensetur: Siccine oris speciem immutauit; vt non sit agnita eadem, quæ nuda sacrorum soli præsidens Regno, olim clamabat: *Percusserunt me, vulnerauerunt me, tulerunt mihi pallium meum custodes murorū*, Cant. 5. hoc est: Opes ad se tādem deuoluendas occuparant murorum Reges, & Cæsares, illam torquentes; at quæ postmodùm: *Progreditur quasi Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis, vt castrorum acies ordinata?* Can. 6.

32 Vinea dicitur Ecclesia; quia inter cætera gracili palmite plātata, vsq; ad Mare est propagata; persecutionum ferro amputata, & incisa brumæ squalluit tempore; sed pampineis gemmis, & vua ditescens, postquàm *Hyems transijt, imber abijt, & recessit; vineæ florentes dederunt odorem suum*, Can. 2.

Columba dicitur Ecclesia, quæ in nidulo dormiuit ad tempus, suas geminas potestates, & hæreditates, spiritualem, ac temporalem, totas omninò non prompsit in anterioribus sæculis; sed experrecta in posterioribus diues splendescit: *Si dormiatis inter medios cleros*, videlicet geminas sortes spiritualē, atq; terrenam, *pennæ Columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri*, Psal. 67.

33 Testamentum vetus idipsum est quod Ecclesiasticæ magnificentiæ opitulatur. Nihil in primis nostro Sacerdotio cum Leuitico; CHRISTVS non secundùm ordinem Aaron, sed Melchisedech Sacerdos est in æternum; Hic autem Rex fuit Salem, & Sacerdos Dei altissimi. Sed adhuc esset Sacerdotium nouæ legis velut Leuiticum genealogia succedens, & cruentum; Falsum est Leuitis non fuisse possessiones, & immobilia bona, cum in singulis tribubus essent vrbes Sacerdotales; ab illis emerentur ex pretio oblationum, ac decimarum, agri, & vineæ, & suburbana ad alenda pecora; ex Leuit. 25. 3. Reg. 2. Ierem. 32. & alijs script. loc. Rechabitarum arctiori instituto nostri correspondent Monachi, non Clerus omnis.

34 Ante scriptam legem, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Ruben, & omnis primogenitus temporaliter principabatur, & simul in sacrificijs illis, & Sacerdotio præerat imperfecto, per Hieron. lup. Gen. 49. Multò magis Rex, & Sacerdos in lege extitit Moyses; nunquam .n. Sacerdotium dimisit, & semper temporali Imperio præfuit. Quòd si oneri alleuando LXXII. Seniores, & Sanhedrim socios administrationis asciuit: ecce totidem Purpuratos Senatores habet Pontifex nouæ legis, quorum opera, ab onere subleuetur; præter in vniuersam terram distributos fratres Episcopos.

Postquàm populi vesano voto, Saul electus est Rex, separatum quidem fuit in alia Tribu Sacerdotiũ, in alia Regnum, nec Põtifex sacer temporalibus præsidebat; estne ritè gestum? minimè: hoc est quod conquerebatur Deus Samueli: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Ergo Samuel hactenus pro Deo, etiam in terrena ditione, regnarat; & fuisse abiectum displicuit Domino. Nouerunt Iudæi, qui calamitatibus eruditi, quas sub Regibus subierant; instaurarunt Rempublicam redeuntes de captiuitate, non ampliùs Monarchicam, quam dissuaserat Dominus; sed Aristocraticam, in qua penès Pontifices Sacros terreni starent moderamina Regni.

35 Hæc mens Dei extitit dum polliceretur Hebræis: *Vos eritis*

mihi in Regnum Sacerdotale, Exod. 19. Quod Petrus Ecclesiæ aliter attribuit: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium*, 1. Pet. 2. Diſcrimen annotauit Bonauent. in 4. diſt. 24. dub. 4. *Quòd differentia eſt inter vetus, & nouum teſtamentum, inter comparationem Sacerdotum, & Regni; quia .n. vetus teſtamentum erat adhuc carnalium, & carnaliter viuentium; ideò poteſtas ſecularis erat principalior, & poteſtas Sacerdotalis erat minor; & ideo ſignanter dicebatur in lege Regnum Sacerdotale, quia Sacerdotium pendebat ex Regno: ſed contra in noua dicitur*, 1. Pet. 2. *Regale Sacerdotium, quia principalius eſt nũc Sacerdotium, quàm Regnum*. Et hoc etiam ſub lite manet apud Theologos: vtrum fuerit maius in lege Sacerdotium, an Regnum; vnum certum eſt, non fuiſſe diſiuncta, niſi per populum peruicacem, inuito Deo, etſi permittente, & in gratiæ ſtatu, abſq; dubio, Sacerdotium præcedere.

36 Idem Sanctorum Chorus acclamat in Apoc. 5. *Feciſti nos Deo noſtro Regnum, & Sacerdotes*; & ne quis cauillaretur, non dici hìc feciſti nobis regnum, ſed nos regnum Deo noſtro; aut intelligendum de Regno ſpirituali, additur protinus: *Et regnabimus ſuper terram*. Illud actiuum indicat regnum, iſtud verò eſſe terrenum: neq; tergiuerſeris, interpretandum de terra viuentium; nam etſi hoc quoq; verificetur; propriè tamen ſermo eſt de terra mortalium, in qua facti ſumus Sacerdotes; ex eodem enim contextu vtrunq; elicitur; neq; de alia terra loquitur pro Sacerdotio, & de alia pro Regno.

37 Mentior, ſi efficaciùs quid vrgeri poterat pro nobis, quàm quod obijcitur ex Nicolao PP. Nonne cernis ipſum explanare quomodò, cum ad verum Euangelij ventum eſt, Imperator Iura Pontificatus non vltrà arripuerit; Pontifex verò ſolo Imperatoris abſtinuerit nomine, iuribus nil prohibitus? Nomen tamen Pontificis mutare non debuit, quia principaliter illud obtinet ex ſuo munere; cum regnum terrenum illi ſit acceſſorium, prout ſpirituali deſeruit: primariò ſiquidẽ omnis Pontifex, ex hominibus aſſumptus, in his cõſtituitur, quę sũt ad Deũ.

38 Romani; quandoquidem ethnicos suademur æmulari: diù Reges habuere Sacerdotes, Cicer. lib. 1. de Diuin. *Testis*, ait, *nostra Ciuitas, in qua, & Reges augures, & posteà priuati, eodem Sacerdotio præditi, Rempublicam Religionũ auctoritate rexerunt.* Et Seruius in illud Aeneid. 3.

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbiq; Sacerdos.

apud maiores, notat, *Rex erat Sacerdos, & Pontifex.* Mos non absimilis fuit Aegyptijs, Sacerdotalem Infulam Philosophiæ Laurea, & Regio Diademate, cohonestare; vt inter cæteros, probat Mercurius Trismegistus. Druydæ in Gallijs, & Sacerdotes fuere olim, & Principes. Et Magi in Perside idem. Areopagitas Athenis Sacerdotes, & Iudices ciuilium omnium fuisse, refert Ioseph. Antiq. lib. 14. c. 16. & Iul. Cæs. Comment. de Bell. Gallic. lib. 6.

39 Magis distant quã bellũ à pace, Antipodarũ mores, seu regimina à nostris; & tamen Monarcha vnus vtrisq; præest; quid ni poterit sacris, atq; prophanis alter? Quæ implicantia, dum subordinatè temporalia spiritualibus famulantur, & iuuantur mutuò? Immò ex hoc, quòd humana infirmitas vix sufficit spiritualibus regundis, adiutorium postulat temporalis potentiæ regiæ. An, post ditatum Clerum miraculis, & sanctitate claros non habuimus Pontifices, Leones præsertim IIII. & VIIII. Greg. VII. Cœlest. V. & alios plures laudatissimæ notæ?

Quid prohibet? Cultus Regalium vestium? at non minorem inuenies Pontificum ornatum in lege veteri. Crapula, & ebrietas, neq; bonorum sunt Regum. Annonam illam quotidianam solus Salomon non vorabat; sed Regia familia consumebat; alioquì ille frugalitatis suasor, Reges volebat abstemios, scribens: *Nolì ò Lamuel Regibus dare vinum*, Prou. 31. Aedificia, hortos, & terrena cõmoda licere ostendimus, quandiù ijs non adhærescamus toti; estq; omnis creatura in humanum vsum condita. Maximè grauatum curis publicis decent honesta solatia.

40 Nolumus ab Ecclesiasticis arma tractari; bella pugnabunt

pro Ecclesia sæculares, pij Duces, & Principes, eius defensioni obnoxij, & Ciues ipsi Patriam poterunt illustrare trophæis, sed non sit, qui Pontificio quiescentes sub vexillo, audeat diuexare. Iustitiæ pariter ferrum laici constituti Iudices tractent; quanquam & vtrunq; posset Ecclesiasticus Princeps, cum ex congruentia prohibeatur effusio sanguinis Sacerdoti, & Irregularitas sit iure humano introducta; cui Summus Pontifex dispensare valet, ex D.Th.2,2.q.40.a.2. Et Sanctissimos Pontifices comperimus bella gessisse Domini, sicuti Regios Pontifices Machabæos, Iudam, Ionatham, Simonem, Ioannem, &c.

Homicidas deinde, *& sacrilegos, & venenarios punire, non est effusio sanguinis, sed legum ministerium*, Hieron.in cap. 2. Hierem. Sed & huiusmodi munus laicis Iudicibus Ecclesia potest committere c.de Occidendis, c.Miles, c.cum Minister 23. q. 1. Secùs contrà Malchum Simon excăduit, de quo August.serm. 107. *Percussit ergo Petrus aurem pueri Principis. Quare Petrus? quia ipse accepit Regni Cœlorum claues, & soluendi, ligandiq; ipse adeptus est potestatem*. Reprehensus autem est, quia suam Passionem noluit Dominus humana vi impediri; qui si Cœlestes rogasset suppetias, donas Angelorum prestò legiones habuisset, & plures.

41 Ecclesiasticum Regnum, & terrenum minimè ex opposito diuiduntur: est.n. in terris Ecclesia, cuius traduntur Claues, sub nomine Regni Cœlorum; à terrenorum igitur necessitate non potest abstrahi, sed ijs habet vti modestè: Deindè nulla est regula logica, permittens conclusionem educi negatiuam, & excludentem, ex præmissa aliquid reticente. Datum sit Regnum Cœlorum, & de eo fiat mentio in Euangelio, vt potè nobiliori; & quod accessoriè intelligeretur consequi ignobilius dominium terrenorum, non propterea negari debet, & hoc fuisse traditum. Benè Soli, & Lunæ, Pontificis, & Cæsaris Maiestas in Christiana Republica comparantur; quia etiam illius radij, licet altioris, in terram pertingunt; nec eius influxum terrena arua refugiunt; eodem pacto, nil incongruet, si in

terrestre Regnum Pontificiæ Maiestatis immediatus radius enitescat; si Ecclesiastici in temporalibus dominentur; non tamen in ea acceptione; qua dominari malè sonat, estq; Despoticũ ius Domini in seruos; sed Regia potestate Patris in filios; hæc porrò distinctio Dominica est, ex Græco textu: *Reges Gentium dominantur violenter, vos autem non sic.*

Eruntne vices pares; vt quemadmodum Ecclesiastico viro aliqualis potestas inest, & actualis dominatus etiam in seculari aliquo regno temporalis; sic & laicos Principes quadantenùs Ecclesiastica spiritualis iurisdictio deceat? nihil minus.

CAPVT XI.

Seculari Principi, quoad spiritualia iurisdictionem non esse.

ELENCHVS.

1 *Potestas Catholicorum Principum secularium aliquo pacto Ecclesiastica dici potest.*

2 *De Ecclesiastica re habet Religiosus Princeps esse solicitus.*

3 *Status præsentis controuersiæ panditur, de Ecclesia pressè sumpta, & potestate in spiritualibus.*

4 *De potestate Ordinis certum est à nullo laicorum quidquam participari.*

5 *Potestatem iurisdictionis non sacramentalem, qui Principum sibi impiè arrogarint: & qui factum sit aggressi rationibus defensitare.*

6 *Prima affertur, quòd populorum communitates, ius omne suum transfundendo in reges, quò fœliciter dirigerentur, spiritualia non exclusérunt.*

7 *Eandem esse communitati facultatem ad se regendum in spiritualibus, ac in temporalibus: quia hinc, & indè pariter natura instigat.*

8 *Occurritur tacito subterfugio, de disparitate inter politiam moralem, & spiritualem.*

9 *Communitates, vt plurimùm, eidem politico Principi temporalia cum spiritualibus commendarunt, in lege natura.*

10 *In lege scripta Moyses, & successores temporales Duces, aut simul Sacerdotes fuere, aut Sacerdotio præfuere.*

11 *Hebræorum Regibus vtraq; adfuit, & spiritualium, & temporalium praeminentia.*

12 *Neq; in lege noua Regnum postponēdum videtur Sacerdotio, quandoquidem Redemptio non aggrauauit iugum.*

13 *Apostoli spiritunale negocium de constitutione Diaconorum non peregerunt, communitate inconsulta vniuersa.*

14 *Episcopo potestatem tradi ab eligente Populo indicant Sacri Canones.*

15 *Sinè suffragio secularis Principis olim non eligebatur Episcopus.*

16 *Primatum Romana Ecclesia nemo alius indulsit, præter Imperatorem.*

17 *Ante Cæsareum edictum non fuiße cæteras Ecclesias Romana subiectas, sed aliquo modo sponte obsequentes.*

18 *In Sacris Literis Sacerdotes ponuntur, & deponuntur à Regibus.*

19 *Ius eligendi Romanum Pontificem sibi autumant Cæsares, tum ex debito, tum ex concessionibus Pontificÿs.*

20 *Vis perpenditur verborum in Pōtificÿs indultis ad Imperatorem, circa Ordinationem Apostolicæ Sedis.*

21 *Potestas hæc Cæsarum vsu diutino est comprobata.*

22 *Duces Hebræorum, ac Reges Concilia statuunt de pertinentibus ad Religionem.*

23 *Imperatores pariter nostri Generalia conuocarunt Concilia contra Hæreticos.*

24 *Commendantur in Scriptura Sacra Reges, Religionis reformatores.*

41 *Vt se habuerint Religiosi Cæsares in Concilijs.*

42 *In lege veteri Concilia à laicis conuocata Principibus; aut merè fuere politica; aut ex Sacerdotum nutu, ac sponsali consensu.*

43 *Reges Hebræorum in Religionis tutela commẽdandi; sed in eis nulla ex hoc spiritualium proditur Iurisdictio.*

44 *Dauid Arcæ præsultans, & populo benedicens, nihil Sacerdotalis potestatis prophanat.*

45 *Quales Sanctiones Imperatoriæ sint, de colendis festis diebus.*

46 *Imperator de Iuramento absolutè non decernit, quatenus est quiddam spirituale.*

47 *Leges latæ à Principibus laicis in Hæreticos feruntur in bonum Ciuile. Si quid illi decernunt spirituale, adhærere se profitentur Canonicis Iuribus.*

48 *Facultas excommunicandi Ecclesiasticis non limitatur à Cæsare. Neq; hic excommunicat non excommunicatos ab Ecclesia.*

49 *An Constantinus, & Phocas Romanæ Ecclesiæ primatum contulerint.*

50 *Illustres terrenorum Principum tituli Sacris quoq; Communes Præsulibus, & ab his altiori analogia participati.*

1 DVm Ecclesiam pro multitudine intelligas quorumcunq; ad CHRISTI fidem Catholicam cõgregatorum, sortiuntur in ea Seculares Principes, in suo genere potestatem: *Ad firmamentum Cœli*, Innocent. inquit c. solitæ de maior. & obed. *hoc est vniuersalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria; idest duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas, & Regalis potestas; sed illa quæ præest diebus, idest spiritualibus, maior est, quæ verò carnalibus minor, &c.* Congregati fideles in Christiana Republica animo coalescunt, & corpore; spiritualem in Beatitatem pariter, ac Ciuilem ordinantur; duplici politia, lege indigent, ac potestate, spirituali scilicet, atq; carnali: Duplex idcirco viget in Ecclesia gladius, Apostolica alter, alter Cæsarea vibrandus manu; Ecclesiasticus vterq;. Notum illud Bern.4.de Consid.c.4. *Vterq; ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet*

gladius, & materialis; sed is quidem pro Ecclesia, ille verò, & ab Ecclesia exercendus est; ille Sacerdotis, hic militis manu, sed sanè ad nutum Sacerdotis.

2 A Christi fideli Principe Ecclesiasticarum rerum absit incuria. Impium Donatistarum est Aphorismum: *Quid Imperatori cum Ecclesia?* Huius ille est filius, cuius fouetur gremio; pascitur disciplina; gladio armatur; quem de Pontificia manu recipiens, fit Ecclesiæ pugil, eius vouet defensionem. Nunquam satis pios Principes commendat historia, quicunq; propria auctoritate sequestres inter Sacerdotes, & populum, sacra sarta, tectaq; tuentes, spiritualem Dei cultum, & Ecclesiæ Sanctæ iura promouerunt. Est in benedictione memoria Regum, Dauid, Ezechiæ, Iosaphat, Asæ, Iosiæ. Ex nostris concelebres extant Constantinus, & Carolus Magni, Theodosius, Archadius, Honorius, Ludouicus Pius. Quibus nostra nil inuident secula Cæsareum, Catholicum, & Christianissimum suspicientia, & efferentia zelum, in hæresibus insectandis; proprioq; cruore Caluini, & Lutheri sordibus eluendis, Romana exaltanda fide, per Germaniam, Belgium, & Galliam.

3 Sin magè in strictiori, & propria significatione Ecclesiæ nomenclaturam assumpseris; prout iam non dicitur, de fidelium multitudine; sed de his, qui inter eos, Diuino cultui consecrati, à Laicis, Ecclesiasticorū nomine distinguntur, & ministrantium in Ordine vna est Ecclesiastica Hierarchia; hoc est quod quæritur; Adsitne laicis Principibus in hac Sacrorum Ecclesia potestas; Potestas, inquam, Ecclesiastica spiritualis, politicum transcendens bonum, in supernaturalem finem directa: etenim de temporali, alia erit infrà tractatio; vbi enucleandum, vt sint Ecclesiastici à temporalium Dominorum potentia immunes.

4 Sed quia non vna est Ecclesiastica spiritualis potestas, quam in Ordinis, & Iurisdictionis diuidunt; altera circà corpus Christi verum, & Sacramentorum confectionem versatur; altera circà eiusdem mysticum corpus, nempè Ecclesiam; Ab illa procul este prophani. Nullusdum sibi præsumpsisse auditur, in-

cōſecratus ad Diuina miniſteria accedere; aut qui ab alia, quam Pontificia auctoritate, crediderit conſecrari fas eſſe: niſi Puritanorum attendas blaſphemias, qui Ordinem, & Hierarchiam ab Eccleſia antiquantes, rem omnem confundunt; vt inter fideles nulla graduum ſit diſtinctio, niſi quæ à laica vniuerſitate proceſſerit, Epiſcopos quoſdam præ alijs præferente. Quis tribuat poteſtatem in corpus Christi verum ab ipſo Christo? quis à terreis ad Diuina aſſurgat, à Naturæ ad Gratiæ miniſteria, ſuo auſu, & nutu? & non potiùs à Deo vocatus tanquam Aaron?

Cæremoniæ thurificationis antiquæ, quòd Sacerdotibus propriæ haberentur, nefariæ reputatæ ſunt Oziæ Regi, aliàs optimo; de quo traditur: ***Fecit quod erat rectum in oculis Domini,*** 2. Paralip.26. ***Sed, cum corroboratus eſſet, eleuatum eſt cor eius, in interitum ſuum, & neglexit Dominum Deum ſuum; ingreſſuſq; templum Domini, adolere voluit incenſum ſuper altare thymiamatis, ſtatimq; ingreſſus poſt eum Azarias Sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini, octoginta viri fortiſsimi reſtiterunt Regi, atq; dixerunt: Non eſt tui officij Ozia, vt adoleas incenſum Domino; ſed Sacerdotum; hoc eſt filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad huiuſcemodi miniſterium, &c.*** At verò Rex, renitens, feſtinatò apparuit fronte leproſus; vt, vel ſic, ſibi conſtaret altare prohiberi, ac templo, & meritò Sacerdotum expelli furore. Hac leui altarium fumo reuerentia inſinuatur, quæ, & qualis incruentum deceat veri filij Dei Sacrificium. Quis eſt homo, vt Myſteria Sacroſancta nouæ legis attentet, ſuo iure, & prophanus præſumat?

5 De altera etiam oportet Iuriſdictionis poteſtate diſtinguere; eius .n. quæ internum Animæ forum iudicans, cōſcientiam ſoluit, & alligat; nemo laicus Princeps ſibi aliquid arrogauit; Vt potè quæ ſit Sacerdotalis Ordinis alteri poteſtati annexa, ſolis Apoſtolis à Domino traditæ dicente: ***Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remiſſa ſunt eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt,*** Io. 20. Et ab eodem iugiter alijs Sacer-

cerdotibus collatæ, medio Episcoporum ministerio.

Verùm quia altera Iurisdictionis Ecclesiasticæ potestas in foro est exteriori, nec annexa alteri, à CHRISTO immediatè mananti; sed ab Ecclesiæ visibili capite liberè in vniuersi Corporis diffunditur beneficium, pro opportunitate, & necessitate membrorum.

Hanc sibi debitam aliqui Schismatici Principes sunt arbitrati; non solùm, Ludouicus Bauarus, & Henricus Octauus Rex Angliæ; sed, per eiusdem Regni Reginam Elizabeth, Papissam se, temerario ausu, constituentem, à muliebri se turpiter sexu pessumdatum orbis audiuit: Tartareā Erinnym; dignam in cuius impudentiam, vel ipsa Lutherana monstra omne maledictum expuerent.

Cū hac exterioris fori Ecclesiastica Iurisdictione sibi vsurpata, voluere hi Principes suum esse; Generalia Concilia indicere, in ipsis præsidere; fidei controuersias terminare; Canones, & Constitutiones condere; Beneficia conferre; Episcopos designare; aliorumq; Ecclesiasticorum munia dare, & auferre; abusus de Ecclesia tollere; excommunicare, & dispensare, &c.

Audiamus, si quid suadeat hæc Doctrina; præsertim cū non defuerint pro Bauaro, qui scripserint Doctores, seu veriùs seductores, Marsilius Ockam, & Iandunus; Anglicanam verò caussam, præter assentatores aliquos, ipsi scriptis tutati sunt Reges, scientiarum professores; Henricus abalienatus mente, immemor eorum, quæ anteà scripserat in Romanæ fidei defensionem, & Iacobus nouissimè, Buchanani Apostatæ magisterio ab infantia vsq; peruersus, mox, Sacellani cuiusdā adulatione, seductus: quorum munimen, singulorum rationibus communicatis, in hanc formam videtur extrui posse à fundamentis, omnibusq; collatis signis, acies ità instrui.

6 Ab ipsis naturæ legibus, medio gentium iure, primatus deducitur Regius in Republica, quoad spiritualia, & Ecclesiastica non minus, quàm quoad secularia, & politica. Reges nanq;, ab origine Regni, ius receperūt per vniuersitates Populorum,

quodcunq; his inesset necessarium ad Ciuium completam Beatitudinem dirigendam; hoc autem non ad sola politica fertur; sed ad Religiosa, & spiritualia de magis.

Si Princeps Ecclesiastica potestate careat in Republica, aut indè erit quòd vniuersitas illi hanc nequierit impendere, aut quòd si potuerit, non tamen contulerit; Quis verò dicat non potuisse multitudinem deferre Principi potestatem ad se regēdam in spiritualibus, cum detulisse pro secularibus nullus eat inficias? Vtrinq; consimilis militat ratio.

7 Ideò apud Communitatem conceditur potestas quædam de Iure naturali Diuino, ad se regendum politicè; quia cum sociabilitas, & propensio in politicam vitam sit homini indita à natura; hæc defecisse non debuit in necessarijs medijs, pro fine huiusmodi consequendo; qualis vtiq; est potestas directiua, præceptiua, & coactiua, præsertim in hac corruptela naturæ.

Sed quæ ad Ciuilem cōuictum humanum impulit animum, eadem Diuini cultus, & Religionis simul extitit instigatrix. Non magis curæ habuit corporeum, quam spirituale bonum, quæ si corpori mater est, animo non nouercatur. Ab eodem humani pectoris trunco, geminus insitus surculus pullulauit; hinc in fraternam communionem, & charitatem; hinc in Dei cultum, & Religionem. Id quod ex vniuersa hominum specie obseruatum conijcimus; nec.n. quæ naturali non suadentur instinctu, ità vniuersalia sunt; sicuti asseuerauit Plutarchus, citiùs obuia futura loca solaribus imperuia radijs, ab omni humanitate aberrantia; quàm mundi incolæ duo hæc nō colant; politicas quasdam, etsi barbaras leges; atq; Religionem, licèt superstitiosam fortè.

Debebantur pro Religione seruanda in Respublicis leges; Nisi verò sit bonum animi, præ corporis, negligendum; At quis inter cæteros legislator assurgat, quos genuit natura pares, nisi Communitatis elatus suffragio? nemo à se ipso iustè sibi potestatem vsurpat in alium; nemo obedientiam debet, cui spontè se non subdiderit expresè, vel tacitè, per propriam,

aut auitam deuotionem, & fœdus.

8 Disparitatem iam meditaris quòd politicus finis de obiecto sit naturali, & viribus naturæ non improportionatus: Ecclesiasticus autem Religione feratur in Deum, supernaturale obiectum, ad quod impotens est natura, vt facultatem largiatur hominibus se dirigendi in illud; hocq; ex Dei munere expectandum, qui in sua caussa præferat quem maluerit.

Equidem; dum à natura insitam nobis dicimus propensionem, ac potestatem pro fine spiritualis Beatitudinis assequendo; de Natura naturante id dicitur, .s. Deo; ipse .n. est, qui ostendit nobis bona, cuius vultus lumen signatum super nos est; Aspirassemus temerè ad spiritualem rectitudinem, gratia non adiuti Diuina. At postquam Creatoris benignitati complacuit, ad supremam fælicitatem homines ordinare, eosdem necessarijs medijs destituisse non debuit, videretur vtiq; nostræ fælicitati potiùs insidiatus, qui, pondus addens inclinationis in spiritalia bona, viam prosequi denegasset; Quorsum vrgere calcaribus capistris detentos, atq; lupatis?

9 Adfuit igitur penès multitudinem, vt desiderium politicæ vitæ, ac Religionis; sic auctoritas in hanc duplicem Rempublicam conueniendi, leges dandi, & cogendi, quam opportuniùs transtulere in Monarcham, aut paucorum selectorum ex cæteris magistratum, sicut & de politica actum est facultate. Vbi, apud sedes diuersas, duæ hæ potestates collocatæ fuerint ab vniuersitate, habento eas singuli Principes suam.

Veriùs tamen constat eundem fuisse antiquitùs, qui temporalibus, & spiritualibus præsideret; Eosdem legimus veteres Reges, ac Sacerdotes; quia nimirum de consequio, cui terrena mandantur Imperia, eidem curæ erant Sacerdotalia; Vt corpus animæ vehiculum, sic & potestas Regia in corporeis, spiritualia prouehebat, quæ alioqui futurum fuisset, vt haberentur contemptui. Noe dicat, Abraham, Isaac, Iacob, & Ruben, & Primogenitus quisq;, qui in Hæreditatem Paternam simul, & Sacrificiorum ritus, Deiq; quales quales cultus principabatur,

tur, reliquos fratres minores in omnibus ſubigens; ſic Iſaac, dum Iacob in primogenitis benediceret, inſcius ait: *Eſto Dominus fratrum tuorum*, Gen. 27. Cui pinguedinem terræ dedit, qua carnaliter familiam paſceret, eidem Cœleſtem legauit rorem, quo etiam ſubditos fratres irroraret.

10 Gentium huic iuri, nec eſt lex Diuina difformis. Hæc nil fuit præter certiorem præfinitionem duorum illorum humanæ rectitudinis cardinum: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo; & proximum tuum, ſicut te ipſum*: Religionis videlicet cultum, & fraternam communionem. Vtrunq; Moyſes, & ſucceſſores curarunt, qui laici fuere Duces, & Moyſes eatenùs vocatur Pontifex, quatenùs id erat temporalis conſequens præfecturæ, quam primariò à Deo obtinuit, vt Iſraelem de captiuitate reduceret; nàm de eius ordinatione in Sacerdotium conticent cætera. Nihil fuiſſet opus in Aaronis fratris genealogiam Pontificium conſtituere, ſed in Moyſis poterat poſteritate relinqui; dum ipſe primariò datus eſſet Sacerdos, & non potiùs ſupereminens Reipublicæ Princeps, in omnibus prouiſurus, & de ſecularibus Iudicibus ſenioribus è Populo, & de Sacerdotibus, ac Leuitis ex familia Leui, & Aaron.

11 Quòd Regia dignitas aliquod excellens Sacerdotium ſecum ferret, illuſtratur ex 2. Paralip. 8. cum fertur: *Porrò filij Dauid Sacerdotes erant*; cum tamen id admitti nequeat, ſi de ordinario Sacerdotio intelligamus, quod, per agnationē Leuiticam, & non Iudaicam, de qua erat Dauid, tranſibat.

Moyſis, & ſuccedentium inſtitutio fuit quidem à Deo. At cum Populus Regem petijt ſibi ſuo voto concedi; noluit Dominus refragari, & ſi malorum imminentium præſcius, inuitus conſenſerit; quaſi iniquum reputans ſibi libertatem reſumere, qua ſemel Naturam donarat humanam, vt nemini inuita ſeruiret, ſed ſuo arbitrio, ſibi præficeret Principem. Vt deinceps creatis in Iſraele Regibus ius ſpirituale adfuerit, facta comprobant ab eis, mox proſequenda, in Sacerdotes, & Religionē.

12 Sunt qui concedant facilè, Reges, ante Euangelium, Sacerdota-

dotalibus præfuisse: Theologorum pars maxima sentit cum Petro: fuisse in Synagoga Regno adiectiuum Sacerdotium, & *Regnum Sacerdotale*, Exod. 19. At nunc per CHRISTVM inuersam prædicant vicem *Regale Sacerdotium*, 1. Pet. 2. Quasi Redemptor aggrauasset iugum, libertatem adimens, quam lex Mosaica non negabat Communitati; vt sibi deligeret à quo in politicis simul regeretur, & religiosis.

13 Agebatur de Diaconis solùm ad ministerium mensarum, & viduarum constituendis; nihilominus, aut Petrus, aut ex Discipulis alius, viros ausi sunt dare ministraturos potiùs, quàm regnaturos, à communitate non recepturos hanc facultatem: *Conuocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Considerate fratres viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu Sancto, & Sapientia, quos constituamus super hoc opus*, Act. 6. quantò magis spirituale Antistitium summum in Republica, liberum erit multitudini dare Regi, & cuicunque maluerit?

14 Cautum id fuit olim in bene formata Ecclesia, per Sacros Can. cum Gelasius PP. dicat c. 11. dist. 63. *Vniuersam turbam vos oportet sæpiùs conuocare; quatenùs, non prout cuilibet libuerit, sed concordantibus animis, talem, vobis admonentibus, sibi quærant, sola Diuinitatis attentione, personam, quam nulla contrarietas, à constitutis possit reuocare præscriptis.* Ergò Ecclesiastica potestas in Episcopum manat à populo, à quo constituta præscribitur, per diffidentiam reuocabilis; quid miri, si laici Reges eandem quondam à populo sibi profiteãtur acceptam? Stephanus item Papa seq. cap. Nosse: *Conuocato Clero, & Populo* (mandat) *talis ibi eligatur, per Dei misericordiam, cui Sacri non obuient Canones.* Prosequitur Nicolaus PP. *Episcopos per Aemiliam non consecres, nisi post electionem Cleri, & Populi.* Quid multa? necessarius adeò legitur popularis vniuersalis assensus, pro auctoritate Ecclesiastica alicui concedenda; vt, in electione Mediolanẽsis Episcopi, mandet nõnullis Greg. votum scrutari plurium Mediolanensium Ciuium Genuæ di-

uersantium, vbi erant vi Barbaricæ feritatis extorres c. quanto, eadem dist.

15 Sed quia Populus iampridem iuri cessisset suo Regem eligẽdo, in quem Ecclesiasticam quoq; potestatem transfundit; hinc factum, vt Principis etiam requireretur assensus, ad merè spiritualem Antistitem, & Episcopum constituendum c. Reatina, c nobis, c. lectis, c. cum longè dist. 63. laico siquidem aufertur, Dynastæ, quidquid Pontifici auctoritatis impenditur.

Quando Principes in Ecclesiæ primordijs detinuit Ethnicitas, incongruè Ecclesiasticis præfuissent; benè moderamen Ecclesiæ credebatur Apostolicorum hominum manibus; at vix, Sacro Baptismate, eluto Constantino, tota se illi subiecit Ecclesia; Romani Pontifices ab ipso expectauere primatum; vter in auctoritate maior præficiens, an qui præficitur? Sanè beatiùs est magis dare, quàm accipere; illud abundantiæ est, hoc egestatis.

16 Romana Ecclesia, Imperatoris decreto, priuatum adepta est c. Constantinus dist. 96. ibi: *Decernentes, sancimus, vt Principatum teneat*, Romana .s. Ecclesia, *tàm super quatuor præcipuas Sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanã, Constãtinopolitanam; quàm etiam super omnes, in vniuerso Orbe terrarum, Ecclesias Dei: & Pontifex, qui, pro tempore ipsius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, extiterit; celsior, & Princeps cunctis Sacerdotibus totius mundi existat; atq; eius iudicio, quæcunq; ad Dei cultum, vel fidei Christianorum stabilitatem procurandam fuerint, disponantur, &c.* Accidit annorum decursu, vt Romanus Pontifex ab hac suprema Iurisdictione deciderit; cum iterùm, per Cæsaris indultũ, Bonifacius in integrum est restitutus; de quo Martinus in quodam can. *Hic obtinuit*, inquit, *à Phoca Imperatore, vt Ecclesia B. Petri caput esset omniũ Ecclesiarum; quia Constantinopolitana iam primam omnium se scribebat.*

17 Ante Phocam, & Constantinum, aliqualis conijcitur reliquarum Ecclesiarum Romanæ subiectio, at non id certa erat lege decretum; nugatoria secùs fuisset Constantini concessio.

Verum quidem ait Marsilius, Barbara loca expetijsse à Romanis Pontificibus suarum Ecclesiarum Præsides, quos gloriabantur, si fortè recepissent; Romana quippè ingenia, vt magnò habita sunt semper in disciplinis, & politica sagacitate; sic & Religiositatis referebant palmam, cum florentem Apostolicam Academiam celebres illustrarent successiuè Discipuli. Quod itaq; voluntarij erat obsequij, Imperatoris edicto in debitam transijt subiectionem. Vin laico Principi iurisdictionem non esse Ecclesiasticam; cum, eius dono, Romano insit Pontifici? Philosophica regula recolenda: *Propter vnum quodq; tale, & illud magis*.

18 Qui sacras literas, vel de limine salutarit, nouum nõ habet, Ecclesiastica officia, seu Prælationes Sacerdotales Regibus Politicis referendas acceptas. Saul (vt nil de Aarone repetamus per Moysem secularem primariò Ducem, in Pontificium constituto) Achimelec, eiusq; progeniem internecioni dedit; nedum Sacerdotio spoliare tentauit; Verùm euadens vnus Abiathar, & hic tandem à Salomone est Sacerdotalibus priuatus: *Eiecit ergò Salomon Abiathar, vt non esset Sacerdos Domini*, 3. Reg. 2. Vixq; necem euasit, ex eo quòd Dauidi agnitus sit beneficus; eiusq; locum Sadoch est, iussu Regis, ingressus.

Sed, ne hoc impiorum Regum videatur licentia vsurpatum, Sanctissimi Hebræorum Reges eadem vsi sunt potestate, Ecclesiastica ministeria disponentes, Dauid, Iosaphat, & Iosias; de primo habetur: *Constituitq; coram Arca Domini, de Leuitis; qui ministrarent, & recordarentur operum eius, & glorificarent, atq; laudarent Dominum Deum Israel*, 1. Paral. 16. de altero: *In Hierusalem quoq; constituit Iosaphat Leuitas, & Sacerdotes, & Principes familiarum*, 2. Paral. 19. Argumento Ecclesiasticam rem, æquè ac Politicam, à Regis vniuersam stetisse arbitrio, dum ipse sic distribuit munia: *Amarias autem Sacerdos, & Pontifex vester*, nostrum non dicit, qui Pontifici est superior, *in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit: Porrò Zabadias filius Ismael, qui est Dux in domo Iuda, super ea opera erit,*

quæ ad Regis officium pertinent ibid. De tertio tandem: *Fecit Iosias, in Hierusalem, Phase Domino, quod immolatum est quartadecima die mensis primi, & cōstituit Sacerdotes in officijs suis*, 2. Paral. 35.

19 Hæ non dicantur præeminentiæ Regum, per CHRISTI legem, abolitæ. Nouimus in priscis, benè formatis, seculis; nullum Cæsari improbatum, Pontificiam conscendisse sedem; ita vt humilis Gregorius, cum Ecclesiæ moderamen firmiter statuisset detrectare, nihilq; profuissent fuga, & latibulum; clam Imperatorem rogauerit, ne electioni præberet assensum; certus, nefas habendum, ipso refragante, creari Pontificem.

Erat ius istud Cæsarum proprium, quibus omnia parent; de quibus Petrus: *Subditi estote omni humana creaturæ, siue Regi, tanquam præcellenti*, 2. Pet. 13. & Optatus lib. 3. contra Parmen. *Super Imperatorem non est, nisi solus Deus, qui facit Imperatorem.* Attamen iam exoletum per Imperatorum, aut incuriam, aut cessionem, cum illud restituerunt Adrianus PP. Carolo Magno, & Othoni Leo c. Hadrianus dist. 63. ibi: *Adrianus autem Papa, cum vniuersa Synodo, tradiderunt Carolo ius, & potestatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam Sedem; dignitatem quoq; Patriciatus ei concesserunt; insuper Archiepiscopos, & Episcopos, per singulas Prouincias, ab eo inuestituram accipere definiuit, & vt, nisi à Rege laudetur, & inuestiatur, Episcopus à nemine consecretur.* Leonis vero Decretum in sequenti extat c. in Synodo, eadem dist. *Ad exemplum B. Adriani, Apostolicæ Sedis Antistitis, qui Domino Carolo Victoriosissimo Regi Francorum, & Longobardorum, Patriciatus dignitatem, ac ordinationem Apostolicæ Sedis, & inuestituram Episcoporum concessit: Ego quoq; Leo Episcopus Seruus Seruorum Dei, cum toto Clero, ac Romano Populo, constituimus, & confirmamus, & corroboramus, &, per nostram Apostolicam auctoritatem, concedimus, atq; largimur Othoni I. Regi Teutonicorum, eiusq; successoribus huius Regni Italiæ in perpetuum, facultatem eligendi successorem, atq; summæ Sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi, ac per hoc Ar-*

chiepiscopos, seu Episcopos, vt ipsi ab eo inuestituram accipiant, & consecrationem, vndè debent, exceptis his, quos Imperator Pontificibus, & Archiepiscopis concessit, & infrà: *Quòd si à Clero, & Populo, quis eligatur Episcopus, nisi à supradicto Rege laudetur, & inuestiatur, non consecretur.*

20 Clausulæ singulæ, accuratiùs perpendendæ, maxima sensus grauitate non vacant, quòd Clerus, & Populus non sufficiat ad spiritualem præsidem eligendum, absq; imperatoris assensu. Estò .n. penes vniuersitatem sit collocata potestas directiua Reipublicæ, tàm spiritualis, quàm politicæ; ea semel trãsfusa in Regem, huic adimi nequit, non immerito, vel inuito. Quòd ordinationes Episcoporum, si quas habet Pont. Max. eas Regi ferat acceptas; ac proinde in præfato Canone nihil de suo iure illi concedat, sed debita restituenda declaret. Quòd facultas illa ad successores extendatur; nunquam ostendatur abrogata; ita vt necessariò perseueret: Et si fortè Pontificis alicuius sit reuocata decreto, reuocatio erit nullius firmitatis; cum interfuerit constitutioni omnis Clerus, ac Populus, qui destitutioni non legitur adfuisse. Adfuisset tamen; nihilò secius nequibat licitè ab Imperatore resumere, quod ex debito, non verò gratuitò illi fuerat adiudicatũ. Ante quippe Adriani has, & Leonis Concessiones, Imperatores fideles in Ecclesia præsidebant, & Pontificalem auctoritatem pro placito dispensabant, ex eo quod ostendimus iure, à Communitate accepto. Inscio Cæsare, Romanus Pontifex non erat creandus, c. lectis, c. Agatho ead. dist.

21 Præter confirmationem Iuris huius, per successores Leonis, Stephanum, ac Nicolaum; diutinus vsus omnia comprobat: cum à decessu Ioannis PP. VIII. vsq; ad Leonem IX. sesquicentenis annis, Imperatores Pontificem Maximum nominarint. Qui Leo ex Habspurgẽsibus Comitibus, vnde inclyta Domus Austriaca, Imperatorum fretus oscedine, inueteratam consuetudine legem primus infregit: ex Othone Phrising. lib. 6. Hist. c. 33. Nec modò instituti, sed destituti leguntur, quotiescunq;

opus fuerit, Romani Pontifices per Cæſares; Ioannem XII. ab Othone, Syluestrum III. ab Henrico depoſitos Hiſtoriæ memorant. Quanquàm iam, alea inuerſa, Pontifices ſibi aſſumpſerint facultatem ponendi Imperatorem, & deponendi.

Alias proderit maximas Eccleſiaſtici fori functiones conferre, per laicos exhibitas Principes; ſiue in veteri, ſiue in nouo Teſtamento.

22 Generale Concilium cogere, de religione decreturum, liquet ſupremæ eſſe Eccleſiaſticæ poteſtatis. Hoc Moyſes, hoc Ioſue, vterq; laicus, hic magis, conuocarunt frequentiùs: *Vocauit Moyſes Aaron, & filios eius, ac maiores natu Iſrael, &c.* Leuit.9. *Vocauit Ioſue omnem Iſraelem, maioreſq; natu, & Principes, ac Duces, ac Magiſtros; dixitq; ad eos, &c.* Ioſ.23. De aliquibus Hebræorum Regibus idipſum legitur: *Miſit Achab ad omnes filios Iſrael, & congregauit Prophetas in Monte Carmeli,* 3.Reg.18. *Cōgregauit ergo Iehu omnem populum, & dixit ad eos: Achab coluit Baal parum, ego autem colam eum ampliùs. Nunc igitur omnes Prophetes Baal, & vniuerſos ſeruos eius, & cunctos Sacerdotes ipſius vocate ad me, nullus ſit qui non veniat,* 4.Reg. 10. En Concilium habes à Rege de Religione indictum.

Sin ſceleſtorum Principum reſpuis exemplum, reſpicito ad ſanctiores. Dauid ait: *Mittamus ad fratres noſtros reliquos in vniuerſas regiones Iſrael, & ad Sacerdotes, & Leuitas, qui habitant in Suburbanis Vrbium, vt congregentur ad nos, & reducamus Arcam Dei noſtri ad nos,* 1. Paralip. 14. Ioſias, Religionis reformaturus abuſus: *Congregauit omnes Sacerdotes de Ciuitatibus Iuda, & contaminauerunt excelſa, vbi ſacrificabant Sacerdotes de Gabaa, vſq; Berſabee: & deſtruxit Aras, &c.* 4.Reg.23.

23 Ad noſtros conuertimur. Vix fuit in Eccleſia primus Christi fidelis Imperator Conſtantinus, cum ſtatim aduerſus Arrium Nicænam Synodum congregauit: in ea præſedit: libellos, & querimonias Epiſcoporum ſuſcipiens. Iſidoro ſcribente, in præfatione de actis eiuſd. Synod. quòd Arrio ſæpius monito, non emendante, res eſt Sacerdotibus pluribus indicata:

Quin & laicis quæstio innotescit, & sermo usq; ad aures religiosi Principis: quippe qui omni studio, & diligentia curaret quæ nostra sunt, peruenit. Tunc ille apud Vrbem Niceam Episcopale Concilium conuocat: ibiq; Arrium, trecentis decem, & octo Episcopis residentibus, adesse iubet, ac de eius propositionibus, & quæstionibus iudicare. Et prosequitur, quòd Episcopis aduersus inuicem querelas habentibus, quibus, diem proterentes, nihil de principali caussa Arij statuebant: *Videns Imperator, quòd per huiusmodi iurgia frustraretur causa summi negocij, diem certum statuit, quo vnusquisq; Episcoporum, si quid querimoniæ habere videretur, semel deferret, cumq; resedisset, suscepit libellos à singulis, &c.*

Concilium Lateranense primum Auctorem primarium habuit Carolum Magnum, de quo c. Adrianus dist. 63. habetur: *Romam reuersus constituit ibi Synodum.* Acta hæc sunt per duos Religiosissimos Cæsarum; quorum præ cæteris Romana Ecclesia effert pietatem, & munificentiam.

24 Alia non desunt decreta, quibus temporales Reges de Religione sanxerunt. Ezechias laudatur, quia Idololatriam, & cultum abstulit excelsorum: *Ipse dissipauit excelsa, & contriuit statuas, & succidit lucos, confregitq; serpentem æneum, quem fecerat Moyses; siquidem usq; ad illud tempus filij Israel adolebant ei incensum*, 4. Reg. 18. Idem laudis Iosiæ datur, quod Dei reformauerit cultum, abusus tollendo: Vetuerit sacrificari paruulos Moloch: Equos, & currus Soli dicatos adusserit: prophana altaria subuerterit Achaz, atq; Manassis: Excelsa sit demolitus, quæ erexerat Salomon Astharoth, Chamos, & Melchon; excelsamq; aram Hieroboami in Bethel, 4. Reg. 23.

Contra, Reges alij, cæteroqui non impij, hinc solùm reprehenduntur, quòd excelsa de Israel sacrificia non abstulerint: Iosa 3. Reg. 15. Iosaphat c. 22. Ioas 4. Reg. 12. Amasias c. 14. Azarias 15. Qui culparentur immeritò de omissa sacrorum reformatione, quæ ipsorum non esset, sed Sacerdotum.

Librum legis Iosias recitari iubet populo, Sacerdotibus, ac

Prophetis; renouat cum Domino fœdus: *Misit & congregati sunt ad eum omnes senes Iuda, & Hierusalem ascenditq; Rex templum Domini, & omnes viri Iuda, vniuersiq; qui habitabant in Hierusalem, cum eo Sacerdotes, & Prophetæ, & omnis Populus, à paruo vsq; ad magnum: legitq; cunctis audientibus omnia verba libri fœderis, qui inuentus est in domo Domini: stetitq; Rex super gradum, & fœdus percussit coram Domino, vt ambularent post Dominum, & custodirent præcepta eius, &c.* 1. Reg.23.

Iosaphat populo prædicauit Ieiunium, & vniuersum Iuda ad fidem est cohortatus, 4. Paralip.20.

25 Si functio vlla Episcoporum apparet propria; Consecratio templorum quàm maximè: at primum omnium Phanum per Salomonem Regem fuisse Deo dicatũ, nemo est nescius. Idem ab Ezechia refertum, & adornatum. Correptiq; sunt Sacerdotes auari, qui pecunias à populo emunxerant, titulo reparandi templi; quod exequi cunctabantur; & prohibiti sunt à Rege collectiones huiusmodi vltra prosequi; aut Templi restaurationi præesse: sed alijs instauratoribus iussi sunt collectum æs assignare. *Vocauitq; Rex Ioas Ioiadam Pontificem, & Sacerdotes dicens eis: quarè sarta tecta non instauratis templi? Nolite ergo amplius accipere pecuniam, iuxtà ordinem vestrum; sed ad instaurationem templi reddite eam. Prohibitiq; sunt Sacerdotes, vltra accipere pecuniam à populo: & instaurare sarta tecta domus*, 4. Reg. 12.

Arcæ fœderis reducendæ auctor fuit Dauid; qui Ephod lineo indutus (Sacerdotale indumenti genus) gestiens præsultabat, dum reduceretur Arca, in celeberrimo illo amburbio, cui vniuersi Israel conuenit frequentia; Sed, & holocausta cum pacificis immolauit: post quæ solemniter populo benedixit, 1.Paralip. 15. 16. Festiuitatum solemnia item licuit indicere Ezechiæ, ac Iosiæ; qui Phase insolitum insigne celebrarunt, 2.Paralip.c.30 & 34. Quæ Episcopalis, & sacra iurisdictio, si hæc non? Quid clarius exigas? Rex Concilium indicit: de fide, & Religione decernit: Pontifices instituit, ac destituit: Reli-

gionem reformat: cæremonijs sacris non prohibetur: neq; officio concionandi: ædes consecrandi: populo benedicendi: sacrificandi: dies festos iubendi.

26 Scrutemur, num apud nostros tale quid sit reperire. Celebrationem festorum dierum Cæsareo præcepto habemus, quæ quidem Dei respicit cultum; religionis est, non politiæ. Theodosius, & Constantinus l. 2. & 3. C. de ferijs. Sanctificari mandarunt dies Dominicos, ille ab omni ferensi strepitu; hic ab opere quocunq; seruili.

Iusiurandum pariter de prima Decalogi tabula est: nihil fraternam politiam, solam Dei venerationem contingens. Imperator nihilominus in eo potest, & quandoq; illud relaxat licitè per Iurisprudentum doctrinam. Accursius ita, ad l. adigere §. vlt. ff de iure patr. Bald. ad l. non dubiam C. de legibus. Iason ad l. vlt. ff. qui satisd. cogunt. Papinian. l. vlt. ff. ad municip. respondit, Impp. Seuerum, & Antoninum rescripsisse, gratiam se facere iusiurandi ei, qui iurauerat ordini se nõ interfuturum: posteaquàm Duumuir creatus esset. Martianus Iurisconsl lib. 6. Instit. eosdem Impp. ait rescripsisse, nullum esse iusiurandum in testamento scriptum contra vim legum, & auctoritatem Iuris. Paulus Iurisc. ad edictum scribẽs l. vlt. ff. qui satisd. cogant. inquit, *qui iurato promisit iudicio sisti, non videtur peierare, si ex concessa causa hoc deseruerit.*

27 Vt in hac parte possunt Principes laici de materia religionis soluere; ita fas est ijsdem excommunicationis pœna ligare (in qua Ecclesiasticæ iurisdictionis in foro exteriori exercitium maxime elucet) Theodosius l. 3. C. de sum. Trin. & fid. Cat. *Iubemus*, inquit, *vt ij, qui impiam Nestorij superstitionem imitantur, vel nefariam eius doctrinam consectantur: siquidem illi sint Episcopi, vel Clerici: è sacrosanctis Ecclesijs exterminentur.* Notetur in re hac formalis caussa: spiritualis pœna exterminationis ab Ecclesia. Materialis, Spiritualis ordinis, & Ecclesiasticæ personæ Episcopi, & Clerici; finalis pariter, caussa religionis, nimirum Nestorij hæresis. Et sola efficiens caussa non erit Ec-

clesiastica Iurisdictio, in Imperatore vigens? Quomodò agens operabitur in improportionatum subiectum, formam suæ virtuti incongruentem procul à suo fine vagantem? l.7.C.eodem additur: *Quæ, cum ita se habeant, anathemate, & execratione summa omnem hæresim condemnamus.*

Et ne quis occurreret, proscribi solùm ab Imperatore Hæreticos, aliàs damnatos ab Ecclesia; extat Iustiniani decretum huiusmodi: *Condemnamus, & anathemati addicimus, non solùm alios omnes Hæreticos qui sunt à IV. sanctis prædictis Concilijs, & à S. Catholica Ecclesia condemnati: verùm etiam Theodorum Episcopũ Mopsuestiæ, & impios eius libros: & impia scripta Theodoreti.* Refert Euagrius lib.4. c.37. Imperatorem audis de fide decernere, hæreses declarare, excommunicationis fulmine ferire. Potestate excommunicandi pollent etiam Episcopi, & Sacerdotes, quibus demandatur: sed vt dependenter à Iurisdictione spirituali Cæsaris, idem Iustinianus ostendit: Nouella 123. *Omnibus Episcopis, & Presbyteris interdicimus segregare aliquem à sacra communione, antequam caussa monstretur.*

28 Procul mirum; Minor secularium Principum auctoritas respondere non debuit magnificis eorum titulis, quibus in sacra pagina illustrantur? cuiusmodi sunt, *Lucerna Israel*, 2.Reg.21. *Pastores populi*, 2. Reg. 5. *Nutricij Ecclesiæ*, Isai.49. *Secundum cor Dei*, 1.Reg.13. *Serui Dei*, 2.Paralip.6. *Vncti Dei*, 1.Reg.24. *Sedentes in solio Dei*, 2. Paralip. 9. *Angeli Dei*, 2. Reg. 14. *Filij Dei*, 2.Reg.7. quid plura? Dij ipsi dicuntur à Deo Principes: ad ipsos .n. refertur illud: *Si latet fur, Dominus domus applicabitur ad Deos*, Exod. 22. Cur ergo paululum Ecclesiasticæ Iurisdictionis inuideamus, & conemur eripere, quibus suummet Diuinitatis nomen communicare non dedignatur Deus? Qui si Ecclesiam debent fouere Nutricij, Ecclesiasticis necessariò se habent negocijs immisceri? Pro quibus obsecrat Paulus primùm omnium fieri Orationes in Ecclesia, 1. Timot. 2. Quibus omnis anima, tanquam sublimioribus potestatibus, suadetur subijci.

Nil

29 Nil tamen auditur absurdius, quàm miscere sacra prophanis. Princeps spiritualium rectè ad temporalia iure suo transeat; qui enim in maioribus potest, minorum non redditur impos. At nusquam terrenorum Dominus ad supernaturalia surgat. Quantacunq; adhibita elocutionis officia, mangonizare non sufficiunt falsitatem argumẽtorum, pro regio in Ecclesiasticis primatu. Fel amarum propositionis huius, nullo valet melleo super illiniri dulcore.

Reclamant primò scripturæ; quia dictum est Petro: *Pasce oues meas*, & nulli Regum; qui si in Ecclesia sunt, locum tenent ouium regendarum: *Quia prater agnos, & oues, in Ecclesia nihil est*. Eucher. serm. de S. Pet. Claues regni Cęlorum non audimus laicis Principibus commendatas: *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, Act. 20. Nostrum non est ponere in hoc regimine Reges. Adeone sic Principes ab Apostoli labantur memoria; quotiescunq; de Ecclesiasticis Officijs loquendum est; si & ipsi partes suas in illis obtineant? Aedificationem Ecclesiæ his audimus: *Et ipse dedit quosdam quidẽ Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas; alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi*, Ephes. 4. Vbi Reges? in capite quidem, tanquam primates, recensentur Apostoli, & Prophetæ, qui primaria sunt huius structuræ fundamenta: *Superædificamur nanq; super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo Angulari lapide* Christo Iesv, Ephes. 2. Primatum itaq; in Ecclesia non habent Principes seculi; qui neq; à Christo Domino auctoritatem receperunt, ad Ecclesiæ regimen. Et cum vice piscatorum eligi potuissent ad Apostolatum, non tamen electi sunt: Ne præcipuè hic error irreperet opinandi, Iurisdictionem Ecclesiasticã esse terrenam, Regiq; debitam. Cum magìs fortia mundi cõfundenda essent, per humilium electionem ad Præposituram. Indicetur vbinam Testamentum nouum potestatem Ecclesiasticam assignet Regibus, & statim porrigemus herbam.

DE REGVL. ARISTOCR. Sed

30 Sed neq; in lege Moysis de hoc est inuenire vestigium; Age discurramus singula. In Decalogo nil tale subodorari potes; neq; in Cæremonialibus, aut Iudicialibus præceptis; ergo neq; in tota lege, quæ nil continebat, præter hæc tria, .s. cultum Dei in prima tabula, proximi charitatem, ac politicum bonum in altera; illa per Cæremonias explicata in Leuitico; hæc per iudicia in Deuteronomio. Quocirca dicitur summatim: *Hæc sunt præcepta, & Cæremoniæ atq; iudicia, quæ mãdauit Dominus Deus vester, vt docerem vos,* Deut. 6.

Quid opus ergo regalium factorum exempla coaceruare, quorum alia ad rem non pertinent; alia iniquè gesta non sunt imitanda; alia non per solos Principes, sed cum Sacerdotum consilio facta sunt? Multa equidem ex scripturis, veteris etiam Testamenti, adsunt in contrarium suadentia, nulli fas Laicorum sese sacris ingerere, aut Cæremonijs, aut Religionis cultui, quorum aliqua proferemus respondentes oppositis.

31 Vnanimis de hac re Sanctorum PP. habetur assensus (quæ vera est Regula sensum scripturarum interpretandi; Vbi .n. Congregantur Aquilæ istæ, ibi est Corpus Ecclesiæ; Non autem in deserto, aut in penetralibus vnius, aut duum solitarij erroris) Ignatius Ep. ad Philadelph. *Principes*, inquit, *subditi estote Cæsari, Milites Principibus, Diaconi Presbyteris; Presbyteri verò, & Diaconi, atq; omnis Clerus, simul cum omni Populo, & militibus, atq; Principibus, sed & Cæsare, obediant Episcopo: Episcopus verò* CHRISTO, *sicut Patri* CHRISTVS; *& ita vnitas per omnia seruetur.*

Auctoritatem tanti Apostolici discipuli habes rationi adiunctam. quæ .n. vnitas in Ecclesia, si, quot sunt temporalia Regna, cum suis Principibus absolutis, nec inuicem subordinatis; tot forent Ecclesiæ diuersæ, vt à varijs capitibus, sic & sententijs gubernatæ? Athanasius Ep. ad solit. vit. agen. *Quando*, ait, *à condito æuo auditum est, quòd iudicium Ecclesiæ auctoritatem suam ab Imperatore accepit? aut quando vnquam hoc pro iudicio agnitum est?*

Et hìc quoq; rationem habes, præter auctoritatem; Si .n. vt effutiebant contrarij, Ecclesiastica Iurisdictio manauit à Cæsare in Pontifices, & Ecclesiasticos Prælatos reliquos; ergo ab illo, & in illo fundata est Ecclesia; ergo Christvs passus est gratis, ergo Ecclesiam ipse non fundauit, nullamq; Apostolis contulit potestatem; Non temporalem, quia, secluso respectu ad spiritualia, ea Discipulis prohibetur, quinetiam suadetur terrenæ maiestatis neglectus; Spiritualem verò ais descendisse à laicis Regibus; declares ergo, de qua sibi vellet potestate, qui dixit: *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra. Sicut misit me Pater ego mitto vos.*

Ambrosius Ep. 33. ad Marcellinam, talia se dixisse refert Valentiniano: *Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ; publicorum tibi mænium ius commissum est; non sacrorum.* Cirillus lib. de recta in Deum fide: *Datum est,* ait, *Regibus humanæ celsitudinis fastigium, quia Sacerdotale, & Pontificale plus est, quàm humanum. Humana igitur Principes regere, & possunt & debent; sed plusquam humana venerari, Sacerdotumq; ministerio dimittere.*

Sacros adeamus Canones; Ecce Ius vniuersum, hac eadem doctrina respersum, sed præcipuè c. bene quidem, c. deniq;, c. cum aduersum, c. satis; & vniuersam tandem dist. illam 96. Vbi inter cætera, Ioannes PP. c. 11. *Si Imperator catholicus est, filius est*, inquit, *non Præsul Ecclesiæ. Quod ad religionem competit, discere ei conuenit, non docere. Ad Sacerdotes .n. Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere; non ad seculi potestates, quas, si fideles sunt, Ecclesiæ suæ Sacerdotibus voluit esse subiectas.*

32 Ecclesiæ vniuersus ordo peruertitur, si Iurisdictionem Ecclesiasticam laicis indulgeamus Principibus. Primò .n. aufertur Monarchia vniuersalis: cum tot Ecclesiasticas supremas constituas potestates, quot sunt secularia mundi Regna; quæ etiam diuersimodè in varijs locis rempublicam curãt; hìc Aristocraticè; ibi in Democratiam; alicubi Tyrannicè, aut Oligarchicè. Siccine pariter vagum erit Ecclesiasticum regimen, pro

hominum, & locorũ consuetudine? Monarchia sublata, actum est quoq; de Vnitate Ecclesiæ: *Idipsum rogamur omnes dicere, & sapere, ne sint in nobis schismata*, 1. Cor. 1. Vnde igitur desumenda hæc vnitatis regula, cui omnes se conforment inter laicos Principes, quorum alter alteri non concedat? Sit quæstio in fide; aliter decernant Reges; cui standum magis? Hispano ne, Gallo, an Polono?

Si Regibus debeatur Religionis cura; vel omnibus, vel aliquibus, vel vni: Non primum, quia Ecclesiam in frusta secas: non secundum, aut tertium, quia non apparet maior ratio de vnis præ alijs. Dempta autem Ecclesiæ Monarchica vnitate, aufers de consequenti stabilitatem perpetuam: Si Ecclesia Christi, alia sit Romana, alia Teuthonica, alia Anglicana, &c. Non stabit: *Omne regnum in se ipsum diuisum, desolabitur.* Et inter præcipuas notas veræ Ecclesiæ .s. Romanæ, habetur, quòd à SS. Apostolis huc vsq; eadem perstiterit; cum innumerabilium exortarum hæresum, vix extremæ supersint; ipsæq; inter se sic digladiantes, vt breui sperare possimus exitum, antiquioribus non dissimile; Deus faxit: Non est Regnum Dei, vbi desit vnitas. Votum est Redemptoris Patri, pro suis fidelibus: *Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus*, Ioann. 117. sensu scilicet, & charitate.

33 Religionem, & Dei cultum, alium natura suadet, alium gratia: de illo conceditur populis à natura, sicut propensio, sic & necessaria potestas; quam potuerint in Principes contulisse; non secus, atq; politicam; propterea in statu naturæ exlegis, qui Principes, & Capita familiarum Aris præerant, & focis, rude quoddam religiosum prosequebantur Imperium, quoad naturale dictamen diuinum cultum suggereret.

Post datam legem, res est anceps apud Theologos; Num Rex temporalium Sacerdotio præesset. Et quidem c. nos si incompetenter 2. q. 7. habemus: *Dauid præfuit Sacerdotibus in caussis secularibus, subiectus in caussa Dei.* Oziam mox audiuimus ab Altari repulsum.

 Da-

Dato quòd præfuisset, fuissetq; Sacerdotium adiectiuum Regno: Nihil tale nouum Sacerdotium patitur. Inuersas vices prædicat Petrus. Sacerdotium est factum regale, at regnum desijt esse Sacerdotale. Nec ideò Redemptoris aduentus aggrauauit iugum; quin potius relaxauit; solis .n præceptis, seu Decalogo retentis; Cæremonialia, & Iudicialia aboleuit; in sanguine suo nouum condens testamentum gratię, cuius regimen totum ordinandum penderet ab eodem gratiæ largitore: humana natura nihil habente iuris in regnum illud, in quod per gratiam, & Baptismi lauacrum precariò introducitur. Eius est dare potestatem dirigentem in finem, cuius est in eundem media præparare; atqui solus Deus gratiam, & gloriam dat, medium & finem, in quem ordinantur fideles; Idem igitur potestatem, in hac sua Respublica directricem, constituat.

34 Quòd Apostoli, in eligendis Diaconis, pro tunc studuerint votum excipere multitudinis, vt eius murmuri satisfacerent, quid refert? certè Apostoli ipsi imposuere manus, & ordinauere septem, à multitudine præsentatos; Apostoli auctores eius electionis fuere. Sicuti, quòd multi Canones concedant Principibus Episcoporum nominationem; non ideò statuunt, vt ab ijsdem consecrentur, aut Iurisdictionem accipiant Ecclesiasticam. Dummodò Summus Pontifex nō excludatur ab ordinatione Episcoporum, & ab ipso pendeant, quicunq; Iurisdictionem spiritualem recipiunt, salua res est.

Quid mihi quòd Cleri, & Populi aliquando requireretur interuentus, ad bene esse adiunctus? quò videlicet, qui eligendi sunt, magis cogniti à populo, & explorati, idonei proponerentur Pontifici; aliàs de moribus eorum ignaro. Vel vt promptioris obedientiæ esset plebs, erga beneuolum Antistitem, suo nutu delectum; Siue, vt Ecclesiæ viduatæ consultiùs, pro exigentia, prouideretur ab his, qui eius nossent necessitates, & alijs huiusmodi rationabilibus de caussis.

35 Sicut etiam Principis assensum curabant Romani Pontifices, in dandis Episcopis; omnia studentes maxima cum pace

 per-

peragere; nemini dantes vllã offenſionem. Neq; enim ab Apoſtolica prouidentia eſt, pro ſpirituali Patre, Principibus in faciem inuiſum ſiſtere inimicum. Et ipſe Princeps ſuum populum nouit, cui opportuniorem curet, etſi non conſtituat Paſtorem. Iuris patronatus etiam gratia fieri poteſt, vt legantur ad Eccleſiaſticas dignitates poſtulati per laicos Dominos; ſecus ſi de electione, non verò de poſtulatione, aut conſenſu loquaris. Adriano attendas in octaua Synodo c. 1. diſt. 63. *Nullus laicorum Principum, vel Potentum ſemet inſerat electioni, aut promotioni Patriarchæ, Metropolitæ, aut cuiuslibet Epiſcopi; ne videlicet inordinata hinc, & incongrua fiat confuſio, vel contentio: præſertim cum nullam in talibus poteſtatem quanquam poteſtatiuorum, vel cæterorum laicorum habere conueniat.*

Valentinianus Imperator, à cœtu Epiſcoporum poteſtate ſibi facta, eligendi Mediolanẽſem Epiſcopum, recuſauit; ſibiq; id non competere atteſtatus, ſolùm hortatus eſt: *Talem in Pontificali conſtituite ſede, cui & nos, qui gubernamus Imperium, ſincerè noſtra capita ſubmittamus, & eius monita, dum tanquam homines deliquerimus, neceſſariò, velut curantis medicamenta, ſuſcipiamus.* Habetur c. Valentinianus diſt. 63. ex Hiſt. trip. lib. 7. c. 8. Idipſum decernitur, c. porrò, c. ſi per ordinationem, & c. omnis ead. diſt. ibi: *Omnis electio Epiſcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi à Principibus facta, irrita maneat, ſecundùm regulam, quæ dicit: Si quis Epiſcopus ſecularibus poteſtatibus vſus, Eccleſiam per ipſos obtinuerit, deponatur, & ſegregentur ab Eccleſia omnes, qui illi communicant.*

36 In electione Romani Pontificis, ſicut & reliquorum Epiſcoporum, certum eſt olim popularem requiſitum eſſe aſſenſum; non quidem populo eligente, ſed cleri electionem comprobante; quod ijſdem de cauſſis fieri potuit, ad maiorem pacem, & tumultuum compreſſionem, cũ Apoſtolica Sedes nondum eius eſſet potentiæ, quæ rebelles, & ſeditioſos poſſet in ordine continere. Immò inualeſcente multorum perfidia, cum præcauerent Romani Pontifices, ne electiones ſucceſſorum

per hæreses, & schismata, vi distraherentur; secularem Imperatoris Religiosissimi auctoritatem admiscuere, in eligendo Pont. Max. Vt vel sic ab iniustis iniurijs, ac violentijs schismaticorum forent securi. Sed pietate illa posteà Cæsarum degenerante, euenit, vt indidem passa sit Ecclesia pressuram, vnde adiutorium attendebat.

Rauennates Hexarchæ, pro Græcis Imperatoribus, in Italia principantes, tyrannicè eleuati, sic afflixere Romanas res, vt miseratus Constantinus IV. Imperator, Benedicto II. Sanctissimo Pontifici ius suum quale, quale habebat renunciarit in eligendo Ecclesiæ Pastore; redonans, vt ab inde, nulla expectata auctoritate Constantinopolitani Imperatoris, eiusue in Italia Hexarchæ, Pontifex crearetur.

37 Sed enim cognita deinceps Caroli Magni pietate, & vigentibus Ecclesiæ necessitatibus, Adrianus iterum, vt recitatum est, illi priuilegium restituit, ordinandi Apostolicam Sedem, & inuestituram tribuendi Ecclesiasticis Prælatis; vt Virgam, & annulum in signũ illis tradens, à Pont. Max. posteà ordinarentur. Sed hanc secundam partem breui, priuilegio Carolus renunciauit 63. dist. c. Sacrorum. Sicut & alterum de ordinatione Apostolicæ Sedis, renunciauit similiter Ludouicus Caroli filius, & successor, ead. dist. 1. Ego Ludouicus.

Iterum deniq; Leo VIII. gratificaturus Othoni, cuius potentia firmatus fuerat, aduersus Populi Romani reclamationem; ob occupatam sedem Io. XII. Põtificio pulsi; priuilegium aliud restituit desumptum ex ead dist. c. In Synodo. Quo priuilegio diù successores Othonis vsi, & abusi; non solùm Apostolicam Sedem ordinare, sed Ecclesiasticas dignitates turpi Simonia, licitatione illicita subhastare cæperunt, Antipapas quotidie renouando.

Tum Clerus, & Populus Alexandrum II. inscio Imperatore, crearunt, ius ab illo resumentes, quo in Ecclesiæ perniciem vtebatur, quod omnino eripuit postea Greg. VII. vt videre est 16. q. 1. c. si quis deinceps. Et quàmuis Paschalis II. denuò

 Hen-

Henrico V. illud priuilegium fecerit, dum captiuus in eius viribus detineretur; statim tamen ac liber euasit, factum abrogauit in Conc. Later. 1. sess. 4. Ex quibus elucidatur responsio Glossæ c. in Synodo dist. 65. verbo affici. *Cum hæc priuilegia fuerint omnibus successoribus data, quarè nō vtuntur eis? Respon. quia Imperatores eis renunciauerant*, vt inf. ead. c. Tibi (vbi inter cætera, Otho priuilegium Leonis, Ioanni PP. renuncians, vouet: *In Romana Vrbe, nullum placitum, aut ordinationem faciam, de omnibus, quæ ad te, aut ad Romanos pertinent, sine tuo consilio*) *item* (prosequitur Glossa) *quia per abusum ea perdiderunt*; vt inf. ead. §. verum: *item quia ex caussa fuerunt eis concessa, vnde cessante caussa, ipsa cessauerunt*; vt in 1.q.7. c.quod pro remed. *Nec obstat, quod hìc dicitur de successoribus; quia hoc intelligendum est de illis successoribus, qui hoc impetrare possunt*, vt 23.dist.c.in nomine.

38 Sed hoc solùm os deberet obstruere; quòd si Imperialis auctoritas Pontificio indiguit priuilegio, vt Apostolicam Sedem ordinaret, Pontificem confitetur sibi superiorem, à quo ius illud, vel omninò receperit, vel retulerit adiudicatū. Idem ergò Pont. Max. poterit vrgente caussa, reuocasse quod dederat; cuius intensiuè minor non est auctoritas in Ecclesia, quàm cum Clero simul, & populo; potestati .n. diuini Ordinis, nulla fieri potest accessio, per naturalis potentiæ vnionem.

Otho I. Ioannem XII. deposuit, ei Leonem VIII. substituens. Henricus III. Syluestrum tertium pariter eiecit. Addi poterant Liberius à Constantio, Siluerius à Iustiniano in exilium, Ioannes I. à Theodorico in Carcerem missi. Euge Diocletianum, Neronem, Decium omittis, qui Ecclesiam, eiusq; Pontifices afflixere? Exemplis omnibus adhærescere debemus; an ritè gestis tantummodo? Otho nimio zelo Ioānem deposuit, vel potiùs renunciare coegit, irritam eius electionem, Simoniacam accusans. Vt pariter Syluester ab Henrico Schismaticus est detectus, & illegitimus Papa. Circà Liberium, iniquè actum testatur Athanas. Ep. ad solit. vit. ag. Et circà Siluerium Libera-

tus in breu. c. 32. Sicut circà Ioannem Greg. 4. dial. c. 30. Nec latet, Constantium, ac Theodoricum partibus Arrij adhæsisse, Iustinianum Euthychetis. Aliç Pōtificum electiones ratæ habitæ fuere, non quatenus illis interfuit Imperator, sed ex Cleri, & Populi, quorum intererat, electione legitima.

39 Itidem Moyses Aaronem consecrauit, & ipse Sacerdos, & quidem primariò ordinatus à Deo. Vnde dicebat ei: *Cum eduxeris populum meum de Aegypto, immolabis Deo super montem istum*, Exod. 3. Et filiæ nupserat Sacerdotis Madian. Filij Dauid Aequiuocè Sacerdotes dicuntur; idest Principes, & honorabiles in populo, vt Glossa obseruat. Non quòd Regia progenies sacro alicui Sacerdotio foret immixta. Vt quid.n Ozias prohibitus est adolere incensum à Sacerdotibus, & Deo; inde pulsus, hinc lepra percussus? Saul trucidauit Sacerdotes, sed licitène, an minùs, ipsi ostenderunt Emissarij Regis, refugientes huic parere: *Noluerunt autem serui Regis extendere manus suas in Sacerdotes Domini*. Et oportuit sceleri adhiberi sicariū irreligiosum, & Gentilem Dœgmæum.

De Salomone fert opinio, vt Rex erat, simulq; Prophetes; ita huius, non illius vsum potestate, dum repulit Abiathar. Dei .n. id erat Decretum; iuxta quod scribitur: *Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non esset Sacerdos Domini, vt impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo*, 3. Reg. 2. Siq; in regia potestate id fecerit, quid inde? hoc, & deterius potuit perpetrare, qui tandem religionem abiurans, poplitem inflexit Idolis; transeat ne in exemplum id quoq; ?

Dauid, Iosias, & Iosaphat ideo pro Dei cultu assumpsere de Sacerdotibus, & Leuitis, quòd eos Sacerdotes facere non poterant, si non fuissent de Sacerdotali, & Leuitico genere oriundi; Nihil magis, quàm Ferdinandus inuictissimus Cæsar, Monastici cultus studiosus, Oliuetanos Monachos suis in regnis expetijt; Creauitne ideo Sacerdotes, & Religiosos, qui in præparatis ædibus ad Dei laudem optauerat congregare? Immò citata Iosaphat indicant, Regalis muneris nó esse, quæ ad Deū

pertinerent, ex opposito diuidendo: *Zabadias filius Israel, qui est Dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent, præsidebit: Amarias autem Sacerdos, & Pontifex vester, in his quæ ad Deum pertinent.* Fuit porrò hæc distinctorum munium declaratio, non iniunctio.

Vim ridiculè facis, in eo quod dixerit: Pontifex vester; Sacræ phrasis ignarus, quæ pronomine illo vtitur, ad peculiarem amoris exciẽdum affectum; cum neq; Moyses abiurarit Deum, aut se ab eius ditione exsoluerit, toties populo repetens: *Hæc dicit Dominus Deus vester.*

40 Cætera dilues, dum Isidorum audias relatum 23. q. 1. *Principes seculi nonnunquam intrà Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent; vt per eandem potestatem, disciplinam Ecclesiasticam muniant. Cæterùm intrà Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi, vt quod non praualet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc impleat per disciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum, cæleste regnum proficit; vt qui intrà Ecclesiam positi, contra fidem, & disciplinam agunt, rigore Principum conterantur.*

Principum exigit debitum, populos aberrantes corrigere, abusus non dissimulare, præsertim circà Religionem: Hæresis .n. crimen spirituale quidem est, sed etiam simul quodammodò politicum. Vix .n. aliud est, ex quo Ciuilis magis turbetur pax, quàm religionis dissensus, & nouitates. Meritò laudantur Hebræorum Reges, qui in Dei Latriam inuigilarint. Meritò arguuntur socordes, qui abusus pertulerint; ipsorum .n. referebat, quod Sacerdotum prædicatio, & Prophetarum non suaderet, potentia promouere, illis coadiuuare; eorum consilio, & societate vti.

41 Hùc Imperatores Concilijs interfuerunt; vt Martianus Imperator inquit in 6. Act. Chalcedonensis, & habes 96. dist. c. 2. *Nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam ostendendam, exemplo religiosissimi Principis Constantini, Synodo interesse voluimus; vt inuenta veritate, non vltra multitudo, prauis doctri-*

vis attracta, discordet. Audimus alterius Imperatoris testimonio, vt se gesserit Constantinus ad Nicenam Synodum; nimirum confirmaturus, & additurus robur Cæsarea maiestate, non sanè aliquid decreturus.

Insuper Isidori verba citabantur trunca, & mendosè; qui ait: *Tum ille ex sententia Sacerdotum, apud Vrbem Nicaam Episcopale Concilium conuocat*. Non ergo absolutè de propria, sed Sacerdotum sententia inijt Imperator Concilium.

Libellos quidem ab Episcopis suscepit, sed nunquid, vt iudicaret? prosequendus est textus, legitur .n. *Cum resedisset, suscepit libellos à singulis, quos omnes in sinu suo continens, nec in eis quid contineretur aperiens, ait ad Episcopos: Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoq; iudicandi. Et ideo nos à vobis rectè iudicamur; vos autem non potestis ab hominibus iudicari, &c. Et ideò his omissis, illa qua ad fidem Dei pertinent, absq; vlla animorum contentione discutite: & cum hac dixisset, omnes querimoniarum libellos iussit exuri.* Zelus igitur commendandus est Constantini, pacem inter Episcopos componentis; expeditionem Ecclesiasticorum negotiorum, non peragens, sed solicitans.

Carolus item Magnus: *Romam veniens constituit ibi Synodum*, sed sequitur, *cum Adriano Papa*. Si Pontifex Maximus adest, & consentit, nil ampliùs quærimus, satìs est, quòd, ipso inuito, laici Principis non sit Ecclesiasticum Concilium cogere, nec prouocare; consulat, hortetur, suadeat, quandocunq; S. Ecclesiæ nouerit opportunum.

42 Non aliter apud Synagogam dicas, ex relatis Concilijs, per seculares Principes collectis; alia fuisse merè politica, vt illa Iosuè: alia inuitantia, non cogentia, & cum Sacerdotum vltroneo interuentu; cuiusmodi Dauid, Iosiæ, &c. alia scelesta; qualia Achabi, & Iehu. Demum, vt experiaris quid tandem inferatur, des, Reges in veteri testamento, si non omninò præfuerint Pontificibus, proculdubio maiorem auctoritatem in eos habuisse, quàm nostri Reges in Euangelicos Sacerdotes:

Ius Regium in noua lege nihil noui obtinuit, Sacerdotio, quoad potuit efferri, elato.

Sed insuper nihil tale in iure regio inuenio, quod Deut. 17. & 1. Reg. 8. describitur, vt scilicet fas illi esset, Comitia Sacrorum compellere; de lege, & fide statuere. Immò ex 4. Exodi subditur: *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem, caussam, & caussam, lepram, & lepram; & iudicum intrà portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: venies[q]; ad Sacerdotes leuitici generis, &c.* alibi. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius,* Malach. 2. *Interroga Sacerdotes legem,* Agg. 2. *Pro Iosue siquid agendum erit Eleazar Sacerdos consulat Dominum. Ad verbum eius egredietur, & ingredietur ipse, & omnes fi'ij Israel cum eo,* Num. 27.

43 Aliud est Iosiam librum legis populo iussisse prælegi; concionatum esse, renouasse fædus cum Domino: aliud de fide sancire; Constitutiones nouas condere, declarantes latentia fidei. Aliud templa dicare Deo; aliud Sacerdotalibus ipsis fungi. Aliud inuigilare, ne de sacro thesauro gazophilacij Sacerdotes rapaces pinguescerent, sed laicorum eleemosinas in eos sumptus conuerterent, ad quos fuerant erogatæ; & aliud Ecclesiastica bona cõpilare. Vtinam & nostri Reges omnes æmularentur illos, templorum conditores, reparatores, Diuinæ legis præcones, Ecclesiasticæ rei tutores. Aut totum, aut nihil vis. Vel omnimodam in Ecclesiasticis iurisdictionem habeant Principes, vel prorsus rem Religionis posthabeant. male. dum .n. profers gesta in tutelam, & reuerentiam sacrorum à Regibus, saltamus extra chorum; alibi lis nostra; num videlicet Ecclesiastico iure laici sese ingerant sacris.

44 Præsiliebat Arcæ Dauid; sed eam Leuitarum imposuit dorso, quam non audebat contingere, expauens percussionē Ozæ. Applicatio Ephod, Immolatio Victimarum, tantò non sunt habenda, vt iurisdictionem Ecclesiasticam inuehant, siquidem

ex hoc capite alijs à Regibus dari potuisset; non .n. solius Regis, & Sacerdotis fuit hostias immolare; Immolabat Helcana, & tamen de Sacerdotali Tribu non erat: aliàs argumentum probaret vltra intentum; quòd videlicet nostri etiam Reges, non solùm iurisdictionem habeant in Ecclesia, sed & Ordinis potestatem, valentes sacrificare. Regem suo populo benedixisse nō miror; benedicit Pater filios, benedicit Mater: an præter Episcopalem non superest benedictio?

45 Ab Ecclesiastica iurisdictione ad diuinam auctoritatē vsurpandam, pedetentim transimus; quid de celebratione festorum obtenditur? estne à Principe, quæ tertio loco exarata est digito Dei in Decalogo? Duo sunt in diei festi cultu; finalis ratio Diuini obsequij, & materialis vacatio à terrenis negotijs; Vtrumq; possunt laici Reges subditis suis præcipere; non .n. Dei cultum illi prohibentur iubere; & in terrenis agendis sunt Domini; Sed præceptum eorum spirituale nō est conscientiam specificè obligans, Ciuilis tantùm pœna reos directè constituens transgressores.

At vice reuersa, apparet quidem potestas Summi Pont. in temporalibus, prout fini supernaturali deseruiunt, dum solemnizari festos dies sic præcipit, quatenus homines temporalibus negotijs parcere teneantur, sub vtraq; pœna, spirituali, atq; ciuili, si placet; atq; sub culpa specificæ transgressionis contra virtutem religionis.

46 In iuramento pariter, quod ciuilibus actibus immiscetur; cum præter spiritualem, alia Ciuilis obligatio consurgat; hanc potest Princeps soluere, Iuramentum interpretando, dispensando, vel etiam prohibendo, ne fiat, factumq; sit nullum, ob Reipublicæ bonum. Vt illud Iustiniani, l. 2. C. de indic. vid. toll. prohibens ne iuramentum de viduitate seruanda, sit ratum; vt potè Reipublicæ perniciosum, quam expedit coniugijs, & ciuibus multiplicari; vincula verò Iuramentorum quà Conscientiam tenent, non nisi ab Ecclesiastico valent Iudice relaxari; etiam si ciuilibus actibus immisceantur, c. 1. de iure

iurando c.6. c.12. eod. Abb.ad c.tua 1. de decimis. Cynus, & Salicetus ad l.vlt. C.si contra ius, & vtil.pub.Castrensis Imola Host. &c.

47 Quia item Hæretici, genus hominum Reipublicæ pestilentissimum sunt, ciuili edicto ab ea debent exulare, tanquam factiosi, publicæ pacis turbatores; qui Deo fædifragi, pro nihilo ducunt, fidem Principi violare. At verò laicæ potestatis non est propositiones hæreticas, à Catholicis internoscere, ac definire.

Leguntur multa per seculares Principes de religiosa re constituta; at semper in his professi sunt Ecclesiasticis inhęrere vestigijs; vt magis Pontificum iura obseruanda mandarint, quàm ipsi noua præcepta imponerēt. Sic Mart.Imper. l.5.C.de summa Trin.& fid. Cat. *Iniuriam*, inquit, *facit iudicio reuerendissima Synodi, si quis semel iudicata, ac rectè disposita reuoluere, & publicè disputare contenderit: cum ea, quæ nunc de Christiana fide à Sacerdotibus, qui Chalcedone cōuenerunt, per nostra præcepta statuta sunt, iuxta Apostolicas expositiones, & instituta SS. Patrum CCCXVIII.& CL. in hac regia Vrbe definita esse noscātur.*

48 Et Iustinianus Nouel. 123. (quod obijciebatur) *Omnibus Episcopis, & Presbyteris interdicimus segregare aliquem à sacra cōmunione, antequam caussa monstretur propter quam sacræ regula, hoc fieri iubent.* Theodosius, & Valentinianus Nouel. 14. (quoad Romanæ Ecclesiæ primatum dicebatur) *Sedis*, aiunt, *Apostolicæ primatum, Sancti Petri meritum, qui Princeps est Episcopalis Coronæ, & Romanæ dignitas Ciuitatis; sacra etiam Synodi firmauit auctoritas, ne quid præter auctoritatem Sedis illius, illicitum præsumptio attentare nitatur.*

49 Nec aliter intelligendum Cōstantini, & Phocæ Decretum; vt .s. mandarint, neminem Romanæ Ecclesiæ Diuinitùs datum honorem, & per Concilia firmatum eripere. Estò aliqui aliter soluant, Gratiano imponentes, quòd Canon iste sit adulterinus, & meritò Palea inscriptus; cum inter alias sedes, quibus Romana præfertur, habeatur tertio loco Constantinopo-

litana, quæ nondum esset vlla, quippe eod. can. adhuc ædificanda erat Constantinopolis, in locum Byzantij, quæ etiam diù ab ædificatione, per Imperialis residentiæ dignitatem ambitiosa, Patriarchalem sedem inter præcipuas est consecuta. Sed fieri potuit, vt Constantinus de Constantinopoli loqueretur, quam ædificare intendebat. Sit vtcunq;, declarare debitum honorem alicui, non est facere tali honore dignum.

Regem Babilonis audimus: *A me ergo positum est hoc Decretum, vt omnis populus, tribus & lingua, quæcunq; locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach, & Abdenago dispereat, & domus eius vastetur; neq; .n. est alius Deus, qui possit ita saluare,* Dan. 3. ergo vsq; tunc potestatem, & maiestatem non habuerat Deus? ergone a Nabucdonosore illa expectarat?

50 Gaudeant seculi Principes suis titulis, eorum nemo inuidet Gloriæ. Supra Imperatorem, certè non est nisi Deus, et qui auctoritate Diuina præest Ecclesiasticus Antistes. Est etiam hic excellentiori modo: *Lux mundi*, Matt. 5. Nutricius fidelium, quibus tanquam paruulis lac, potũ dat. 1 Cor. 3. *Vnctus Dei*, immò & Reges inungens, de quo dicitur: *Nolite tangere* CHRISTOS *meos, & corripuit pro eis Reges*, Ps. 104. *Angelus Domini exercituum est*, Malach. 2. Filij Dei omnes nominamur, & sumus, rectè ambulantes, quibus data est potestas filios Dei fieri, 1. Ioan. 3. Dij tandem sunt etiam Sacerdotes, non propter potestatem tantùm, vt Principes, sed Vitæ, & Conuersationis præstantiam elati, de quibus Psaltes: *Deus stetit in synagoga Deorum*, Ps. 81. Hinc, & hinc igitur affulgent tituli; sed vt quanta est inter Solem, & Lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoscatur. Lunares radij per Solis non transeunt sphæram. huius iubare Cælos alios persuadente, c. solitæ. De Maior. & obed.

CAPVT XII.

Temporali laici Principis potestati Ecclesiasticos non addici; & refelluntur qui humani id autumant Iuris.

ELENCHVS.

1 *SI nulla sit laicis Dominis spiritualis iurisdictio, saltem vniuersalem videntur sibi vendicare temporalem potestatem, etiam in Ecclesiasticos viros.*

2 *Innuuntur quædam erroris huius fundamenta.*

3 *Facies Ecclesiæ, quàm flebiliter mutata in hæreticis regionibus.*

4 *Apud Catholicos indubitata seruatur Ecclesiæ immunitas, & quid comprehendat.*

5 *Siue ortum duxerit ex Diuino, siue ex Canonico, aut Cæsareo Iure, iam transijt in præceptum inuiolabile.*

6 *Solius Pont. Max. authoritas validè, & licitè præcipere potuisset de Ecclesiastica Immunitate.*

7 *Probatur exemplo militum, qui soli Duci suo tenentur causam dicere.*

8 *Item ex recepta authoritate, quæ Pastoris est ad custodiendum omnimodè gregem.*

9 *Immunitatem hanc non esse iniuriosam Principibus, & respondetur querelæ Marsilij, quòd hac via, dicit, posse omnibus subditis Principes spoliatum iri.*

10 *Mandarunt sæpe de facto Summi Pontifices super immunitate Ecclesiastica Principibus laicis.*

11 *Etiam si Imperatores immunitate donassent Ecclesiam, eam est nefas ab ijsdem repeti.*

12 *Siue sub priuilegij forma eādē indulserīt, amodò nō est reuocabilis.*

13 *Falsum est Ecclesiam debere Cæsaribus acceptam Immunitatem.*

14 *Ante conuersos ad fidem Imperatores, Sacri Canones habent plures de clericali exemptione.*

15 *Testimonium D. Clementis, & D. Pauli de eadem.*

16 *Constans traditio omnium seculorum immunitatem hanc firmat, probatq; iuri naturali conformem.*

17 *Lex naturalis non patitur filijs, aut discipulis parentes subdi, atq; magistros.*

18 *Sacerdotes frequenter nuncupati seculariū Patres, & Præceptores.*

19 *Laici crimina inquirentes Ecclesiasticorum, Cham filio Noe persimiles, atq; Ruben.*

20 *Eodem naturali iure docente, incongruis laicis subdi Clericatum, quia est senior.*

21 *Itē quia Clerici sūt Domestici, & Heri, laici hospites in Ecclesia.*

22 *Item ratione accepti beneficij laici habēt exemptione prosequi Ecclesiasticos.*

23 *Vestales virgines olim gauisæ sunt triplici Clericali Immunitate.*

24 *Pharao, & Artaxerses Gentiles Sacerdotalem coluerunt Immunitatem.*

25 *Vsq; ad Aras dumtaxat Ciuilia tenebant in omni barbara natione, & de Asylo vbiq; constituto ad sacra loca.*

26 *Res sacras in lege veteri, nec producere in prophanos vsus, neq; cōtingere, neq; aspicere laicis est datum impunè.*

27 *A fortiori exemptio sacrorum hominum inde statuitur.*

28 *Hanc Gentibus omnibus solemnem sacrorum hominum Immunitatem bellua defenderunt aliquando, & elementa.*

29 *Solus nutus contra illam grandi miraculo cohibitus. Angeli acerrimi defensores eiusdem.*

30 *Vnum reuocatur in dubium: An præter humanum ius, adsit queq; de Clericali Immunitate Diuinum præceptum.*

31 *Tripliciter ius Diuinum intelligitur, & de quo tangat quæstio.*

32 *Qui ius Diuinum inficiantur de Ecclesiastica Immunitate fundantur in eo, quòd, neq; de iure Diuino naturali, neq; de positiuo id habeatur.*

33 *Arguunt primò contra ius naturale; quia, si id extaret de hac Immunitate, contrarium nunquam esset licitum.*

34 *Natura non priuilegiat Clericos, eo intuitu, quod Diuino cultui sint addicti, à paritate suscipientium baptisma, qui cõsequuntur nulligenam libertatem.*

35 *Eiusdem Reipublicæ pariter Ciues sunt Clericus, & Laicus; pares ergo erunt in subiectione ad eundem Principem; idq; maximè consentaneum naturæ.*

36 *Neq; Clericali characteri hæc exemptio ostẽditur ex natura deberi.*

37 *Arguunt contra Diuinum Ius scriptum de eadem Immunitate, quia lex Mosayca subdidit eidem laico Principi laicos, Sacerdotes, atq; Leuitas.*

38 *Plura ex libris Regum indicãtia nullam Sacerdotũ exemptionem.*

39 CHRISTVS *Dominus fassus est Pilati supra se potestatem, & tributum Cæsareis quæstoribus non negauit.*

40 *D. Petri monitum de vniuersali laicorum Principum in omnes Imperio.*

41 *D. Paulus appellat ad Cæsarem, & omnem Animam laicis potestatibus docet subdi.*

42 *Sãctorum Patrum sententiæ aduersus Ecclesiasticam exemptionẽ.*

43 *Aliæ authoritates inhibentes Clericis secularia iudicia.*

44 *Imperatores plura circà immunitatem Ecclesiasticorum constituentes, atq; destituentes, indicant illam nõ esse de iure Diuino.*

45 *Idem ostenditur ex Pontificijs frequentibus dispensationibus, & mutationibus circà eandem.*

46 *Statuitur priuilegium Immunitatis inesse Ecclesiæ, de iure Diuino, tùm naturali, tùm positiuo; vniuersaliter tamen, non verò quoad specificationem vsus.*

47 *Clericis naturalis lex vacationem tribuit; quia Diuino cultui publicè sunt addicti, & inter primores Ciuitatis Magistratus annumerati.*

48 *Disparitas inter suscipientes baptisma, & ordine initiatos; quarè non illis, sicuti his debeatur Immunitas.*

49 *Quomodo Clerici, & Laici sint Conciues, & diuersam constituant*

 Rem-

Rempublicam, nec ijsdem pariter grauaminibus onerandi.

50 *Directionem, & Obedientiam à natura intentam, habent Clerici per Ecclesiasticum Iudicem.*

51 *Characteri Clericali fortasse primariò debetur immunitas de Iure Diuino, reliquis autem Ecclesiasticis non ordinatis secundariò à iure Canonico adiudicatur.*

52 *Quarè seruis fugitiuis susceptus Character sacri ordinis non conferat libertatem.*

53 *Moysi benè Sacerdotes, atq; Leuitæ paruerunt Duci non solùm, sed etiam Pontifici.*

54 *A Regum Hebræorum dominio, & facto Nathan, nihil eruitur contra Immunitatem Ecclesiasticam.*

55 *Nihil magis ex facto Saulis, & Salomonis contra Sacerdotes.*

56 *Etiamsi Sacerdotium fuißet in lege subditum laicis Dominis, nostrati nil præiudicaret exemptioni.*

57 *Receptius est semper Sacerdotium præfuisse Regnis, & quomodò se gesserint Reges attingendo sacra, præsertim factum Ioas expenditur.*

58 *Iosaphat nō indicauit Sacerdotes pertinere ad laicum Præfectum; item nec Dominus dicens*, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.

59 *Saluator pendens Tributum, & subijciens se Pilato, Ecclesiasticæ immunitati offensam non intulit.*

60 *Allatum D. Petri explicatur ex Innocentio.*

61 *Omnem Animam Apostolus sublimioribus potestatibus subdidit distributione accommoda, & probatur, simulq; refellitur quod explicationi facessit negotium.*

62 *Non aliter intelligenda verba Chrysostomi: & fuiße semper, etiam ante conuersos ad fidem, Principum Ecclesiastica Tribunalia.*

63 *Alia responsio, quòd pro tunc, intuitu maioris boni, expedierit priuilegium immunitatis ab Ecclesia dissimulari.*

64 *Ad hunc quoq; sensum explicatur Chrysostomus.*

65 *Item D. Ambrosius zelat pacem magis, & Principum amorem, quàm Immunitatem Ecclesiasticam, & valdè sapienter.*

66 *Quæ fuerit D.Pauli appellatio ad Cæsarem.*

67 *An interpretatio D. Gregorij germana sit in D.Paulum, per contemptibiles intelligens laicos.*

68 *Satisfit generaliter his, quibus contenditur, non decere Ecclesiasticos temporale Tribunal.*

69 *Quid Imperatores, & quid Summi Pontifices circà Immunitatem potuerunt Ecclesiasticam constituisse.*

1 SAcrilegis, quos aduersus institimus, spiritualis Iurisdictionis assertoribus apud laicos Principes, minimum est, vt horum saltem potestati temporali Sacram subijciant Gentem: sintq; indiscriminatim comparis sortis, sicut Populus, sic & Sacerdos. Non satìs sibi retulisse videntur, qui secularem contendebant Ecclesiastico supereuehere Principatum, omnimodam, & spiritualium, & temporalium illi adiudicantes debitam potestatem; ni, vt minùs, ad inuicem eos exæquent, parili in sede constituentes. Si spiritualium iurisdictio omnis competit Ecclesiasticis in quoscunq; fideles; vt nemo ab ipsorum censura in ijs habeatur immunis, neq; Rex ipse (quandoquidem in Ecclesiam conueniunt Populi in vnum, & Reges, vt seruiant Domino: personante Apostolo: *Quicūq; baptizati estis* CHRISTVM *induistis: Non est Iudæus, neq; Græcus; non est Seruus, neq; Liber; non est masculus, neq; fœmina; omnes .n. vos vnum estis in* CHRISTO IESV, Galat. *3.*) Detur ergo, contendunt, Principibus seculi totalis potestas alia temporalium; vt nemo in his laicas manus effugiat, quæ politicam Reipublicæ directionem contingunt: Secularis authoritatis iudicio pareant Ecclesiastici viri temporali, apud catholicos Principes non quidem, quantùm agnoscimus; siquidem secularium nemo est exors spiritualis subiectionis Ecclesiasticæ.

Annuunt, & digitum tollunt ex animo consentientes aliqui tenuiter Catholici, qui laicos alios Principes aliàs nesciūt prolectare, nisi horum potestatem magnificent, & sustollant: neq; hanc sustollere, sacris non proculcatis. Huiusmodi cum nequeant

queant denegare, quæ vniuersum CHRISTI fidelem orbem iam tenet, & nunquam non tenuit, Clericorum immunitatem, vndiq; vel à bimulis decantatam; qua clerici nec legibus Politicorum Principum ligantur, neq; coercentur pœnis, aut tributis, collectis ue grauantur: eam tamen, quà possunt, impetunt; temerario Ecclesiasticorum ausu; supina Principum conniuentia, nimiùmq; benigno indultu inoletam damnant, & iniustè vsurpatam, violari prædicant posse quandocunq; impunè. Immò sic Reipublicæ absolutissimum exposcere bonum, vt nimirum Politicas leges, pœnas, & exactiones subterfugiat nemo; quasi ciuilis non aliter constare queat integritas, sed citò desolandum diuidatur Regnum, statim ac Iudices, & Tribunalia multiplicarit, nisi omnes vna eadem lex liget, & virga corripiat; quin perduellioni detur, & insolentiæ, quidquid à Principis eripitur potestate.

2 Si rationes exposcam, nihil argutum, noui nihil inaudio, sed veteri illa sæpius repetita crambe, quòd Principum potestas Cœlo oriunda, terrena pariter omnia liget, & quoniam Diuina sapientia pronunciarit: *Per me Reges regnant*, Prou. 8. Vniuersaliter illud aliud consequi: *Qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit*, Rom. 13. Iàm dirutis, & euersis se protegunt munimentis, vt sæpius ad aciem reuocatis, ita multoties concussis, & infirmatis. Inanis igitur futurus labor, hic iterum recomponere dissipata eorum propugnacula, solutas, & diffusas acies recolligere, sub signis denuò pessumdandas. Nouimus iam quale sit robur rationis eius, quam pro maxima ducunt: quòd Politicus Princeps perfectissimè quoad vtrunq; hominem idem in Republica principetur; & à populorum suffragio dum præficeretur, omnem susceperit in quoscunq; Ciues authoritatem, ac proinde citra eius iniuriam, nullo titulo fas esse alicui resilire, & ab ea se communitate subducere, quæ maiorum iuramento, atq; deuotione spontali Principi detinetur addicta.

Quippe si Clericatus hominem à Principis eximeret pote-

ſtate, tot huic ciues detraherentur, quot in dies vnaquæq; Reſpublica Clericalem tranſmittit ad ſortem; immò ſic procedendo, quantùm eſt de ſe, nil prohiberet Principem aliquem ſubditos cunctos poſſe amittere; & ſic omnimoda poteſtate nudari, ex vtroq; ſexu ſubditis omnibus ad Monaſteria conuolantibus. Ineptus metus, illi perſimilis, quo angebantur olim nonnulli, ne poſſet ex toto ſpecies humana deficere, per vniuerſalem viuentium cœlibatum. O vtinam ad has mundus fęlices redigeretur anguſtias, religionis amore; vt, vel Principes ſua indolere poſſent ſceptra ludificari; vel terrarum orbis metuere, ne vacuus relinqueretur. Vtiq; ſi Cœli ruerent fornices, papè quantum ex decipula tanta aucupium?

3 O, date, exclamem, rerûm inuerſam ſcenam! Gentes confluxere iamdudum, opes ſuas proijcientes ante pedes Apoſtolorum. Fuerunt Reges Nutritij Eccleſiæ, & Reginæ Nutrices: Principibus, & Diuitibus ſeculi olim nil charius poterat accidiſſe, quàm ſi fortè ad pia ipſorum munera Sancti Monachi reſpexiſſent; hiſq;, præ rerum contemptu, modeſtas retrahentibus manus, illi nihilominus rem in eos proijcere contendebant. Iam verò alicubi tantò hæreſis virus in Eccleſiæ contemptum inualuit, vt ille beatior inter cæteros appareat, qui Eccleſiaſtica bona valentiùs compilarit: pia lugeas auorum munera, in rapinam ſacrilegam conuerſa nepotum: Ius concedit potentiæ, ſacrum aurum à prophano contumelias patitur ferro. Quaſi huc ſplendidis veſtibus, gemmis, atq; monilibus Christi ſpóſa foret vſquequaq; diues inſtructa, vt in medio ſiſtenda direptioni pateret, audentiores magis ſua iniuria diuitaret. Poſtquam electæ Columbæ deargentatæ affulſere pennæ, & pallor auri aduenit, aduolant vndiq; volucres, & accipitres, vt eam vellicent, ac deplument. Non ſecùs, ac Aeſopicæ corniculæ, quæ mutuatis proceſſerat pennis, inquit Lyricus contigiſſe, vt *repetitum venerit olim Grex Auium plumas*. Pro ſumma veneratione illa, qua ſe, ſuaq; omnia olim Sacerdotibus ſubmittebant Reges, & Cæſares, ab ijs humiliter ſua-

rum caussarum expectantes iudicium, iam fit, non quidem inter Catholico nomine honestatos, in dubium vertere, an laico liceat Iudici legem Ecclesiasticis dictitare viris; deq; eorundem erratis censere; ad incompetentia tribunalia trahere; siue fas, siue nefas id habeatur, opprimente nihilominus abuti potentia, raptare & plectere.

4 Sarta tectaq; inter Catholicos Principes per vniuersos terrę fines est Ecclesiasticorum immunitas; siue exemptionem dicere mauis, aut libertatem; iisdem siquidem nuncupationibus illud Clericorum Priuilegium venit, quod fori dicunt; ad alterius distinctionem, quod Canonis priuilegium nuncupant, in personaliter lædentes Clericum, anathematis animaduertens pœna. Priuilegium, inquam, fori Ecclesiastica immunitas dicitur; non quidem, quòd à forensi dumtaxat sęculari Principis iudicio subtrahat Ecclesiasticos in caussis, tum criminalibus, tum ciuilibus; nam præterea hos ab eorundem legibus, & pœnis absoluit, ne directiuè, aut coactiuè ipsorum potestati subdantur; insuper à præstandis vectigalibus eximit, tributis, atq; collectis: Sed laxata paulò verborum significatione hæc triplex exemptio, in qua omnis Ecclesiasticę immunitatis consistit ratio, appellatur priuilegium forense; quatenus ab omni sęcularis fori auctoritate subducit. Et iure quidem tria hæc consequuntur ad inuicem, vt ille solùm luat legirupio pœnas, qui legibus potuit obligari; idemq; tributum pendat, qui legibus dirigitur, corrigitur pœnis: *Ideò enim*, scribit Romanis Apostolus 13. *tributa præstatis, Dei .n. minister est.* De Principe iam dixerat, *vindex in iram ei, qui malè agit.* Quasi populorum tributa labori Principum, inuigilantium ad Reipublicæ incolumitatem, & æquitatem, sint debita merces. Vbicunq; igitur horum adfuerit aliquod, quę simul tanto nexu iunguntur, & duo reliqua pariter nō deesse, bona illatione deducitur.

5 Illud quidem in primis constantissimum, nulliq; peruium dubitationi est apud omnes: Ecclesiasticam immunitatē hanc, qua fidelis orbis familiares CHRISTI vndiq; reueretur, nulla-

tenus temerandam; sed ratum, iustum, firmumq; priuilegium prætendi, in quod contraire omnino sit nefas: siue ortum duxerit à præcipiente Deo; siue ex Canonico; siue ex Ciuili indulto. Porrò si Deus præceptum posuit, quis præteribit? iam obmutescite quicunq; aduersus illud hiscere meditamini: *Si iustum est vos potiùs audire, quam Deum iudicate*, Act. 4. Sin autem Pontificio, vel Cæsareo iure eadem Ecclesiasticis est inuecta libertas; rata nihilo seciùs, & obseruanda, vt lex validissima, transijt innata in Ecclesia consuetudo tot seculorum, quorum nec primum initium sit assignare, præscriptione firmata: præscriptione, inquam, super rationabilissima, & æquitati consona constitutione firmata, quæ proinde in primo sui ortu extiterit validissima.

6 Fuissent ipsi Romani Pontifices Ecclesiasticæ Immunitatis authores primi, eam seruari mandantes, authoritate propria constitutam, etiam Secularibus Dynastis inuitis; nulloq; niteretur Diuino iuri, neq; positiuo, seu scripto, neq; naturali; Validè nihilominùs, atq; licitè impositum esset immunitatis seruandæ præceptum, in virtute dumtaxat eius Diuinæ authoritatis remotæ, qua CHRISTI Vicarius adest in Ecclesiæ Sanctæ regimine cōstitutus; promouere potens quodlibet, & quomodolibet Christianæ Reipublicæ commodum, & maius bonum; temporalibus non parcendo, spiritualium absolutissimæ directioni intentus. At verò quis Ecclesiasticæ maiestati, & imperturbationi calumnietur incongruum, Diuinis obsequij mācipatos leuiuscula hac immunitatis prærogatiua donare; vt coram inferioris, & laici Ordinis iudice non conueniantur, eorumq; legibus, & grauaminibus non addicantur?

7 Qui Deo nomen dederunt, sacræ militiæ singulariter militaturi, deteriorem non habent nancisci sortem, quàm sortiantur terrenæ militiæ in albo conscripti sub mundi Principibus. Solemne est apud Iuristas illud Abbatis Panorm. in c. Episcopus, De præbendis: *Omnia priuilegia Militum, congruentia Clericis, habent Clerici*. Hoc autem inuiolabiliter seruari scimus,

ne milites delinquentes de exercitu extrahantur, ab alio Iudice iudicandi, quàm à proprijs constitutis Tribunis; suo Duci, aut Castrensi Prætori caussam dicant, dent pœnas. Ijdem ab exactionibus, collectis, seu tributis non modò gaudent exempti, immò quidquid ferè à populis exigitur, quæ statuuntur pecuniæ pensiones, illis exiguntur, ipsis statuuntnr. Sed & leges alias quascunq; ignorat miles, præter eas, quas militaris ratio tulerit. Ergo nec Ecclesiasticæ militiæ addictus, leges, pœnas, aut multas alias experietur, quæ à suo Ecclesiastico Iudice non processerint.

8 Recepit in D. Petro Romanus Pontifex, quod multis hactenus vidimus, Regni Cœlestis Claues, ligandi, atq; soluendi omnimodam facultatem: non fit igitur, qui illi prohibeat Clericorum rationabilem, & iustam Immunitatem sancire; quò rem, & personas Ecclesiasticas seruet indemnes: secùs quid faciat de acceptis clauibus? quid possit, si hoc non? Super Ouile Domini Pastor est constitutus, nonne vt oues tueatur, custodiat, ipse dirigat? ita planè. Ecquis ille est Opilio, qui commissum sibi Gregem, aliò patiatur duci, alias subire leges, præter eas, quas ipse voluerit? licebitne extraneo alienam pascuam cædere, mactare, vel oues tondere, & deglabrare poterit quis impunè non suas? Ita Romanus Pastor, quàmuis vniuerso fidelium gregi Præpositus, iuxta quod etiam laicas oues ab iniustis grauaminibus potest redimere, & inhibere, ne quæ talia à nefarijs Principibus statuantur; multò potiori iure sacris addictam sui gregis partē, in quam, si latiùs aliquid debeat principari, quàm in cæteros prophanos, & laicos, secundùm Animam, & Corpus dominabitur, spiritualium, & temporalium moderator in eis immediatus, poterit has defendere oues, ne Iudex, aut Princeps non Ecclesiasticus suis legibus quà voluerit abigat; baculo pœnarū plectat; vellera substantiæ, & opum detondeat, emungat vbera.

9 Neq; vlla mundi Dominis inde infertur iniuria, si authoritate Summus Pontifex vsus sua, Clericos de eorum dominatu

eripiat. Multæ ineptiæ, & arrogantiæ ea querimonia est, sicuti modicæ cognitionis sui, quam, & plus nimio pauidorum Principum auribus insusurrauit Marsilius: Citra laici Tribunalis iniuriam, neminem ab eo posse eximi, quod si liceret quadantenus, nec incongruum esset subditos omnes à temporalibus Dominis auocare, hosq; regno, & potestate quacunq; pedepressim exuere, dum qui centum homines habeat subditos, in eosdem potestatem amittat, statim ac omnibus conueniat Ecclesiasticam assumere disciplinam.

Cessarent profectò taliter conqueri, qui recogitarent, non Rempublicã propter Rectores esse, sed Rectores propter Rempublicam. Benè pereat Principatus, vbi desinat ratio principandi. His qui adeò charam dominationem, si qui sunt, satagunt custodire; adeòq; à longè illi timent, atq; prospiciunt, quomodò actum esset in statu naturæ integræ, in quo certum creditur futuram fuisse incognitam seruitutem? Peccatum .n. & legifragium primum Prothoparẽtum, sicut naturæ integritatem euertit, indeq; rationi caro est facta rebellis; ita Iudicum directioni, & coactioni corrigendum hominem mancipauit. Conuenerunt Respublicæ sibi præficere Principes, authoritatem in ipsos transfundere, quam ad politicam ęquam directionem cogendam, iure naturæ ipsæ habebant à Deo naturæ authore: Quocirca quicunq; sceptris ornantur, non nisi à Deo potestatem habere, & per ipsum regnare dicuntur; media tamen, vt ordinariò fit, populorum electione. Nihil tamen longius adfuit à mente communitatis sibi Principem eligentis, quàm in tam arcta vincula sese conijcere, ne quando possent liberi, atq; nepotes ab ea subiectione, iustissimo religionis titulo, exilire. Quid? etiam si pactum fuisset expressè inter vniuersitatem, & Principem, de subditorum numero nullatenus, neq; per mancipationem sacris præstitam, imminuendo, irritum, cassum, & impium huiusmodi statutum infringendum foret; vt potè iniuriosum Deo, humana temeritate Diuinæ caussæ præiudicans. Scilicet, ęquum sit sacrum prohibere Aris ser-

uitium, vt terrenis securiùs indefectibile impẽdatur obsequiũ. Voluntatem cœlitùs inspiratam, humana nulla constitutio cohibet: *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.*

Meminerint qui nimiùm suo regno cauẽt, naturam genuisse neminem diademate redimitum; sed coronas, quas fors, aut genus imposuit, nusquam adeò stabiliri, quin eiusdem fortunæ detrahi possint arbitrio. Igitur si iure belli contingit Reges alterutrùm iustè exui Regno, nefas sit Deo aliquos, vel etiam omnes Regni alicuius subditos sibi redimere? Populo aliquo vniuerso religionem vouente, nihil deterius contingeret Principi, quàm si infeliciori casu amitteret Principatum. Quando terra dehiscens integras Ciuitates absorpsit, quando regiones terremotus euertit, alluens, & supergrediens vnda demersit, ignis succendit, agnouerunt Domini (si euaserunt) labilem esse, nec aduersus Deum tenendum, qui huius arbitrio conceditur Principatus.

10 Cum igitur res sit neq; laicis iniuria Dominis, & Ecclesiasticam admodum condecens maiestatem, & pacem; Optimè potuissent Ecclesiæ Sanctæ Summi Pastores Clericorum immunitatem indicere; indictaq; per solam Apostolicam authoritatem, tot seculis inueterata, nihilominus esset inuiolabiliter custodienda; sicuti mandatũ esse sæpiùs licentioribus Principibus custodiri, res est apud Sacros Can. testatissima c. Grauem, c. Nouerit. De sent. excom. c. vlt. De rebus Eccl. nõ alien. c. Non minùs. & c. Aduersus. De immun. Eccles. c. Quanquam. De censibus lib. 6. & c. Clericis. De immun. Eccl. in 6. Clement. Præsenti. De censib. alibiq; frequenter. Propterea Tridentinum, dum pro hac Immunitate Ecclesiastica loqueretur, mandans ne violetur, Diuinis, atq; Canonicis constituta præceptis, de Principum laicorum cõsensu præstito nihil addidit, tanquam is foret impertinens in obligatione, quam volentes, nolentes incurrebant seculi potestates ab Apostolica, siue Diuina præceptione.

11 Sed esset, vt Imperatoribus, & pijs mundi magnatibus im-

munitatis hoc priuilegium Clerici deberent acceptum: nempe sic visum esset priorum Cæsarum obseruantiæ erga S. Ecclesiam, hoc pacto circà mancipatos Diuinis obsequijs liberaliter agere, eos absoluendo ab obseruantia laicarum legum, pœnarum subiectione, & pensione tributi: quod tamen nunquam tibi indulgeam; ostensurus mox, iampridem ante Imperatores, aliosue, seculi Principes ad fidem catholicam conuersos, Ecclesiasticum forum constitutum fuisse à seculari discretum: adhùc nihilo minùs nihil liceret modò de huius exemptionis firmitate conuellere; ratihabenda iam esset pariter, ac si Diuino fuisset, vel Canonico Iure mandata: neq; aliquando Principibus vllis priuilegium huiusmodi fuisset integrum reuocare, nec supposita Ecclesiæ acceptatione, accedente consuetudine vsu recepta, semel erogatum repetere. Rem oculis apertè subijcio.

Aut .n. Principum secularium munificentia hæc eximens clerum, transijt sub ratione absolutæ donationis, vel sub speciali titulo priuilegij: quodcunq; asseras, est æquè tutum: si enim Ecclesia fuerit hac immunitate donata; iam eo ipso factum est de iuribus, & possessionibus ipsius, non minùs quam cætera eiusdem sint iura, quòd sit ā laica dominatione immunis: sed in cæteris iuribus quæcunq; aliundè Ecclesia possidet, nil possunt Principes seculi; ipsorumq; est eadem venerari, & à quauis molestia abstinere; igitur ab acceptata per Ecclesiam donatione, vltra non superest donatoribus ius reposcendi, quod iam est Ecclesiasticis bonis insertim.

Sed etiā à facta donatione ex parte donātis parilis obligatio surgit; quādocunq; .n. donatio est à cōditionibus absoluta (qualis hæc immunitatis fuisse præsumitur, si modò donatio fuisset, cum non appareat de huiusmodi apposita conditione) donantem exuit omni dominio rei, quæ per donationem fit aliena; eatenus, vt non magìs liceat ipsam, quàm quoduis aliud non donatum, sed prorsus de alterius bonis, repetere. Et sanè talis donatio oporteret fuisset concessio immunitatis, si à

seculi Principibus processisset; Videtur nanq; communi sensu acceptum, quòd elargitio qualibet facta superiori ab inferiori, rationem potiùs induat donationis irreuocabilis, quàm reuocabilis priuilegij; ex eo quòd reuocabilitas quoddam sit iurisdictionis indicium, non nisi apud superiorem cõsistens. Neq; credam futuros qui negent, Sacrosanctam Ecclesiam maiestati laicæ cuilibet superstare; mentem munerantium Principum extitisse, reuerentiæ ergò Deo præstitæ, atq; Diuinis, liberalitate exemptionis Ecclesiasticos prosequi potiùs, quàm subditos munificare. Siue .n. Ecclesiæ collectim sumptæ, vniuersali, facta concessio fuerit; siue eius capiti Romano Pontifici; vtrobiq, superior maiestas affulget, seculari homini reuerenda.

Quid? etiam si ante concessam exemptionem contendas Ecclesiasticam Gentem, vel Summum Pontificem subfuisse laicorum Principum potestati; ac proinde indultum sub forma priuilegij processisse, pressè sumpti, tanquam à superiori, & reuocabiliter; Exemptione tamen exhibita, nonne cernis quomodò, siue Ecclesia collectim, siue Pontifex Max. siue Clerici sigillatim liberi euasissent à potestate, & iurisdictione emancipantium Principum; qui propterea iuri cuicunq; suo cessissent, iurisdictionem superioritatis non retinentes, quæ ad reuocabilitatem indulti necessaria existimatur? Dicas, si Principibus dominium fuisset aliquod super Ecclesiasticos viros ante datam libertatem, hac tamen secuta, eo prorsus pacto illud deperijsse, sicuti dominatus nõ remanet in manumissos libertos.

12 Quòd si malis naturę insistere Priuilegij non impropriè dicti, quod reuocabilitatem importat; talemq; vendices Principibus secularibus facultatem reuocandi exemptionem, quam in priuilegij forma indulserint, conaris in irritum, nec aliquid magis euincis; quandoquidem Priuilegium quodlibet inter priuilegiati recensetur propria bona, statim ac fuerit acquisitum, & ad eius incorporea, vt loquuntur, pertinet iura; in quæ, tametsi ex caussa possit aliquis ius assumere, nec minùs priui-

legium auferre, quàm ex bonis alicunde, in bonis tamen partis Ecclesiæ non item; sed ab omni dominio, & iurisdictione statim alienorum vindicatur quidquid, siuè priuilegiū, siuè aliud ad Ecclesiæ transierit possessionem.

Pergam, quod nullum priuilegium sit reuocabile iustè, nisi iustà, rationaliq; de caussa; puta si vsus eius, de se sit illicitus; vel talis tandem euadat, corruptela temporum abutente, vel Reipublicæ bono aliter postulante; vel deniq; demerentis priuilegiati ad pœnam. Esset igitur, vt velis, Ecclesia de manu Principum laicorum immunitatem indepta titulo reuocabilis priuilegij; iam verò quam mihi rationabilem assignaturus es caussam reuocationis factæ, vel faciendę aliquando? Scilicet de secnlari Republica Ecclesiastica pietas perdìa, & pernox in precibus, tam malè meretur, vt debeat in pœnam priuilegio spoliari: aut nunc incipiet esse Principis authoritati iniurium, vel ærario detrimentosum, quod olim, dum concederetur, maximè pium, neutiquam inofficiosum alicui est reputatum. Crimen non video, ex quo valeat ab Ecclesia priuilegium immunitatis auferri, nisi ipsum auferentium crimen, aut auaritiæ hiantis etiam de templi gazophilacio ærusčare, aut irreligiosi fastus omnia sibi subijcere molientis, etiam si famulatum profiteantur diuinum. Sed aliquando Ecclesiasticos caussaris huiusmodi priuilegio abusos in secularis maiestatis iniuriam, quod frequentius extimescens, bonum censes, si priuilegium, quod est scandalo, penitùs aboleatur. Nequaquam: huiusmodi priuilegium Ecclesiæ in cōmuni, non Ecclesiasticis tantùm particularibus viris fuit quęsitum; sed & pœnas dent, qui delinquunt suo Iudici supremo Pōtifici Maximo: ipse scandalis prospiciat subnascētibus; hùc deferatur, si quid querelæ habuerint Principes aduersùs Ecclesiasticos Præsules iura immunitatis assumētes vltra fas in politici præiudicium regni. Sanè neque hactenus de Apostolico tribunali scelus euasit impunè; neq; timendū in posterū, ne indidē foueatur iniuria in dilectos filios, quales sese ostēdent laici Principes, ibi suā causā dicētes.

13 Hucusq; prolapsi sumus, eorum placitum insectantes, qui à temporalibus Dominis contenderent ita factam Ecclesiæ immunitatem; vt non propterea tam arctè teneret, quin per eosdem Principes violari posset. Vidimus quousq; talia opinantes queant euadere; in vltimas coniecimus angustias. Cęterùm illud principiò acriter negandum, quòd Cæsarei fuerit doni hæc summa Ecclesiasticorum exemptio: Siquidem ante conuersum ad fidem Constantinum Syluestri Papæ temporibus, Imperatores constat præcessisse; aut acerrimos Christi fidelium impugnatores; aut sanè non beneficos muneratores: & nihilominùs pluriũ Syluestri prædecessorum Canones sacros de Ecclesiastica immunitate loquentes, recitat Gratianus 11. q.1. Et quod ex parte Ecclesiæ fuit, nunquam est hæc immunitas ex toto dissimulata, quàmuis sub Imperatoribus Ethnicis palàm vsus eius non potuerit introduci, donec fide Apostolica ijdem illustrati, Ecclesiastico iuri de Immunitate subscriberent; tanta contentione eius obseruantiam mandantes, vt aliquibus visi sint eam nouiter propria sententia excitasse.

14 Imò per antiqua Ecclesiæ secula ascendentes, eam semper comperiemus de Ecclesiastica exemptione successiuè demandatam traditionem, quæ non resoluatur, nec desinat, nisi in ipsorum Apostolorum testimonium. Qualem hinc vsque ad Syluestrum, & Constantinum habuerit vsum, sanctiones, & comprobationes, laboris inanis est, nec facilis, recensere. Ab inde autem, & super habemus Caium, & Marcellinum in cit. Iurib. Decreti: alterum circa 283.: alterum circa 296. annum. Telesphorum assequimur à D. Petro Octauum, epist. ad omnes fideles scribentem: *Discreta esse debet vita Clericorum, à laicorum conuersatione; & sicut laici, & seculares homines nolunt eos recipere in accusationibus; ita nec Clerici debent eos recipere in impulsationibus suis.* Alexander à D. Petro Sextus, epist. & ipse ad omnes Orthodoxos, de eadem Immunitate statuit, testatus vsq; ab Apostolicis temporibus inoletam. Anacletus inuenitur Summorum Pontificum ordine Quartus, scripsisse in

 epist.

epiſt.ad Epiſcopos Italiæ,& refertur can. Accuſatio, in primo. 2 q.7. *Vnde liquet, quòd ſummi Sacerdotes, ideſt Epiſcopi, à Deo ſunt iudicandi, non ab humanis, aut praua vita hominibus lacerandi; ipſo Domino exemplum dante, quando per ſe ipſum, & non per alium vendentes, & ementes eiecit de templo Sacerdotes. Nullus enim, vt reor, inuenitur inter illos, qui velit ſeruum ſuum ab alio, quàm à ſe iudicari: quòd ſi præſumptum fuerit, aut multa indignatione ipſe iraſcitur; aut potiùs vindictam quærit ſuper eum; vnde & Dominus ait per Prophetam: Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Nihil aptius ad Eccleſiaſticam dici poterat Immunitatem. Rem habes ſacris, prophaniſq; firmatam exẽplis, de zelo ſecularis Domini in ſeruos, & Saluatoris in Sacerdotes irreligioſos: Inſuper propheticum Zach. vaticinium profertur; vt oſtendatur ab humanis, laicis ſcilicet, cenſendos non eſſe Epiſcopos, in quos ſola iudicat Diuina, nempè Eccleſiaſtica authoritas.

15 Sed nec obſcuriùs loquutus eſt prędeceſſor eius immediatus Clemẽs epiſt. 1. ſcribẽs: *Si quis ex fratribus negotia habet inter ſe, apud cognitores ſeculi non iudicetur, ſed apud Presbyteros Eccleſiæ quidquid illud eſt dirimatur.* Quod teſtimoniũ, etſi vniuerſalius videatur, quàm ad rem noſtram ſufficiat; quippè de fidelibus omnibus probat, etiam laicis, quòd apud prophanos Ethnicos ſponte fraterna diſſidia minime referant, vt pręcepit Apoſtolus. 1. Cor. 6. *Secularia igitur* (dicens) *iudicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum.* opportunè, quò inter fratres arctior ſeruaretur charitatis nexus, abſq; iudicij ſtrepitu ſapientum, vel adhùc minùs prudentum magis audiretur arbitrium, & compoſitio, quàm Ethnici Iudices de friuiculis fidelium ſcandalizarentur: Locus nihilominus amplior ſupereſt ab huiuſmodi Conſtitutionibus ipſam Clericorum Immunitatem eruendi, tàmquam maiori congruentia ſuadendam. Dumq; extra Eccleſiam inobedientibus Principibus infidelibus præceptum dari non poterat, vt Eccleſiaſticam cauerent Immunitatem; ſaltem Eccleſiaſtici mo-

monebantur, ne ipsi, quod eorum erat, illam aliquatenus violarent.

Tandem ad Apostolorum deuenimus tempora; & ecce Paulinum illud. 1. ad Timot. 5. *Aduersus Presbyterum accusationē noli recipere, nisi sub duobus, vel tribus testibus*. quid hoc est aliud, quam de peculiari Tribunali meminisse, Ecclesiasticis vel ex tunc erecto? Hæc audiens quicunque, oportet Baldo subscribat, testanti in Auth. statuimus C. de Episcop. & Cler. Immunitatem Ecclesiasticam, quoad priuilegium fori, fuisse institutam, antequam in Ecclesia Imperatores essent. Pressè accipit priuilegium fori, pro ea Immunitatis parte, quæ iudicia, seù ciuilia, seù criminalia respicit; de Immunitate à Tributis, & pœnis, certus non fuisse in vsu, vitio infidelium Principum, qui ob ipsam fidei confessionem, nedum propter alias inferiores caussas, fidelium inuadebant, proscribebant bona, fundebant sanguinem, vi insurgentes.

16 Hæc igitur adeò constans traditio ab Ecclesiæ primordijs perseueranter per Apostolos, Sanctissimosq; Pontifices successiuè hùc vsque deducta, approbante vsu, satis, & super sufficeret ad arctissimum inducendum præceptum de inuiolatione Clericalis Immunitatis, quando etiā nihil adesset aliud, ipsam præcipiens. Quocircà iam non liceat validitatem eius in dubium reuocare, illeq; à magno scelere non sit liber, qui liberos non esse Ecclesiasticos seriò pronunciarit. Indicat insuper eadem constans, perpetuaq; traditio aliud, ferè æquè certum apud omnes, Exemptionem Ecclesiasticorum esse naturali iuri apprimè conformem.

De ipso naturali dictamine loquor, tam simplici, quàm de aliquid supernaturalis cognitionis includente, vnde sacerdotij, & diuinorum reuerentia fortius habeat argumentum.

17 Ius enim istud, quod naturale, seu gentium primęuum nuncupant, & rationali inditum suaptè creaturæ cuilibet, vbicūq; seruatum, suggerit primò filios debere parentibus subijci, penitùsq; habendum præposterum, quòd natis supplices sint ge-

nitores, ab illis expectantes iudicium. Certè cum enarraret Ioseph: *Vidi per somnium quasi Solem, & Lunam, & Stellas vndecim adorare me; increpauit eum Pater suus & dixit: Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? num ego & Mater tua adorabimus te super terram?* Gen. 37. quasi diceret, vt fratres deceret possit, quomodò vnquam parentes deceat? Naturæ res prorsùs absona, filius emendans Patrem, plectens, eiusq; bona diripiens. Magistris non absimilem reuerentiam debemus, à quibus bene viuere accepimus, sicut à parentibus simpliciter viuere. Naturalis lex est, vt sapientiores insipientioribus dominentur: hùc reuocatur Ciceronianum, & Aristotelicum illud adagio datum: *Parentibus, ac Magistris sunt homines impares rependere.*

18 At verò: *Quis dubitet Sacerdotes* Christi, *Regum, & Principum, omniumq; fidelium Patres, & Magistros censeri? Nonne miserabilis insania esse cognoscitur, si filius Patrem, discipulus Magistrum sibi conetur subiugare, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subijcere, à quo credit, non solùm in terra, sed etiam in Cœlis se ligari posse, ac solui?* ita Greg. vij. can. Quis dubitet. 96. dist. *Ordo confunditur*, aiebat D. Thomas Cantuar. apud Surium, *si Pastorem ouis, Magistrum discipulus, Patrem filius verberet.* Atq; his suam, & Ecclesiasticam caussam acriter est contutatus aduersus Henricum II. Regem, de qua idem Author: *Erant sanè*, inquit, *per id tempus mores quorundam è Clero valdè dissoluti: sed vt illi ad secularia iudicia raperentur, & à laicis condemnarentur, id Archiepiscopus non sustinuit. Volebat Rex, vt sacris initiati priùs degradarentur; atq; ita pœnas luerent pro meritis. Contrà Archiepiscopus: Ego inquit Dei ministros laicæ potestati non exponam: sed si peccent ego eos puniam, &c.* Nimirum inordinatum, & contra naturæ institutum arbitrabatur in parentes, & præceptores filios insurgere, vel discipulos. Neq; inhonorum sibi ducant seculi Potestates Ecclesiasticos viros habere in Magistros, & Patres; etenim, vt Ambrosius egregiè: *Quid Imperatori honorificentiùs, quàm vt dicatur*

filius Ecclesiæ? Alios non aduoco testes, quam Principes ipsos gloriosissimos: Carolus enim Magnus. c.3. dist.19. dixisse refertur: *Honora Sanctam Romanam Ecclesiam, vt quæ tibi sacerdotalis mater est dignitatis, sit Magistra Ecclesiasticæ rationis.* Theodorus Italiæ Rex Ioanni PP. profitebatur: *Sum quidem Iudex Palatinus, sed vester non desinam esse discipulus.* diceret aliter qui ex Propheta audisset: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est?* Malach.2.

19 Si igitur Sacerdotum, & Ecclesiæ filij sunt laici Principes; & nihilominus eorum criminibus cognoscendis intēdant, maledictum Cham imitari videbuntur, qui temulenti Patris verenda inspectauit, & prodidit, qui potiùs à Iapheto, & Semo laudatum traducere deberent exemplum, auersis oculis incedentibus, & Noemi turpitudinem pallio contegentibus. Ita pijssimus Constantinus dixisse refertur can. In scripturis. dist. 69. *Verè si proprijs oculis vidissem Sacerdotem Dei, aut aliquem eorum, qui monachali habitu circum amicti sunt, peccantem, chlamydem expoliarem, & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur.* imitari videbuntur Ruben, cubile Patris impudenti contaminantem incestu, quotquot Ecclesię Matris violantes honorem, Sacerdotes Parentes ad prophanum vocent iudicium. Planè, sicut nouæ legis Sacerdotium Paternitatem inducit; ità ipsum est expers parētum, secundùm ordinem Melchisedech, sine Patre, sine Matre, videlicet terrenorum Superiorum, & correctorum immune; Iudici solùm consimilis generis addictum, à quo potestate corrigatur, & dirigatur Diuina; nam sicut olim Leuitæ, *Dixit Patri suo, & Matri suæ: Nescio vos.* Deut.33.

20 Ab eodem naturę iure didicimus iuuenilem reuerentiam ad senectutem, quam gens omnis, vel barbara coluit: Vnde Vates:

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si Iuuenis vetulo non assurexerat, &c. Iuuen. Sat.13.

Minores natu reum quoq; creduntur prudentia minorati, quę ex longo aduenit vsu temporum. Ipsa videtur magis negle-

xisse natura quos posteriùs genuit, eademq; effœta, viribus in dies dum destituitur, vltimos partus procreat, virtute prioribus impares. Primogenitum lex gentium vniuersalis ditat hæreditate; ipsi iurè dicitur: *Esto Dominus fratrum tuorum*. Gen. 27.

Tale est sacerdotium, primogenitum scilicet, & ætate prouectius, quàm laica sit potestas; huius nanq; origines primas plurimi referunt ad Nemrothum post vniuersale Diluuium, qui cœperit esse potens in terra, aut saltem ab ipso exordio mundi adfuit: cum statim Sacrificia fuerint, & non Regna, Altaria præcesserint Curias. Cuius maioritatis retinet sacerdotale nomen vestigium. Presbyteros nanq;, hoc est seniores, vocamus, quàmuis ætate non graues, quicunq; sacerdotio fuerint insigniti: Valdè igitur naturæ concinit illud sapientis: *Presbytero humilia animam tuam*. Eccl. 4. Nec humilitas sit; si iunior secularis Principatus leges dictitet sacris hominibus, pœnas reposcat, tributa exigat.

21 Quando vnquam æquitas naturalis consensit, vt exterus hospes, ac peregrinus precariò in hospitium receptus, de sub dio, & Cœli inclementijs ereptus, statim tecta, ad quæ est ingressus, conturbet, sus deq;, sursum prorsum singula vertens, ipse incipiat dominari, ipse det domi iura, Dominos verberet, eijciat, domestica priuet substantia? Sed non dissimile erit cernere seculi Principes iampridem per cæca, & inhospita infidelitatis errantes, Ecclesiæ Sanctæ domicilium intrasse, Apostolis, & Sacerdotibus admittentibus, qui domui Dei fuerunt ipsi præpositi; de his deinde velit illorum aliquis cognoscere, patremfamiliam agere, in rem, & Dominos principari: *Ingressus es vt aduena, nunquid vt iudices?* Genes. 19. Et quàmuis introducti in Apostolicā domum errabundi priùs infideles Principes, tam humaniter habiti fuerint, vt audierint: *Iam non estis hospites, & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei*, Non tamen adhùc Domini, non Patresfamilias, sed solùm ad municipium, & contubernium, & hoc ex libera humanitate.

Parcant igitur laicæ poteſtates ordinem Eccleſiaſticæ domus confundere; non inquirant, non diuexent, quos antiquiores, & Dominos domi repererint.

22 In beneficos non inſultare iuris eius naturalis nó modò eſt, quod ſecundarium, & gentium primæuum dicitur; ſed à primario quoq; ſimplici iure naturæ docetur; quod homines pariter colunt, & bruta: vti nimirùm filios procreare, & educare, aduerſus moleſtos ſe ſe defendere, & huiuſmodi. Sic & videtur bellinis animis quædam inſita gratitudo, qua eorum miteſcit immanitas, vt etiam verbera; alioqui magnanimi, & iracundi Leones, altoribus ſuis indulgeant, iniurias diſſimulent obſequentes. Peruulgatū eſt illud de damnato ad beſtias olim, qui in arenarijs à fera eſt agnitus, & ſeruatus; beneficij memore, quod multò ante in ſaltu receperat extracti aculei de vulnerato pede. Iam dic: Si gens fuit vlla vnquam, quæ Religionis ſe non crediderit beneficio communiri; non Sacerdotū ſtudijs inſolubiliter obæratam; quorum poſtulationibus, & ſacrificijs Diuinam non putauerit indignationem auerti, flecti beneficentiam, bona perpluere, ſupplicia diſtineri? Idcirco priuilegijs maximis legimus in ipſa Ethnicitate affectos, quicunq; ſe Aris, aut Diuino cultui mancipaſſent.

23 Triplici hac præſertim Immunitate donatas olim Romæ nouimus Veſtales Virgines. Primò, ſoli Summi Pontifices ſacrorum eas legibus dirigebant; ſoli flagellabant, aut infodiebant delinquētes; ſiq; à laicis Magiſtratibus iniurium quid illis irrogatum fuiſſet, ijdem acriter vlciſcebantur. Secundò, tam procul eſt, vt prophanus Iudex de Virginibus his cenſeret, pœnaſq; infligeret; vt potiùs liberarentur ſontes damnati ad capitale ſupplicium, ob occurſum illarum, quæ honoris ergo, cum lictoribus, non ſecùs, ac Magiſtratus progrediebantur, Plutarcho teſte in Numa. De immunitate à tributis, & munificentia Romani populi erga Veſtales Virgines, & Sacerdotes, teſtis eſt Symmachus Vrbis Præfectus pro ea reducenda ſimul cum Deorum fallaci cultu, declamans apud Va-

lentinianum, Theodosium, & Arcadium Augustos, dolens sacris bonis laicam auaritiam inhiare, sic inter cætera orabat: *Absint ab ærarij vestri puritate ista compendia, fiscus bonorum Principum, non Sacerdotum damnis, sed hostium spolijs augeatur.* Et infra: *Quid iuuat saluti publicæ castum corpus dicare, & Imperij æternitatem cælestibus fulcire præsidijs; armis vestris, aquilis vestris amicas applicare virtutes; pro omnibus efficacia vota suscipere, & ius cum omnibus non habere? Itaq; melior est seruitus, quæ hominibus, quàm quæ Dijs immortalibus impenditur? Rempublicam lædimus, cui nunquam expedit, vt ingrata sit. Nemo me putet solam caussam religionum tueri. Ex huiusmodi facinoribus orta sunt cuncta Romani generis incommoda. Honorauerat lex Parentum nostrorum vestales Virgines, & Ministros Deorum, victu modico, iustisq; priuilegijs, & vsq; ad nos stetit muneris huius integritas: nunc ad degeneres trapezitas, atq; ad mercedem vilium baiulorum sacra castitatis alimenta venduntur.* Eugè Symmache perge: *Sequuta*, inquit, *est hoc factum fames publica, & spem Prouinciarum omnium messis ægra decepit. Non sunt hæc vitia terrarum, nihil imputamus astris; nec rubigo segetibus obfuit; nec auena fruges necauit. Sacrilegio annus exaruit: necesse enim fuit perire omnibus, quod religionibus negabatur: cum contra fœcunditatis, & omnium rerum vbertatis caussam dicat, Sacerdotibus suum impendisse honorem; commendabat enim terrarum prouentus victus Antistitum, & remedium magis, quàm largitas erat, &c.* Hæc homo Ethnicus ad solum rationis, & naturæ dictamen est concionatus, pro sacrorum restituenda immunitate, & Idolorum cultu. Vtinam sic veræ religionis caussam dixisset, sicuti quæcunq; enunciabat probarentur vera.

24 Non alium Magistrum sequutus Pharao, quam naturale lumen, Aegyptijs Sacerdotibus in septenni illa fame pepercit, ne compellerentur agros suos, sicut cæteri prophani subiecerunt omnes, & ipsi Aerario Regio obærare, & vendere, Gen. 48. Quod argumentum fuit pro Ecclesiastica Immunitate Lateranensi Concilio sub Innocentio, & refertur in c. Non mi-

nùs. De Immun. Ecclef. *Vt deterioris*, inquit, *cōditionis factum Sacerdotium videatur, quàm sub Pharaone fuerit, qui legis Diuinæ notitiam non habebat*. Perſarum Rex itidem Artaxerſes, & ipſe Diuinæ neſcius legis; Sacerdotibus tamen Hebræis imponi tributa, & vectigalia vetuit 1. Eſdr. 7. Gentes deniq; omnes conſimilis ſemper ſacrorum reuerentia tenuit; nihil cum prophanis habuere vnquam ſacrificuli, Diuino dicati obſequio; ita coluit Perſis Magos, India Brachmanos, Aethiopia Gymnoſophiſtas, Druidas Gallia, Latium Augures, Græcia Sacerdotes.

25 Poſthabita ſemper ſunt cætera ſacris, vt ipſa arctiſſima fœdera, ſeruitia, & obſequia militum erga Reges, & Dominos ſuos, amicitiæ iura, ſodalitia, & omnia duntaxat, vſq; ad aras, ſeruanda intelligerentur, nunquam vltra fas progreſſura. Sceleroſos ſeruabat Aſylum, neq; inde licebat confugientes Immunitatis ergò extrahere. Athenis primùm conſtitutum hoc ab Herculis poſteritate, Romulus approbās, inter Capitolium, & Palatinum, Aſylum & ipſe conſtituit; ſed & breui ſacris fanis id priuilegij datum omnibus, vt fidiſſimo eſſent reis perfugio, nullamq; ibi perpeti poſſent moleſtiam. Quòd ſi à laicorum apparitorum poteſtate eripiebantur vel ipſi criminoſi, ad ſupplicium petiti, quandiù prope aras conſtitiſſent in templis; quantò potiori iure ſancti Sacerdotes in ijſdem templis familiares, & aſſidui miniſtrantes à quauis laica perturbatione liberabuntur.

26 Addam vtenſilibus, vaſis, rebus quoq; inanimatis, quæ Diuino cultui, & Sacerdotibus in officio, aut templis deſeruirent, non exiguam habitam reuerentiam: vt Rex Babylonius Balthaſſar ideo contra ſe viderit illicò ſcribi cæleſti manu ſententiam, dum inter ſacrilega pocula ſacris vaſibus abuteretur, de Hieroſolymitano templo ereptis. Arcæ Domini labanti, calcitrantibus bobus, Ozas non acceſſit impune ſuffultor, etſi Leuita, quia tamen non erat Sacerdos (inquiunt multi.) Quid inquam contingere? laicis nefas erat aſpicere, quæ ad Diuinum

cultum ſecretiora aſſeruabantur, idq; non leui certè interdi-ctum pœna; nam legimus num.4. *Aaron, & filij eius intrabunt ſanctuarium; ipſi quoq; diſponent opera ſingulorum. Alij nulla curioſitate videant, quæ ſunt in ſanctuario; alioquin morientur. An non percuſsit Dominus de Bethſamitibus ſeptuaginta viros, eo quòd vidiſſent Arcam Domini, & quinquaginta millia plebis?* 1. Reg. 6. Quæ ſeuera adeò animaduerſio in contaminatores ſacrorum ſolo prophano aſpectu, quàmuis in noua ſit gratiæ lege ſublata; nō deeſſent tamē cui ea recenſere curæ eſſet exempla, vndè ex vltione Diuina aliquando præſtita, grauitas ſceleris appareret eorum, qui ſacra auſi fuerint contemptrici prophana attrectatione polluere. Hoc ſanè omnibus eſt indubium, ſupellectilem Sacerdotalem, & ſacram quamlibet, ſtatim ac fuerit ſanctis vſibus deputata, à communibus cęteris vſibus eſſe exemptam; ita vt ſinè ſacrilegio nequeat ad hos transferri, de quo eſt regula: *Semel Deo dicatum non eſt ad vſus humanos transferendum,* c.51.de reg.iur.in 6.can. Prædia, & can. Indignè. 12.q.2.

27 Quantum verò Sacerdotibus ipſis ſit deferendum, vel hinc tu arguito: Animata Dei templa hi ſunt; ijdem Arcæ viuentes Domini, quorum Miniſterio ſeruiunt vtenſilia ea, quæ prophani, vel aſpicere interdicuntur, vel contrectare. Ita excellenter eſt Deo cōſecratus nouæ legis Clericatus, vt nulla præſtantiori, nec æquali modo fuerit addicta Deo Synagogæ religio (ne de Gentium ſuperſtitione dicamus, ad quam conferre Sanctæ Eccleſiæ Gentem hanc prorſus eſſet polluere, ac prophanare) nihil igitur illi denegandum ſuadet naturæ æquitas, quodcunq; aliàs Orbi vniuerſo fuerit ſolemne ſacris concedere viris in Religione miniſtrantibus, aut inferiori, aut omninò fallaci; huiuſmodi ſeruata legitur vbicunq; exemptio illorum à laicis Tribunalibus; quippe ſubiectio ad iſta non conſtat ſinè Diuinorum humiliatione, aut ſine reuerentia indebita ſacro ſtatui. Eſto aliàs non indeceat, vt idem ſit altero ſuperior, & inferior ſecundùm alium, aliumq; reſpectum; quis tamen

audiat citra Sacrorum Ministrorum contemptum, hos, qui in spiritualibus præsunt, quæ præstantiora sunt, in cæteris inferioribus inferiori subesse iudici, aut Domino? cum tanta sit inter Ecclesiasticos, & Seculares Dynastas discretio maiestatis, quantam insinuauit Ambrosius, à Gelasio relatus, in can. duo sunt. 96. dist. *Honor*, inquiens, *& sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferius, quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares; quippè cum videas Regum colla, & Principum submitti genibus Sacerdotum, & exosculatis eorum dextris, orationibus eorum credunt se communiri.*

28 Priuilegij huius Ecclesiastici tandem firmitatem, & inuiolabilem certitudinem sigillemus tāto nationum quarumcunq; consensu, & humanæ rationis naturali dictamine; vt apud eos ferè dicatur non seruari humanitas, vbi non huiusmodi seruetur immunitas. Ferarum quoq; immanitas videtur quodammodo in sacros viros non ferre contemptum; quandoquidem procacibus pueris quadraginta Elisæo illudentibus: *Ascende calue, ascende calue*, vltores de saltu egressi sunt vrsi. Cum Ochozias Samariæ Rex alteram, & alteram satellitum quinquagenam misisset, vt manus inijcerent in Eliam, elemēta scelus non pertulere; sed vt sacri hominis tueretur immunitatem, descendit ignis de Cœlo, quinquagenarios Duces, & commilitones absumens.

29 Plus dicam? ad solum nutum inferendæ iniuriæ, & violandæ immunitatis homini sacro, præstò fuere miracula vlciscentia. Ieroboam tantùm manum extendit, innuens vt detineretur Propheta, de Iuda veniens ad vaticinandum contra se, & Altare superstitiosum nouiter erectum, & statim manus eius exaruit, quam nec valuit retrahere ad se. Angeli, quid? sacrorum immunitatem violari sustinent? Minimè: cum Heliodorus Sacrilegus Quæstor Regius in Hierosolymitani templi gazophylacium inuolasset, ita est habitus, vt ad suum reuertens Dominum semiuiuus, vibicibus, & reportatis plagis pro auro

diues responderit: *Si quem habes hostem, aut Regni tui insidiatorem, mitte illuc, & flagellatum recipies; si tamen euaserit.* Id nanq; acciderat, vt *quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus, isq; cum impetu Heliodoro priores calces elisit, qui autem ei sedebat videbatur arma habere aurea. Alij etiam apparuerunt duo Iuuenes virtute decori, optimi gloria, speciosiq́; amictu, qui circumsteterunt eum, & ex vtraq; parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberantes: subitò autem Heliodorus concidit in terram, eumq́; multa caligine circumfusum, rapuerunt, atq́; in sella gestatoria positum, eiecerunt, & is qui cum multis cursoribus, & satellitibus prædictum ingressus est ærarium portabatur, nullo sibi auxilium ferente, manifesta Dei cognita virtute, &c.* 2. Machab. 3. Dira quidem vltio; sed teterrimo non impar sceleri; summum quippe criminum fastigium poterat reputari abominabilis sacri templi inuasio; vt Athanasius censuit, sese sancto zelo disrumpens, quòd Imperator Constantius, hæresi sordidus Arriana, auderet Ecclesiasticis iudicijs præsidere, de Sacrosanctis censere Episcopis, his aliquibus consentientibus: *Quis non dicat* (scribit ad solit.vit. agent) *illam eam ipsam esse abominationem desolationis, quæ à Daniele prædicta est? nam in hoc quod Antichristi est facit; & quid Antichristus, cum venerit, amplius committere poterit?*

30 Inconcussa igitur, & vbiq; certissima manet sententia de sacrorum virorum immunitate, humano quę videatur potius ingenita genio, quàm ratione, & magisterio insinuata, vel ipsis infantibus, & lactentibus, alijsq; quotquot minùs habentur sensus, & consilij compotes. Vnum remanet controuersum inter Theologos, & Canonici iuris prudentes, Diuinonę, an humano tenùs iure huiusmodi sit inducta libertas Ecclesiastica, quam non est qui non fateatur inuiolabilem. Sensui hìc quæstionis, & terminorum discretioni attendas, ne cum ab initio rectum tramitem non tenueris, tota deinceps in cognitionis decursu aberres via.

Immunitatem Ecclesiasticorum à canonicis mandatam esse

oraculis, luce clarius claret; aliqua iam attulimus; alia adducentur ex multis, quæ rem facient in procliue. Sed præter Pontificia constituta aliud quæritur ius Diuinum, cui institerint humana, siue Summorum Pontificum, siue Augustorum Cæsarum de hac immunitate decreta.

31 Trifariam ad ius Diuinum res pertinere posse contingit. aliqua solùm mediante natura, cui conditor Deus, cum rationabiles, & fini eius congruentes propensiones indiderit, ipse de consequio dicitur, licèt paulò remotiùs, præcepisse, quidquid vniuersale naturæ dictamen solicitat. De hoc Iure Diuino naturali non admodum in præsentia tangit. Affirmabit inhæsitanter iam quisquis modò allata prælegerit. Eam iam ostendimus concinnitatem Ecclesiasticæ exemptionis ad recta naturæ dictamina, vt dissimulaturus profiteatur necesse sit, se ab humanitate degenerem, voces illas naturæ non sentire, quas gens omnis dicitur coluisse. Tum præterea, si qui sint, qui hæreant pleno ore concedere de hac immunitate ius naturale; ijdem tamen non eunt inficias perquàm consonum iuri naturali fuisse humanitùs impositum de illa præceptum. At hoc est parcere vocibus, & non rebus: non cauillemur in nomine; nam quod est dispositum iuri naturali Diuino conforme, hoc de iure naturali Diuino dicendum est esse, vt Iuristæ statuunt, & suapte innotescit; ipsa .n. conformitas, quæ in naturæ dictamine reperitur ad constitutionem quampiam, illa eadem est quam prætendimus lex naturæ, idipsum suadens imperfectè, quod, Iudicis declaratione accedente, integrum præceptum apertum conficit.

Aliter ad ius Diuinum positiuum alia pertinent simpliciter, quod prorsus esse dicitur, vel supra, vel præter naturam: huiusmodi sunt, quæ de lege supernaturalis gratiæ custodienda accipimus; inimicorum dilectio; corporis castimonia; & id generis reliqua. Neq; hìc facessit negocium; etenim, cum iam teneamus procliuitatem naturæ ad venerationem Religionis, & exemptionem sacrorum à profanis Censoribus; quidquid

subinde positiui diuinitùs adijciatur præcepti, illud, neq; supra, neq; præter naturam esse continget.

Ad tertium ergo Diuini Iuris genus nostra deducitur quæstio, quod hinc, & inde commixtum, partim in naturæ semine latet; palàm partim per positiuum eiusdem Dei præceptum erupit, quod ius Diuinum scriptum appellari consueuit; non tamen adeo presse, vt probatas traditiones excludat Sanctorum Patrum, & Orthodoxæ Ecclesiæ, quæ, Spiritu Sancto dictante, pariter ius Diuinum positiuum ostendunt. Sed quoad hanc traditionum partem, & perpetui in Ecclesia Sancta consensus, atq; vsus, res iam facilè creditur enucleata; dum ab ipsis temporibus Apostolicis seriem Summorum Pontificum considerauimus, de Immunitate Clericali constituentium, vsq; ad Syluestrum, & Constantinum; vndè deinceps solemniùs res huc vsq; percrebuit; & sola huiusmodi laudabilis, & receptissima consuetudo tam altè radices fixit, vt cæteris adhuc deficientibus, producere possit præceptum, non violandũ impunè.

32 Litem commouent ex Iurisperitis aliquot, & ex Theologis paulò plures, assentiri nolentes, Ecclesiasticam immunitatem vniuersaliter Diuinum habere præceptum. Illud quidem verum est, quòd neq; inter hos paucos (si multitudo attendatur aliter nobiscum sentientium) omninò conuenit. sunt etenim ex eis, qui de sola exemptione à tributis loquantur; alij de sola Immunitate quoad forum, & leges; nonnulli partem aliquã statuunt, ab humano processisse iure, de alijs conticescunt; non desunt deinde, qui distinctiùs circà immunitatem hoc dicant iuris humani, & hoc aliud Diuini.

Si ea, quæ horum communem caussam roborare videntur summatim recolligas, ad duo formè capita perstringuntur: Si.n. lex Diuina, inquiunt, Ecclesiasticorum immunitatem ipsa induceret, aut ea esset, quæ naturaliter vniuscuiusq; pectoribus indiuisa, à rectæ rationis dictamine est indita; aut quæ extrinsecus superaddita reuelatione accessit, & positiua, seu scripta dicitur: sed neq; hinc, neq; inde propositum sufficien-

ter eruitur; Suadelæ immò in contrarium ſuppetunt non raræ: cur ergo temerè ibi Diuinum figamus mandatum, vbi ſufficiens perſpicuitas deſideretur? Neutræ parti probandæ deficiunt.

33 Quòd primò ius naturale Diuinum Eccleſiaſticam immunitatem non ſuggerat, cernere ſit à poſteriori: huiuſmodi .n. nunquam licita, aut honeſta fiunt; ſed ſemper intrinſecè malitiam ſeruant, quæcunq; contra fas naturale admiſeris: Conſtat autem omnibus, laicos Iudices quandoq; de Eccleſiaſticis viris licite cenſuiſſe, & cenſere frequenter; pro vt eis fuerit id oneris demandatum: non ergo quod committitur malum eſt, & contra naturæ ſuggeſtionem admiſſum. Eo magis, quòd ſi hæc immunitatis prærogatiua Clericis debeatur ex ipſa natura, poſitiuum citra mandatum; vel erit generalem ob rationem Diuini obſequij, cui ſunt mancipati; vel ſpecialiori de cauſſa clericalis characteris, quo prænotantur: non primum; ſunt quippe etiam ex laicis multi, ſe Dei obſequio dedentes, illi famulantes aliquando feruentiùs, quam aliqui deſides Clerici; nec ideò huiuſmodi donat Reſpublica priuilegio exemptionis; cum tamen ſi dandum eſſet intuitu famulatus Diuini, ipſis deberetur potiùs feruentioribus Dei ſeruis.

34 Illud quoq; conſiderandum, quod non minùs ad Dei cultum tranſeant, qui ab infidelitate conuertuntur ad fidem, quàm ex fide accedentes ad religionem, vel Clericatum: immò, cum illud neceſſarium ſit, alterum ſupererogationis, videtur quòd potiùs priuilegio immunitatis infideles alliciendi eſſent ad fidem, quàm fideles ea donandi, ob clericalis ſtatus aſſumptionem, in quo non mutant Rempublicam, ſed in eadem Eccleſiæ Sanctæ permanent politia, in qua & àntea erant, ſublimiorem tantummodò indipiſcentes gradum. At contrarium cernimus: neq; .n. lex Chriſtiana eodem baptiſmali lauacro à tenebrarum Principe redimit, & à mundi; ſed obedientiam relinquit, immò præcipit erga priores, etſi infideles, Dominos; reſpectu quorum magìs Diuinis obſequijs ſunt deſignati, qui ſuſcipiũt

fidem, quam sacrum ordinem qui recipiunt respectu Catholicorum Principum; qui & ipsi Diuinum seruitium, licèt laicum, in Ecclesia profitentur. Ciuiles alias obligationes baptismalis vnda non diluit, character non obliterat; non pecuniæ debitum; non coniugium; non depositum, contractus, sodalitia rescinduntur per accessum ad fidem: Quarè ergo per Clericatum assumptum statim de Republica extracti, naturalis Principis subterfugiamus obedientiam, cum Chrysostomus dicat: CHRISTVM *leges suas ad hoc induxisse, non vt politias euertat, sed vt ad melius instituat?*

35 Certè eiusdem Reipublicæ sunt cum laicis Clerici, ciuilis vnius corporis membra, communi societate politica coutẽtes; vt cum Bartolo in l. 1. n. 11. ff. ad municip. docent Iuris prudentes; procul igitur à ratione naturæ fuerit, si paribus obligationibus non teneantur. Quæ confusio, quæ diuisio in Republica, dum illi leges custodiant, isti transgrediantur impunè; sub onere vectigalium grauiori alteri gemant; alteri soluti exultent; qui si & ipsi ad publicas necessitates subleuandas æs suum conferrent, minus cæteris, & leuius relinqueretur impendium, cui, non sine iniuria, coguntur grauiori subesse.

De cætero nulla cernitur in Ecclesiasticorum ad Politicos Principes hac subiectione deformitas, quam abhorrens natura contrarium suadere dicatur. Scelus natura odit, & iniustitiam; amat corripi delinquentes; amat munimina legum, quibus vitium propulsetur; quare comprehendit ius naturæ etiam Clericos, vt non exleges victitent, fasq; nefasq; factitent. Sed & hoc etiam ad naturæ eiusdem dignoscitur placitum magis, vt si legibus habeant cohiberi, & multis corripi, ab eodem Reipublicæ capite, quod vnicum esse oportet, regantur. Vnum sit omnium forum, ad quod Laicus à Clerico, & vicissim prouocent læsi; alioquin inter duo tribunalia hinc inde insiliendo, & resiliendo, vtroq; illudimus. Nec deerunt æmulationes Iudicum, multiplicatæ lites: sæpe .s. litigabunt de iuribus ipsi, qui alienis litibus præpositi sunt dirimendis; quæ, vt exor-

ta componantur secunda dissidia, vnicum tertium tandem depostulant Iudicem; quod satius erat ab initio præstitisse, sub vnico capite vniuersam constituendo rempublicam, ordinatam ad vltimum, & supremum vnum, quo in naturæ legibus nihil antiquius.

36 Clericalis deinde nota nihil denotat huius Immunitatis, sibi debitæ naturali iure; nec .n. omnes, qui hac Immunitate fruuntur, Ordinis charactere sunt insigniti: vt in Clericis patet, tantummodò tonsuratis; Regularium Conuersis, & Monialibus; neq; immunitate gaudent, quicunq; clericali charactere notantur; siquidem qui clericatum non obseruant; qui in tonsura, & habitu non incedunt; qui solemniter sunt degradati, sine characteris indelebilis præiudicio, clericalibus priuilegijs exuuntur. Nihilq; prodest idem character seruis, contra dominorum voluntatem initiatis, quo minùs in eadem seruitute persistant, quæ sanè maiorem infert clericatui labem, & Diuino obsequio impedimentum, quàm honesta inferat Ciuilis ad Politicos Principes subiectio.

37 Honestam, inquam, eatenus, vt per omnia sacrorum oracula commendetur; cum de præcepto Diuino positiuo circà Ecclesiasticam Immunitatem altrinsecùs non appareat. Exodi quidem liber docet in priori lege omnem populum ex Sacerdotibus, Leuitis, cæterisq; laicis tribubus Israel, Moysi pariter paruisse, temporalium Duci: neq; Aaroni Pontificiam dignitatem sustinenti, quam & ipsam à fratre receperat, datum legitur ius dicere Sacerdotibus, aut Leuitis, seorsim à laico foro. Moysis iussa, & ipsi Leuitæ suscipiebant, quale est illud, quando iussi sunt per castrorum fines discurrere, & Idolatrarum scelus internecione vlcisci. Hinc per Iosue, & Hebræos Iudices ad Reges transijt consuetudo, vt sacrorum non modò ministri, sed & ipsi Summi Pontifices, supremi quidem in spiritualibus, altaria, sacrificia, legem, & cæremonias curantes; in politicis nihilominus à subiectione Regia non essent exempti; quod si quis in dubium vertat, aperte audiat c. Nos si in-

competenter. 2. q. 7. ibi: *Dauid præfuit Sacerdotibus in caussis secularibus, subiectus in caussa Dei.*

38 Ipseq; Propheta Nathan est testis, qui ad eiusdem Regis penetralia admissus, humiliter Dominum salutatum est veneratus, 3. Reg. 1. *Cumq; introisset in conspectu Regis, & adorasset eum pronus in terram, dixit Nathan: Domine mi Rex, &c.* Non adoraret, non profiteretur seruitutem, qui Regiam potestatem supra Sacerdotes ex Saulis facto didicisset; qui Sacerdotes Nobe recensuit gladio, perduellione reos? quod idem Salomon præstitit, eijciendo Abiathar, vixq; illi vitam indulgens. Ita nimirum in Hebræorum Republica discreta olim sunt munia, sicut reformata leguntur, 2. Paral. 19. *Amarias autem Sacerdos, & Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent præsidebit: Porrò Zabadias filius Ismael, qui est Dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* Quasi præter ea, quæ sunt ad Deum, reliqua omnia indicet ad munus regium pertinere. De collectis, atq; tributis ciuilibus, non modò laicus quæstor vacationem nō dabat Ecclesiasticis, seu sacra operantibus; sed etiam ab ijsdem Sacerdotibus rationem Rex exposcebat de collectis sacris in vsum reparationis tēpli, 4. Reg. 12. *Vocauitq; Rex Ioas Ioiadam Pontificem, & Sacerdotes, dicens eis: Quare sarta tecta non instauratis templi? Nolite ergo amplius accipere pecuniam à populo, iuxta ordinem vestrum; sed ad instaurationem templi reddite eam.* Ex quibus datur arguere, quòd si nō erant in lege veteri Sacerdotes exempti à laico foro, neq; inde præceptum exemptionis habetur pro nostro Clero: quin potiùs illius vi remaneāt nostrates Clerici adhuc subiecti politico Principi: neq; .n. Saluator aduenit soluere legem, sed adimplere.

39 Adimpleuit profectò, qui Pilato Ethnico præsidi potestatem supra ipsum iactitanti consensit; eo quòd sic Diuina ordinatio ferat, vt Principi pareant omnes, quisquis ille sit, dicens: *Non haberes in me potestatem, nisi datum tibi esset desuper*, Ioan. 19. Qui insuper exactoribus Capharnaitis tributum pendit,

 osten-

ostendens Petro se non esse immunem, tanquam alienum, nec filium Regum terrenorum; ideoq; citra scandalum non posse debitum fraudari tributum, & denegari iustè poscentibus ab omnibus, qui filij terreni Regis non fuerint; nam dicens: *Ergo liberi sunt filij*, connectendo cum sequentibus: *Vt autem non scandalizemus eos*, perinde fuit, ac dixisse: qui frui Immunitate contendunt, ipsi terreni se declarant sobolem Regis, quod non fecerim ego: *Reddite*, sane benè, aliàs iussit, *quæ sunt Cæsaris Cæsari*, Matt. 22. Neq; .n. cum laici Domini dispendio Ecclesia Sancta fundatur.

40 Dominicæ primitùs Apostoli adhæsere doctrinæ, nec à fidelibus præteritam iri volebant. Scribit D. Petrus, 1. Epist. 2. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ, propter Deum: siue Regi quasi præcellenti: siuè Ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: Regem honorificate: serui subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis, & modestis, sed etiam dyscolis.* Quibus indicat administrandam à Rege vniuersalem iustitiam; vt præmio bonos, pœna afficiat impios omnes; maiorem appropinquationem ad Deum non eximere à subiectione politica, quæ sanctioribus imperatur erga etiam nequiores Tyrannos.

41 Alter Collega D. Paulus malè habitus Cæsareæ apud Præsidem Festum, ad Imperatorem apertè prouocans, fassus est suam caussam debere ab eodem cognosci: *Ad tribunal*, inquit, *Cæsaris sto, à quo oportet mè iudicari.* Vacanter autem ad incompetentis Iudicis sententiam appellasset.

At non incompetens Iudex Apostolo visus est laicus; immò Ethnicus Imperator, qui aliàs Spiritus Sancti tubicen ita insonuit: *Omnis Anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est .n. potestas nisi à Deo: ideò qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*, ad Rom. 13. Seriemq; sermonis paucis interiectis continuans de eodem Principe, cuius potestati obediendum prædicat: *Non enim*, scribit, *sinè caussa gladium portat; Dei enim minister est, vindex in eum ei, qui malum agit: Ideòq; necessita-*

te subditi estote; non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: Ideò .n. & tributa praestatis: ministri .n. Dei sunt, in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributũ, tributũ, cui vectigal, vectigal. De Apostolica mẽte vltra nil ambigas, nihil quæras. Quibus dicit? an laici soli comprehenduntur, semotis Ecclesiasticis? Omnis Anima dicitur. Per potestates sublimiores, Ecclesiasticas fortassis intelligit, vt interpretatur D. Hieronymus, quorum imperio omnis Anima subsit; aut certè (quod multorum perfugium est) distributione accommoda, omnem alloquitur animam, iuxta proprium singulorum statum; vt laici suo, & Ecclesiastici suo pareant Iudici: sed non consonat quod de Principatu meminit: *Principes non sũt timori boni operis*; & quod de gladio additur; nec.n. D. Paulo scribente Episcopus gerebat Principem, cum sæuiens infidelium Principum persequutio fideliũ Pastores ad necem petens, in spelea conijceret atq; gurgustia; nedum palàm pateretur in prætorijs ius dicere, & adesse pro tribunali; & si adfuissent, Sacerdotis fœmori inconcinnè appingitur gladius: subiectio igitur animæ cuicunq; indicitur ad laicum Principem, ense armatum, ad iustitiæ Reipublicæq; tutamen. Erit porrò hæc vniuersalis subiectio, præter directionem legum, etiã quoad pœnarum coactionem? Audi: *vindex in iram ei, qui malum agit*. Tributa item ab omnibus nec debeantur? Ità: *Reddite omnibus debitum, cui tributum, tributum*. Saltem de iure non erit hæc subiectio, & perpetua, sed pro tunc dumtaxat opportuna temporis exigentiæ, vsquedum pedem, quem nouiter in Regna intulerat fides Euangelica, stabiliret; ne fortè, addito contumaciæ, & inobedientiæ prætextu, Principibus Infidelibus facta esset occasio in Ecclesiam inuisam acriùs, & patentiùs insurgendi: *Propter conscientiam*, dicit, & necessitatem; quòd sanè intrinsecam debitamq; obligationem ostendit, non autem aduentitiam, & ferenti diei accommodam. Rem ecce modis omnibus versam, & reuersam, circà mentem Apostoli, vt libet, putemus, & disputemus; quicunq; conatus adhibean-

 tur

tur ad effugiendam vim veritatis, res nō emergit è vadis: constans manet D. Pauli præceptum: Quòd Ecclesiastici, vnà cum laicis, communi pareant Politico Principi, dicto audiant, dent pœnas, tributa persoluant.

42 Tantæ ipsius textus perspicuitati nihilominùs non insistitur soli, nisi etiam Orthodoxorum Patrum superaddatur calculus. Chrysostomus, alioqui ad omnem Ecclesiæ caussam indeficiens Patronus, quo Ecclesiasticorum iurium constantior nullus assertor, ipse ad citatum Apostoli cap. scribit: *Facit hoc Apostolus, vt ostendat* CHRISTVM *leges suas ad hoc induxisse, non vt Politias euertat; sed vt ad melius instituat: ostendens quòd ista omnibus imperent, & Monachis, & Sacerdotibus; non solùm secularibus: & sic omnis anima subdita sit; etiamsi Apostolus sis; etiamsi Euangelista; etiam si Propheta; siue tandem quisquis fueris; nec .n. pietatem subuertit ista subiectio.*

Ambrosius acerrimus alter Ecclesiæ pugil ad illud, Matt. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, exertè pronunciat: *Soluimus quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo: Tributum Cæsaris est, petit Imperator tributum: scilicet non negatur, agri Ecclesiæ soluunt tributum.* Bonus Antistes ad præstandam Cæsari debitam subiectionem, laicos præeuntium Ecclesiasticorum adhortatur exemplo, qui poscenti tributū non denegant, sed fatentur debitum. Adde Gregorium Pastorem Ecclesiæ supremum (si plura lubeat Patrum testimonia coaceruare) qui verba offendens Apostoli ad Cor. 6. *Secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia illos constituite ad iudicandum.* Hoc eo intellectu donat, vt pro temporalium, & secularium controuersiarum dica laici adeantur Iudices, quos contemptibiles vocet Apostolus, respectu ad Ecclesiasticos.

Germana interpretatione: vix aliud præsumi poterat eo loco à D. Paulo doceri, qui alibi Episcopum non vult secularibus Iudicijs distineri, ad Timot. scribens: *Nemo militans Deo, implicat se negocijs secularibus.* Negare autem iudicia Ciuilia Ecclesiastico Præsidi, idipsum est, ac laicis Principibus Cleri-

cos subijcere in politicis; si modò, & ipsi debeant in his omninò non derelinqui exleges, sed potestati alicui obtemperare. Dicitur D. Petrus Clementem instituisse discipulum talibus: *Oportet te summo studio niti, vt omnes vitæ huius occupationes abijcias, ne præfocatus præsentibus hominum curis, verbo Dei vacare non possis. Hæc opera, quæ minus tibi congruere diximus, exhibeant tibi inuicem vacantes laici.* Clarius adhuc aliquid desideratur? habentur hæc ex D.Th. lib.3. de regim. Princ. & in iure can. Quidem. 11.q.1.

Euidenti testimonio ratio adstipulatur, suadens onera pluribus dispertienda, quæ aptiùs valeant substentari: officia singula singulis sunt committenda personis can. 1. dist. 89. Malè igitur in sarcinam vnam valdè quàm grauem, eiusdem hominis alligentur dorso, nimirum Episcopi, & spiritualium, & temporalium circa Clericos curæ; quę duo prorsus officia sunt, sin minùs contraria dixerim, sanè multum impedientia alterutrum: quæ, vt ostensum est, neq; lex Mosayca patiebatur coniungi; & si passa fuisset; Euangelicam tamen maiorem indecent solicitudinem: vt .s. Sacrorum Pontifex à iure dicendo in secula ribus abstrahatur, ne suo spiritualium vacet integer muneri. Discussa iam nocte legali, cum ad gratiæ ventum est veritatem: *Vltra sibi, nec Imperator iura Pontificatus arripiat, nec Pontifex nomen Imperatoris vsurpet*, can. Cum ad verum d.96. Quæ autem Pontificis sint, & quæ Cæsaris iura, habetur c. solitæ De maior. & obed. ibi: *Ad firmamentum Cœli, hoc est vniuersalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, idest duas instituit dignitates, quæ sunt pontificalis auctoritas, & regalis potestas; sed illa quæ præest diebus, idest spiritualibus, maior est, quæ verò carnalibus minor.* Nempè ita; attinent ad regiam potestatem iudicia temporalia, seu ciuilia, quemadmodum ad Episcopalem spiritualia, hæc autem vniuersaliter catenùs ad hos spectant, quatenus fideles omnes, siue sacri, siue laici non aliunde in ipsis dirigantur: spectent ergò similiter secularia, quoad omnes ad Regem vniuersaliter. Huiusmodi esse insti-

tutum Diuinum traditur can. Quoniam. dist. 10. ibi: CHRISTVS IESVS *sic vtriusq; potestatis officia discreuit, propria volens medicinali humilitate hominum corda sursum efferri; non humana superbia rursus in humana demergi; vt & Christiani Imperatores, pro aterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodò imperialibus legibus vterentur.*

44 Quid inde? an Sacros Pontifices cum Ecclesiastica Gente Cæsareis legibus subiugamus omninò, & Immunitate destituimus, in superioribus firmata tantoperè? Absit iniuria: habeant exemptionem clerici, sed laicorum Principum beneficio habeant. Memores eorum sint, quæ pro hac indixere in Constitutionibus suis pijssimi Augusti, pro libito, seu veriùs pro temporum exigentijs noua figentes, & refigentes circà illam decreta, quando ampliorem, quando arctiorem Immunitatem Clericis assignantes: titulus vniuersus ferè his est respersus in C. De Episcopis, & Cler. Episcopos à iudicijs fori laici nonne exemerunt Constantius, & Constans, Magni Constantini progenies, vt apparet l. 12. C. De Episc. & Cler. in Theodosiano? Ad Clericos etiam omnes Iustinianus protendit indultum; sed quoad ciuilia dumtaxat iudicia, criminalibus in caussis relinquens eos nihilominus subditos Principibus secularibus. Nouella Cõst. 33. tit. Ne Clerici apud propr. Episc. &c. quod idem Valens, & Gratianus denuò approbarunt l. 23. C. de Episcop. & Cler. in Theodosiano. Heraclius tandem, tam criminalia, quàm ciuilia Clericorum ad Episcopale remisit Tribunal, integra munerans Immunitate, quam Federicus II. in Constit. Patauinis. post libros feudorum. vsquequaq; firmauit, vniuersa infirmans, quæcunq; aduersus poterant obstitisse. Sed vice versa Episcopos subiecere edicto de discessu ab vrbe, vitandæ seditionis gratia, & cum ijs Clericos Arcadius, & Honorius l. 32. C. eod. tit. Eadem iudicia Clericorum coram Episcopo non conueniri, vtraq; parte non consentiente, sanxerunt Honorius, ac Theodosius secundus, l. 1. C. eodem, necnon Theo-

dosius alius, & Valentinianus tertius, l. 47. Quis verò dixerit tantos legum conditores ea stoliditate correptos, aut excitos temeritate, vt si agnouissent Clericatus immunitatem esse inter Diuina iura repositam, de ipsa constituissent, pro libito, hoc dantes, hoc resumentes? sibi gratias habendas sæpè profitentes, veluti de spontali priuilegio erogato, quod aliàs de ipsius Ecclesiæ iuribus iam fuisset?

45 Parem idem argumentum vim habet ex Canonicis Summorum Pontificum Constitutis: Mirum .n. fit, adeò frequenter hos in suis Iuribus scripsisse, ac rescripsisse aliter, & aliter de Clericali exemptione, si res de iure fuisset Diuino ex se explorata, patens, & obseruanda; cui robur non addunt inferiora humana decreta. Multòq; minus queunt eadem iuri Diuino detrahere, vt hinc præscripta non custodiantur ad vnguem; nam, si inferior Iudex superioris acta irritè irritat, nec valet infringere; quis hominum Diuinis detrahat Constitutis? At contrarium experientia docet, cum de facto Romani Pontifices, per specialia priuilegia, secularibus nonnullis Principibus hoc indulserint, vt pro statutis criminibus in Clericos animaduertant; ijsdē tributa exigentes aliquibus in locis non parcant. Sed & Pontificias caussas, nedum clericales ad laicum Imperatorum Tribunal nouimus aliquando delatas iudicandas can. Nos si incompetenter. 2.q.3.can. Præter hoc. §.ad hoc. 32.d. can. Valdè. 42.d. vbi plura Glossa. Et alibì pro arbitrio Summi Pontifices visi sunt, hoc fori priuilegium immutare, extendendo, vel limitando, aut tollendo. Multa alia contra idem vsus præscripsere, & consuetudo in quibusdam regnis; aduersus quæ reclamare iam non licet; cum tamen Diuino iuri nihil præscribat; abusus sit, & crimen quidquid in illud patratur. Sicuti neq; immunes criminis primores illi fuissent Apostolici seculi Patres, qui præceptum Diuinum de Immunitate Ecclesiastica neglexissent, quæ post multum temporis prodijt, & seruari incepit, vt ex probatis historijs memoriæ, fideiq; est proditum.

46. Hic argumenta subsidunt, quæ negantibus ius Diuinum de Ecclesiastica libertate possunt esse subsidio: quibus iam dare frontem conducit, antequam contrarium statuamus: vt scilicet inimicorũ occupatis iam vallis, tutiùs nostra castra triumphent. Vtq; ordine eodem singula relidantur; Diuinam legem adesse dicimus; tum naturalem; tum positiuam, seu scriptam de Ecclesiastica Immunitate. primum iam satis probatum remanet. altero sequenti cap. seorsim probando stamus, vtrũq; ab oppositis difficultatibus vindicamus.

Priuilegium Immunitatis non est, qui asserat de iure naturali Diuino, seruandum huic, vel illi Clerico, in his, & alijs determinatis casibus, ac circumstantijs; nam, sicut potest quis de Clericatu malè merendo, eius priuilegia amittere; ita non prohibetur Ecclesiæ Maximus Pastor, quoad certas personas idem priuilegium coarctare, suspendere, vel prorsus auferre. In genere quidem stabile Diuinum mandatum adest, de Immunitate Ecclesiasticorum; quod nemini licet infringere, siq; infringatur, & tollatur semper erit intrinsecè malum, & nunquam licitum. non autem infringitur, quotiescunq; laicus Iudex, potestate sibi ab Ecclesia facta, de viro Ecclesiastico censet; est.n. in eo casu non ordinarius, sed delegatus, qui non authoritate propria, & laica, sed Ecclesiæ delegantis, diiudicat.

47 Debetur Clericis immunitatis prærogatiua, non quia generaliter, sed quia speciatim religioso Dei obsequio sunt addicti. Discrimen porrò est obseruandum, quòd cum exemptio hæc sit donum publicum, quippè quod Clericis condonatur, id à Reipublicæ seu politici Principis demitur potestate; Par etiam fuit, vt, non quicunq; laicus priuatò se Diuino cultui dedat, eodem priuilegio decoretur; sed ille dumtaxat, qui publico in ordine sacris ministerijs in Republica sit addictus: huiusmodi sunt Clerici, nam Sacerdotes, & rem Diuinam curantes Aristoteles inter cæteros publicos Magistratus Ciuitatis recensuit 6. polit. c.8. ibi: *Ciuitatum igitur Magistratus ferè tot aliqui sunt. Alia species curationis est circa rem Diuinam, ceu Sa-*

cerdotes, & aditui circa templa: vt conseruentur qua sunt, & erigantur ruinosa adificia, & catera omnia qua pertinent ad Diuinum cultum. Et paucis interiectis: *Huic consequens est illa qua circa sacrificia publica, quotcunq; Sacerdotibus lex non committit, sed ex publico fiunt. vocant autem eos, qui istis prasunt, alij Reges Sacrorum alij Pontifices Maximos, &c.* Nec abs re Symmachus ille caussam Vestalium agẽs, hoc quasi improperabat: *Quid iuuat saluti publica castum corpus dicare, & Imperij aeternitatem cælestibus fulcire prasidijs?* Quemadmodum igitur non insuetum est, neq; ad aures naturæ absonum, quòd à pluribus publicis grauaminibus eximantur, qui magistratu, vel etiam laico fungentes, pro Republica fatigantur, cur nõ qui, & Deo, & Reipublicæ simul inseruiunt in publico religioso Ordine, consimiliter leuentur?

48 Certum est in nulla Republica parem haberi rationem de Patribus conscriptis, nobilibus, ac de popello, & plebè ignobili: hanc seruituti natam, pluribus subijci statutis, atq; oneribus præstat, à quibus alteri vacant. Dicas in Christiana Republica, quà talis est, eos, qui CHRISTO propinquiori ordine exhibent publicè famulatum, esse nobiles conscriptitios ciues, non modò respectu laicorum ciuium, sed etiam ad ipsos laicos Principes comparatos; nisi ignorarunt Ambrosius, & Gelasius supra relati, Reges Sacerdotibus, quasi plumbum auro, conferentes.

Idcircò non quicunq; Republica Christiana donatus per baptisma, & fidem, statim à ciuilibus obligationibus est eximendus; vt popularis enim ingreditur; cum ad sublimiorem, quasi equestrem, & nobilem ordinem transeant soli, qui à fide ad excellentiorem religionis professionem conscendunt. Quæ Clericis poscunt exemptionem à politicis oneribus duo sunt: dignioris status nobilitas, & libertas non impediendi famulatus Diuini. Primum cessat omninò in suscipientibus fidem solam, atq; baptismum; neq; .n. ministerium vllum recipiunt in Republica, ex quo nobiliores euadant, tanquam in magistra-

tu sedentes. Alterum, videlicet liber famulatus Dei absq; impedimento conceditur etiam fidelibus sub infideli Principe; non tyrannicè, sed ad iustitiam politicam dominante. Quòd si peruersitas Principis ea, quę Christianę professionis sunt impediat, etiam dico eximi conuersos ad fidem ab infidelium dominatu in his, quæ susceptæ fidei perfectioni contrariantur. Immò vt congrua esset totalis exemptio cōuersis ad fidem; ab ea nihilominus abstinendum suaderent grauiora imminentia scandala; ne, vel fictè plures ad fidem accederent, ob consequendæ beneficium libertatis; quod prorsus à CHRISTI alienum est disciplina, vt temporalium pollicitatione bonorum alliciatur quis ad baptismum: vel Principes infideles aduersùs Euangelium acriùs lympharent, & baccharentur, à quo vehementiùs suæ potestati timerent: ad hoc Chrysostomus dixit de accedentibus ad Euangelium: CHRISTVM *leges suas non induxisse politias euersurum, sed ad melius vt institueret.*

49 Cum dicitur Clericos, Laicosq; vnius, & eiusdem esse pariter Reipublicæ ciues; si de generali Republica sermo sit, quæ professione Christianæ legis est vna, non negatur, & per consequens admittitur, quòd in obligationibus, quas lex Christiana inducit, sint compares; neq; hoc sensu de obligationibus secularibus, & politicis aliquid euincitur, quas nullas peculiares cum Euangelium inducat, communes non sunt vllæ fidelibus omnibus; sed quę præter Euangelium sunt, vbiq; Prouinciarum propriæ sunt & diuersæ, pro populorum, & Principum consuetudine, ac voluntate: Sin verò Clericos commisceas ita laicis, vt sint pariter membra alicuius particularis Rei publicæ, & Ciuitatis, dico materialiter tantùm esse Clericos, laicosq; conciues; quatenus intra eadem septa mœnium, in societatem conuiuunt, fœderibus, & contractibus coutuntur, ad honestatem politicam pariter diriguntur: & ita formaliter duplicem Rempublicam statuunt, hanc Ecclesiasticam Principe Episcopo, secularem aliam laicorum sub laico Domino: ad terminum eundem politicę honestatis ambo contendunt, sed alia,

& alia via, & alijs directoribus. Cæterùm si laici aduersùs Ecclesiasticos ideo insurgant, quia, cum æquales sint eiusdem Reipublicæ ciues, æqualiter etiã portare debeant ciuilia onera, ne ipsorum exemptione alij plus æquo grauentur, volo tumultuent etiam clerici contra laicos, à quibus relinquuntur soli ministrare. Profectò], si vna, & eadem est Respublica, & par omnium obligatio, cur plùs æquo grauari habeant Sacerdotes, & Clerici, vt laicis spirituale obsequium diù noctùq; exhibeant; ad salutem necessaria ministrẽt, officia Diuina persoluant? Ergo erit sors potior laicorum, qui in conciues Clericos ciuile suum pondus exonerent, nihil de spirituali onere illos leuando: Vestram fidem, si hoc naturalis æquitas patitur.

50 Dirigantur, plectantur laici à suis Dominis, Clerici ab Ecclesiastico Iudice tantundem. Ecce acquiescit natura, quæ tantùm scelera non vult inulta; immò amat ordinem dignitatis seruari, vt quisq; à proportionato cõgruè iudice iudicetur, neq; nobilissimus clericatus subijciatur ignobiliori laicæ sorti. At duo capita natura non perfert in eodem Reipublicæ corpore: Iam dixi: quòd formaliter duæ sunt Respublicæ, Clericorum altera, altera Laicorum: in vnaquaq; earum vnicum esto caput, vnus Princeps, vnus Antistes. Si ambas in vnam conglutines, quà conueniunt sub CHRISTI vexillo, & Euangelica lege, vnus vniuersalis in hac spiritualiter præest Romanus Monarcha illius Vicarius, qui exortas inter vtrunq; forum dirimat lites, ipsius audiant dicto, tam Episcopi, quàm seculi potestates, quæcunq; eam Christianam Rempublicam profitentur, cuius ipse est Monarcha indubius. Præterimus, an etiam temporaliter, ne importunè hoc loco de ea Romani Pontificis in respectu ad laicos Principes diiudicemus potestate, quam in propriam sedem à principio remittere operæpretium duximus.

51 De Clericali charactere, quid, si dicam ratione eius primariò Ecclesiasticas donari personas, quod iuris Diuini est, quoad alios verò non initiatos, ampliatum immunitatis priuile-

gium canonico iure? Maximam .n. affinitatem habent ad charactere insignitos, siue laici, siue fœminæ perpetuò seruitio Dei in Religiosorum Monasterijs publicè mancipati, nec non sola tonsura præditi, quæ si verus ordo non sit, characteris impressiuus; quod tamen probabile est; saltem proxima via est, ac dispositio ad characterem, & ordinem. Qui verò damnatis moribus fecerint ordini contumeliam inobseruantes, vel degradati, eo ipso characteri, simulq; priuilegio eius videntur renunciasse, vtrunq; maculis scelerum expunxisse, vt neutrius respectus ampliùs sit habendus.

52 Non prodest seruis character Ordinis, vt seruitutis stigmata deleat, estò minùs decenter ordinatus videatur in seruitute perseuerare; quia aliud magis indecens Sancta inde cauit Ecclesia; ne scilicet illicio libertatis optatæ fictè plures accederent ad sacra initia. Vt constat ex c. 2. De seruis non ordinandis, ibi: *Seruus fugiens Dominum suum qualibet calliditate, aut fraude ad gradus peruenerit Ecclesiasticos, deponatur, &c.* Præterea assumptum non est omninò irrefragabile; est .n. nonnullorum sententia, quòd seruus, etiam contra voluntatem Domini ordinatus ad maiores ordines, liber euadat. Hoc certum est, quòd si Ecclesia prohibuerit seruum, inuito Domino initiatum, consequi libertatem, præterquã cauit, ne ab aliquo seruo Ordines fictè susciperentur, Dominorum etiam consulere voluit indemnitati quàm maximè; quarè .n. Dominus suo seruo priuetur, qui inter bona ipsius computatur? cuius rei præbet indicium; nam, si Episcopo, aut præsentanti constabat seruum accessisse ad Sacros Ordines, Domino reluctante; nihilominus alter præsentauit, alter ordinauit, tenentur hi, duplicem seruum coemptum æquè bonum, tradere Domino ordinati, qui prorsus euadit redemptus ac liber. Non est autem tanta ciuilis subiectio ad Principem, quanta seruilis ad Dominum: vt quemadmodum hìc, citra iniuriam, non potest priuari seruo, quem specialiter in suis bonis possidet; ita Principi futurum sit æquè iniurium, quòd Ciuis Rempublicam mutet;

vel per Clericatum assumptum à ciuilibus oneribus eximatur. Demùm Canones omnes, præcipientes seruum furtiuè ordinatum esse Domino restituendum, interim seruum ipsum iubent deponi; vel ab executione ordinis suscepti suspendi. Quòd si quis Clericus depositus sit, & degradatus, censeant de hoc, vt velint, laicæ potestates; neq; .n. facinorosos hosce, Clericatui abrenunciantes, contendimus priuilegio fori munire.

53 Commendatur quidem in scripturis omnibus (est ne à quo damnetur?) debita laicis Principibus obsequentia; sed non inuenio vbinam debita definiatur ab Ecclesiasticis. Quod Populus Israel vniuersus Moyse sit vsus Principe, cæteris tribubus cum Leuitis, ac Sacerdotibus commune, non inde extitit, quòd laico Duci addicerentur Leuitæ; sed quòd spiritualium Pontifici, & Sacerdoti plebs omnis, etiam laica subderetur, ratione spiritualis dignitatis in ipso præeminentis, de quo scribitur: *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius*, Psal. 98. Et Philo ad calcem Historiæ Mosaycæ: *Hic est exitus*, inquit, *Moysis Legislatoris, Pontificis, & Prophetæ*.

54 An Hebræorum Regnum subegerit in temporalibus Sacerdotium, problema est, communi marte defensum: forsitan allato can. Dauid dicitur Sacerdotibus præfuisse, ex sententia sic opinantium, quanquam hi pauciores sint: fortè etiam verbum *præfuit* ibi negatiuam tantum vim habet; vt idem sit, ac non fuit subditus Sacerdotibus Rex, & potior erat eius sententia in administratione laica Regni sui, eo modo quo subiectus erat per omnia in spiritualibus. Callidè Nathan ad correptionem adulteri Regis processit, increpationis acrimoniam priùs vrbana salutatione, & blandi loquentia demulcens, Dominum compellans suum; neq; .n. statim, quasi de lapide mancipia emimus, quoscũq; passim habuerimus obuios nomine nos Domini salutantes, seq; seruos profitentes vrbanè. Præterea testimonium Nathan in hac caussa reijcio, qui nunquam Sacerdos, sed semper simplex Propheta in sacro vocatur eloquio. Et

cum nominetur semel: *Zabud filius Nathan Sacerdos amicus Regis*, 3. Reg. 4. Lyranus explicat; *id est magnus, & honoratus, sicut dicitur supra: filij autem Dauid Sacerdotes erant; non enim Nathan erat de genere Sacerdotali, sed nutrierat Salomonem; propter quod filios eius honorabat.* Scitu nanq; est dignum Sacerdotis nomen aliquando ad spectabiles quosq; spectasse magnates, sapientia, aut nobilitate venerabiles.

55 Saulem non miror Sacerdotes Nobe interfici iubentem, ipse .n. in sua potestate liberior etiam ausus est, quod Sacerdotis erat, sacrificare: sed nunquid sapienter egit? cum id confiteretur Samueli dicens: *Necessitate compulsus, obtuli holocaustum Domino. Dixit Samuel ad Saul: Stultè egisti*, 1. Reg. 13. Scilicet, si facta Saul imitationis veniant in exemplum, aut in probationem iuris, deerunt quæ probemus iniquè gesta. Sanè timuerunt Emissarij Regis, vel iussi, manus inijcere in Sacerdotes, sed solus alienigena Doeg Idumæus, cui parum erat cordi Religio, facinus est aggressus, non discutiens iustumne, vel iniustum esset mandatum.

Salomon Abiathar vexans, multorum vexauit ingenia, vt inuestigarent, fueritne id iure factum, & quali. Nos hic non vexet: sufficit expeditior, & frequentior responsio, id præstitum à Salomone, non vt Rege, sed quà simul erat Prophetes, peculiariter Dei ordinationi in eo casu deseruiens, nec aliā caussam insinuare videtur textus: *Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non esset Sacerdos Domini, vt impleretur sermo Domini, quem loquutus est super domum Heli in Silo*, 3. Reg. 2. Responsione eadem in casu simili vsus est Innoc. in c. solitæ de maior. & obed. Imperatori respondens obijcienti, præeminentiam Dauid supra Abiathar eundem Pontificem: *Dauid*, ait, *quamuis Regni diadema obtineret, non tam ex dignitate regia, quàm authoritate prophetica imperabat.* Interim responsionem aliam subijcit: *Quid horum fuerit in veteri testamento, nunc aliud est in nouo, ex quo* CHRISTVS *factus est Sacerdos magnus iuxta ordinem Melchisedech.*

56 Hic prorsus insistimus. quæramus quæ nostra sunt, quidquid olim de Synagoga credatur. Sanè argumentũ negatiuum deficit in perfectionibus ab ipsa ad Ecclesiam: potuerunt Reges Hebræi in veteres Sacerdotes, ergo possint Christi fideles in nouos? Vtiq;, si nihil amplius sanguine suo his est Saluator promeritus; sed Innocentium audis, quia Sacerdotium Christi non est secundum Aaronis, sed Melchisedech ordinem, qui simul consociabat regiam potestatem; nedum exemptionem, quam prætendimus. Videas alibi dicta, quomodò in lege esset regnum sacerdotale, modò autem in Euangelio, vice inuersa, Regale sit Sacerdotium. In lege noua viluit Regni, creuit Sacerdotij maiestas; hanc Saluator exercuit, illam minimè, quàmuis posset. Quid mirum, si apud Iudæos præfuisset quadantenus Rex Sacerdoti; cum hic non tantæ esset excellentiæ, vt nostras Sacerdos, alter verò dignior nostris Regibus? Eodem sancto Chrismate de tabernaculo inungebantur in capite Reges pariter, ac Sacerdotes; de his habetur: ***Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam barbam Aaron,*** Psal. 155. De alteris: ***Tulit Samuel lenticulam olei, & effudit in caput Saul,*** 1. Reg. 9. Immò cum præceptum haberetur de hoc oleo: ***Caro hominis non vngetur ex eo.*** Exod. 30. Saluant interpretes, non prohiberi ibi vnctionem Pontificum, atq; Regum, cum vtriq;, propter muneris sanctitatem, iam non carnales, sed spirituales habendi essent; ac proinde Reges non minùs, ac Sacerdotes in sacro eloquio Christi Domini nuncupantur.

57 Hæc expendimus, vt appareat, non fuisse vetus Sacerdotium tantò inferius regno, quantò est nouum. Cæterùm multitudini cõsentimus, quæ neq; in Synagoga subijcit sacra prophanis, neq; in temporalibus. Neq; .n. ritè factum adducitur aliquod priorum Regum, quod eorum authoritatem supra Sacerdotes euincat: nam, si ab impijs Principibus gesta commemores, vi, & iniuria, non autem iure sunt præstita, quæ rem sacram tangunt: sin verò à sanctis Regibus admissa objicias; vel peculiariter hi habuerunt suggestorem spiritum Dei; vel non

citra iustum Sacerdotũ consensum tale quid attentarunt; quale est illud Regis Ioas perperam oppositum nobis: etenim, cum res esset de negligentia Leuitarum circà præceptum Moysis, pius Rex Pontificem monuit, vt, quod suum erat, ipse illos cogeret ad implendum debitum; sic nanq; legitur: *Vocauitq; Rex Ioiadam Principem, & dixit ei: Quare tibi non fuit curæ, vt cogeres Leuitas* (non ergo Regis erat coactiua in ipsos potestas) *inferre de Iuda, & de Ierusalem pecuniam, quæ constituta est à Moyse seruo Domini* (neq; .n. Rex ipse sui executionem curabat præcepti) *vt inferres eam omnis multitudo filiorum Israel in tabernaculum testimonij?* 2. Paralip. 24. Pium satis, & Religioso Principe dignum fecit. Quis prohibeat, immò quis non commendet laicos Dominos, quibus curæ sit sacræ rei progressus, & quà licet satagant hunc prouehere? sed aliud est, vt cap. præcedenti attigimus, sacrorum sibi assumere Præsulatum; aliud supina incuria eadem prorsus negligere, & nolle incumbere, vt Diuinus cultus in Republica per deputatos viros diligenter seruetur. Ioas in negotio illo pecuniarum propria authoritate solus nihil disposuit, comite vsus est semper Summo Pontifice Ioiada; vt refertur eodem Paralip. *Et congregata est infinita pecunia, quam dederunt Rex, & Ioiada his qui præerant operibus domus Domini.* Et rursus: *Cumq; complessent omnia opera, detulerunt coram Rege, & Ioiada reliquam partem pecuniæ.* Immò 3. Reg. 12. *Solus Ioiada* (dicitur) *gazophilacium vnum tulit, &c.* Ecce quomodò Rex Pontifici dumtaxat institerit, & adstiterit, vt recolligeretur pecunia, in templi reparationem insumenda. An sibi, & fisco regio sacrum ærarium compilauit?

58 Elumbe pariter, & nihil stringens argumentum est illud, quod ab ordinatione Regis Iosaphat eruitur, dum Amariam Pontificem in his, quæ ad Deum, Zabadiam verò Ducem in his, quæ Regis essent præponeret: quandoquidem, licèt omnia, quæ ad Regem spectarent ea essent, quæ ad Deum non erant; nil tamen inde deciditur, an sacri homines, sicut cætera sacra, includerentur sub potestate Pontificis, quod perquàm vero simile

mile est, vt, si eximuntur à potestate secularis Ducis Zabadiæ, quæ ad Deum essent, maximè homines sacri, cum ipsi potissimùm Deo sint consecrati, eximebantur.

Quæ responsio, antequam de manibus excidat, adhibenda est sicuti à pluribus Summis Pontificibus sæpiùs est adhibita, contra Imperatores ius Ecclesiasticum vsurpantes, prætextu illius oraculi saluatoris: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*, Matt. 22. Vtiq; parati sumus reddere, & profiteri Religiosi obseruantiam Cæsari, & laicis Principibus, si modò constiterit homines Diuino cultui, sacrisq; ministerijs mancipatos non esse de ditione Diuina, quæ contraponitur ibi Cæsareæ. Et quæ tandem supererunt Deo reddenda, si ab eo ipsi domestici eius auferantur, & serui? Omnia ergo Cæsari apponenda venient, & Deo nihil. Respondes: Stant Deo preces, & sacrificia, tributum, atq; subiectio Imperatori. benè rem es dispertitus, si sacrificia precesq; non modò, sed sacrificulos ipsos, & ministros sacrorum Deo serues, tributum autem ab eius generis hominibus Cæsari debeatur, quales erant Dominum interrogantes, liceretne censum dare Cæsari? ijdemq; accipientes responsum laici Iudæi cum Herodianis. Sed quorsum responsum his datum, ad alios religiosi generis extendatur? Vides vt aduersarij hanc Domini sententiam in nos contorquentes, moueant Camarinam, plusq; lædantur, quam lædant.

59 Sicuti Capharnaitis Dominum pendidisse tributum, quò scandalum solummodò declinaret, cæteroqui non persoluendum, mirificè Ecclesiasticorum inuehit immunitatem; siuè quòd omnes filij Regis sint; siue quòd CHRISTI Domini filij regij sint omnes familiares, vt sequenti cap. dispalescet. Interim prępostera illa interpretatio exploditur, asserens Saluatorem, dum daret tributum, diceretq;: *Ergo liberi sunt filij*, declarasse se non liberum, quia non erat Cæsaris filius. Nam statuimus supra cap. 2. CHRISTVM Dominum habuisse verum regnum terrenum quàmuis functionibus neglexerit regijs ostẽtare, simulq; de progenie regia oriundus, quàmuis proximè

esset filius fabri, erat tamen *Filius Regum antiquorum*, Isai.19.

Pilatus ipse subsignat Cruci hærenti titulum scribens, & non retractans ab inuidis improbatum: IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM. Quàmuis importuna populi iniquitate lassatus iudicauerit innocentem; eo ipso quòd nullam caussam mortis in eo fateretur se inuenisse: satis indicans, non iuridicè se in eundem ferre sententiam; sed vi tantum, & absoluta tyrannide malignis calumniatoribus indulgere. de qua potestate absoluta, rationem non respiciente, cum se se iactitaret Pontius: *Nescis quia potestatem habeo crucifigendi te, & potestatem habeo dimittere te?* Ioan.19. Humilis respondit Saluator: *Non haberes potestatem aduersus me, nisi tibi datum esset desuper.* Quod non nisi permissiuè intelligi potest, cum Chrysost. homil. 83. Cyrillo, lib.12.in Ioan.c.22. alijsq; Patribus; non .n. dispositiuè potestatem iniquorum præcipit Deus, sed verbum dandi frequenter locum obtinet concedendi; sicuti crebrò illud in Apocalypsi est repetitum de Antichristo: *Data est ei potestas, &c.* Cæterùm iuridicam potestatem in Republica licitè exercebat Pilatus, quemadmodum vniuersaliter certum est quòd: *Quæ sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt*, Rom.13. ex quo sensus exprimi potest Dominicæ responsionis: non arrogares tibi Pilate temerariam hanc in filium Dei potestatem, nisi ab eodem Deo fuisses in hoc solio constitutus, ingratus.

60 Fertur in alia omnia D. Petrus, ante quàm Ecclesiasticam immunitatem euertat eo loco aduersus adducto; cui tam bellè satisfacit Innoc.in c.solitæ, de maiorit.& obed. vt nihil superaddendum ducamus; ait nanq;: *Si personam loquentis, & eorum ad quas loquebatur, ac vim loquutionis diligẽter attendisses, scribentis non expressisses taliter intellectum: scribebat .n. Apostolus subditis suis, & eos ad humilitatis meritum prouocabat. nam si per hoc quod dixit: subditi estote, Sacerdotibus voluit imponere iugum subiectionis, & eis prælationis auctoritatem auferre, quos subiectos esse monebat, sequeretur ex hoc etiam, quòd seruus quilibet in Sacerdotes imperium accepisset, cum dicatur: omni huma-*

na creaturæ. Quod autem sequitur Regi, tanquàm præcellenti; non negamus, quin præcellat in temporalibus Imperator illos duntaxat, qui ab eo suscipiunt temporalia. Sed Pontifex in spiritualibus antecellat, quæ tantò sunt temporalibus digniora, quantò anima præfertur corpori: licèt non simpliciter dictum fuerit: subditi estote; sed additum fuit, propter Deum; nec purè sit subscriptum: Regi præcellenti, sed interpositum forsan, non sinè caussa, tanquàm. Quod autem sequitur ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, intelligendum non est, quòd Rex, vel Imperator super bonos, & malos gladij acceperit potestatem, sed in eos solummodo, qui eius sunt iurisdictioni commissi. Optimus D. Petri interpres, qui & successor in munere, mentem eius non minùs, quàm cathedram assequutus.

61 Ad testimonium ex D. Paulo, etiam dico, vt innuebatur sub argumento, intelligendū esse distributione accommoda, quòd omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; nēpe vna quæuis suis, sub quibus ordinatur, qui Ecclesiasticus Ecclesiasticis, & qui laicus laicis: alioquin si non intelligamus de sublimioribus potestatibus, quas vnusquisq; in suo genere habet supremas, non videtur saluari obedientia ad exiguos Regulos, Marchiones, & Comites; nam potestates sublimiores istæ non sunt, nisi in respectu ad subditos, qui ad magìs sublimes non ordinantur. Explicatio est SS. Patrum, & Scholasticorum ferè communis: cui non officit quod addebatur: necessariò nomine sublimiorum potestatum venire laicas, eo quia mentio de gladio subsequatur. Quis .n. nesciat sermonem non esse de gladio materiali ferreo, sed de formali gladio potestatis, qui cum duplex sit, aliusq; dicatur gladius temporalis, alius spiritalis, seu secularis alter, alter Ecclesiasticus, poterit gladium suum habere Episcopus, idest suam potestatem correptiuam non minùs, quam laicus Princeps. Ergone si senex Princeps nolit fessum fęmur pondere gladij materialis onerare, ideò populorum amittet obedientiam, quia gladium non portat? vel si non Rex, sed Regina præsit in Regno, tamen subditi non ob-

temperabunt, quia excluditur mulier à gestatione gladij, sicut Episcopus? Sed pro gladio intelligitur potestas per elegãtem, & frequentem Metonymiam, qua signum ponitur pro re significata, sagum pro bello, toga pro pace, fasces pro magistratibus, purpura pro regno, iuxta illud Maronis 2. Geor.

Non illum populi fasces, non purpura Regum, Flexit, &c.

Quando autem infrà speciatim de tributis Apostolus loquitur, iam ad laicas potestates descendit, specialiùs commendandas, quæ maiori subijciebantur contumeliæ discrimini, facilis quippe exortu erat laicorum contumacia aduersus Principes laicos, eo quòd fortè sibi visuri essent exempti per nouæ legis Christianæ susceptionem. Non ita: quasi dicat Apostolus: omnis anima præpositis suis obedire habet, potestas nanq; seu gladius ad hoc est ipsis à Deo concessus; laicis quoq; Dominis sua exhibeatur reuerentia, maneat subiectio, quam lex Euangelica non conuellit; reuertitur tamen citò ad generalitatem obedientiæ primò propositam, subdens: *Reddite ergo omnibus debitum, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem, &c.*

62 Idipsum continet explicatio à Chrysostomo data, .s. ita loqui Apostolum de vtraq; potestate, Ecclesiastica, & laica, vt ostendat, nemini deesse potestatem superiorem, vnde corripiatur; sic Monachi Abbatibus, Euangelistæ Prophetis, hi Apostolis, Apostoli eorum capiti Petro, laici suis Dominis singulis subijciũtur; neq; .n. per Christianam legem quis exlex euadit, & ab omni superiore solutus, ideoq; dicit: CHRISTVM *leges suas induxisse, non vt politias euertat, sed vt ad melius instituat.* Egregiè. Si .n. Ecclesiastici sub alia peculiari politia non fuissent ordinati exempti à laica, politiæ neq; fuissent euersæ, sed neq; ad melius institutæ. quid ergo dicit Chrysostomus de meliori institutione, si in eodem statu post Euangelium omnia permanent sicut priùs?

Et quàmuis infidelium Principum immanitas Ecclesiasticorum immunitatem vexaret, nec aperta prætoria concederet,

aut satellites; nihilominus ab ipsis Ecclesiæ initijs nouimus Episcopis tribunalia fuisse ad ius dicendum, sicuti scribitur, 1. ad Timoth. 5. *Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, vel tribus testibus.* Quocircà potuit idem Apostolus Ecclesiasticas potestates comprehendidisse, cum scripsit, omnem animam sublimioribus potestatibus esse subdendam.

63 Adhuc tamen, vt clareat testimonium D. Pauli ad nullas nos redigere angustias, altera æquè firma responsio suppetit: potuisse nimirùm Ecclesiasticorum immunitatem de Diuino fuisse mandato; nihilosecius in circunstantia discriminosi temporis nascentis Ecclesiæ priuilegium suspendisse; cum limitabile ipsum sit per Ecclesiam quoad vsum, vt ostésum est supra: vel etiam tali legi ex toto per virtutem epicheiæ dispensasse, caussa dispensationis durante, quæ rationabilissima erat, ne infideles Principes odisse inciperent Euangelium, tanquam rescindens fœdera regni, contra naturalem legem inauditũ, spolians iurisdictione Dominos, non tantùm quoad suscipientes clericatum, quàm etiam fidem. Immò ne prauo animo quis iampridem seditionem moliens, vel perduellionem, occasionem Ordinis suscipiendi assumeret, ac tegumentum: sed, ablegatis huiusmodi suspicionibus, & incommodis, recens nata lex Christiana, faciliùs adolesceret. Hæc docent Leo Papa, & Augustinus in ps. 118. ad illud: *Principes persequuti sunt me gratis.* Nec finit ambigere idem Apostolus, 1. Cor. 9. *Omnia,* scribens, *sustinemus, ne quod offendiculũ demus Euangelio* CHRISTI. Eratq; hæc necessitas non ponendi offendiculum Euangelio tanta, vt pro conscientia obligaret; ac proinde addebatur post prædicatam omni animæ potestatibus laicis subiectionem: *Necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Vtcunq; esset in mandatis Ecclesiasticorum immunitas, præstabat veruntamen ad tempus hanc negligere, cum præsertim in beneficium Ecclesiæ cõstituta sit, quàm ita inuisam seculi Potestatibus Christianam reddere legem, vt vix propagari posset. erat antè benè erigenda priùs Ecclesia,

quàm immunitate firmanda; in omnibus nanq; esse simpliciter benè esse præcedit. Iam verò postquam potestatibus seculi omnes obsequi oportebat, ob excellentius Ecclesiæ bonum, quàm sit immunitas, quid prædicaret Apostolus? quòd subditi essent; aliòquin ipsi pœnas luissent? hoc non erat Apostoli prædicare, satis ipsi Principes per se gladij ostentatione futuri erant timendi, & tremendi; dixerat .n. de potestate: *Vindex in iram ei, qui malum agit.* Propterea subdidit, non tamen seruili hoc metu obediendum illi, sed potiùs ob Dei Amorem, & propter conscientiam.

64 Iuxta quē sensum hiperbolicè loquutus est Chrysostomus, dum neq; Monachos, neq; Apostolos, aut Prophetas eximeret ab harum potestatum dominatione: siquidem, cum suis populis, atq; temporibus apprimè nota esset Ecclesiasticorum exemptio; ita vt à nemine facile perpeti posset iniuriam; non cauit multùm, quò laicos ad eam subiectionem induceret, per excessum sacram etiam gentem similiter paratam facere, prædicare. Cæterùm pro Ecclesiastica immunitate multis petitus ærumnis, idem nunquam non dimicauit; carceres in vniuerso patriarchatu reis coercendis adhibuit: Immò laicis etiam præcipiēs, homil. 70. ad pop. Antioch. legem tulit, ne præficæ ampliùs accirentur, vt moris fuerat funera lamētari, festiuè comminatus: *Ne cogam eas vera, & propria mala deflere: si verò, quod absit, contempti fuerimus, minas ad rem deducere cogemur*; hicce coactiuam potestatem non habebat in clericos, vt eos ad laica subsellia remitteret iudicandos? optimè Apostolicè menti adhærebat Chrysostomus, quæ paululum immunitatis negligeret, vt maius inde referret compendium amabilitatis, & conuersionis Principum ad Ecclesiam.

65 Eadem calliditate non enunciatiuè, sed per interrogationem dixit Ambrosius: *Tributum Cæsaris est? petit Imperator tributum?* vt ostendamus nos ea auaritia non laborare, quæ mordicus velit rem distrahere, & tenere; ecce parati sumus quidquid petitur soluere: *Scilicet, non negatur, agri Ecclesia*

soluunt tributum. Sciebat.n.curæ fuisse Domino Saluatori Ecclesiæ libertatem, sed multò magìs eiusdem progressum; & scandalo ampliùs studuisse tollendo, cum dixerit: *Ergo liberi sunt filij; vt autem non scandalizemus eos, &c.* libenter pendit tributum. Quod nihilominus parùm iuuit ad remotionem scandali; adeo nanq; facilis suscitatu erat hic rumor, quòd Messias nouus Rex reduceret populum in libertatem, & redimeret à tributis (hùc.n. etiam nunc Iudæi Messiam attendunt, vt de mundana captiuitate liberentur) vt quàmuis studuerit Dominus omnem huius scandali occasionem declinare; nihilominus tempore passionis, non aliam imposuerint calumniam, quàm: *Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari*, Luc. 23. Nimirum prætextus hic de iure status, & læsa Principum maiestate, vnicus erat ad euertendam religionem subnascentem, seditionis crimine infamatam: quarè merito quidem iure nil diligentiùs curabant Apostoli, verbum Dei disseminantes, ne Iudæorum glisceret opinio, & tolleretur rumor, aduenisse CHRISTVM, & attulisse omnibus libertatem; statimq; tumultu suscitato in gentibus, non modò ciues insurgerent aduersùm Principes; sed serui relinquerent Dominos audito Euangelio, currentes, dum existimassent se vocari ad pileum.

66 Appellauit D. Paulus ad Cæsarem; sed difficultatem non facit, si Athanasium audiamus, Apolog. ad Constantium, & Augustinum Ep. 48. 50. & 204. contra Donatistas; inquiunt .n. Apostolum appellasse de facto, non de iure, si modò ea vera appellatio fuerit, Imperatorem deposcés Iudicem, quæ non erat reputanda illicita, ad illicitam vexationem redimendam; tum maximè, quòd iam in laica manu esset inferiorum potestatum, qui ad superiorem appellabat, vt vlcisceretur iniuriam sibi à laicis irrogatam, qui ad laicam pertinebant Cæsaris ditionem. Sed fortè vera non fuit inibi appellatio, sed quædam dumtaxat ad pium Principem opis imploratio, perquàm licita, vel sanè vna ex consuetis D. Pauli astutijs ad iudicium de-

clinandum, vel interrumpendum, quod aliàs legitur præstitisse; & de se ipso alibi dicit: *Ego sub nullius redigar potestate.*

67 Eiusdem verba ad Corint. 6. non sic interpretor, vt per *contemptibiles* intellexerim laicos, sed idiotas; ex contextu .n. apparet, quòd illi non opponantur Ecclesiasticis, sed inter ipsos Ecclesiasticos opponantur sapientioribus, dum dicitur: *Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum, & fratrem?* Attamen circà antecedentia verba etiam bono mihi animo sum, vt stem interpretationi D. Gregorij, & per contemptibiles intelligam laicos præficiendos in secularibus negocijs: præmiserat nanq; Apostolus: *Ad verecundiam vestram dico*, scilicet vt eam particularem Ecclesiā Corinthiam confunderet, quæ tanta premeretur sapientum penuria, vt non posset sicuti aliæ præstabant Ecclesiæ iudicia. quæ ad Clericos spectarent, perficere, nisi laicis sapientibus accersitis. non erant increpandi, neq; confundendi ex laicorum introductione, si propria ea fuissent munia laicæ potestatis. Demum habeas quid velis. Monet Apostolus laicos constitui ab Ecclesiasticis super iudicia secularia, quid est ampliùs hoc, quàm licere Ecclesiasticis propriam auctoritatem laicis delegare, vt de Clericis in secularibus negocijs iudicent? hoc nullus negat.

68 Ad succenturiatas illas plures eiusdem consequentię auctoritates, & rationes, quòd Antistitem spiritualium cura nulla deceat terrenorum, vnico satisfit enunciato; quia scilicet potestas Episcoporum ipsa omnis spiritualis est, cum non terrenam habeat originem, & ad personas terminetur de seculo abstractas; quàmuis de his tam in spiritualibus, quàm temporalibus solicitudinem gerat. ac proinde qui dicit militem Dei non se implicare negocijs secularibus, hoc indicat, ne secularem gerat potestatem, pro vt ab Ecclesiastica contradistinguitur, & in omnes seculi personas fertur, non verò in religiosas tantùm; ita Clemens admonitus est laicis laicos Iudices designare, ne præfocaretur hominum curis; vel etiam vt suam authoritatem delegaret ijsdem ad tempus, quamdiù prædicatio-

nis ministerium postulasset, ab ijs vacare negocijs, & iudicijs; quæ minùs illi dicuntur cógruere, facta comparatione ad prædicationem, quæ sanè congruit magìs; non tamen constituere laicos, qui se ipsum, & Ecclesiasticos iudicarent; sed qui leuarent eum onere iudicandi laicos in negocijs secularibus, quod ipsum etiam ad illum videbatur aliàs spectare. Ita sarcina nulla erit prægrauis, & officia singula singulis commissa erũt personis, si nec Imperator iura Pontificatus arripiat, idest Ecclesiasticum populum huic subiectum immediatè, non iudicet; neq; Pontifex nomen Imperatoris vsurpet, nempe ipsi in seculares homines relinquat imperium. Dicitur quoq; regalis potestas benè præsidere carnalibus, & pontificalis spiritualibus, quia hominibus, vt dixi, pręest spiritualibus, & Deo dicatis. Ea verò illatio deficit, quòd Principes laici ita debeant ciuibus omnibus, etiam Ecclesiasticis temporaliter dominari, veluti Episcoporum authoritas spiritualis etiam ad laicos ciues extenditur. Falsum hoc est; quia nobilior est spiritualium potestas, quàm sit corporalium, quantùm anima præcellit corpori; idcircò qui potest in maius, & nobilius, non est impos in minus, & ignobilius; secus, inuersa vice, qui in temporalibus præest, non attinget personas spirituali Ecclesiasticæ deditas politiæ.

69 Pijssimis Imperatoribus debitũ non diffitetur Ecclesia, quorum studio vsus suæ immunitatis, antea hærens, & periculo septus, palàm cæpit induci, & promoueri; Cæterùm præceptum de ipsa immunitate, sequenti cap. ostendemus, etiam ex ipsorum Cęsarum testimonio esse iuris Diuini; ac proinde cum salis grano accipienda quæcunq; de illa, siuè pro, siuè contra per Cæsares constituta legantur: multa de facto potiùs prodierunt, quàm de iure ab Imperatoribus, nec ideò valdè culpandis; vel quòd bona fide, siue rei probabilitate, siue peritorum placitis, maiorum vestigijs institerint: vel quòd zelo nimio desidiæ alicubi Ecclesiasticorum optarint consulere; vel etiam ignorantia sint excusandi.

Pontifices Maximos posse vsum priuilegij huius extendere, vel angustare firmauimus superiùs, & aliquid sub finē sequentis cap. superaddemus quærentes, an ex toto ijdem valeant priuilegio renunciare. Non aliter deinde intelligendi sunt Romani Pastores caussas suas subiecisse Cæsaribus; quàm, cum in Concilijs se sisterent, de se responsuri; quod ex superabundantia quadam innocentiæ, atq; fiduciæ processisse docuimus, de argumento subijcibilitatis Papæ ad Cōcilium differentes. Iam verò Diuinum præceptum de hac Ecclesiasticorum immunitate sit perscrutari.

CAPVT XIII.

Ecclesiasticam Immunitatem esse à iure Diuino ostenditur, & vndenam habeatur de ipsa scriptum præceptum.

ELENCHVS.

1 *Ecclesiam esse iure Diuino immunem tenendum est, & quia communior hæc est opinio, & quia fauorabilior piæ caussæ.*

2 *Maximo argumēto est, q humani ipsi legislatores huius Immunitatis in diuinū iussū refūdāt origines.*

3 *Summorum Pōtificum Canones, de Immunitate Ecclesiastica, tanquam Diuinitùs mandata, loquentes.*

4 *Concilia ad idipsum referuntur plura.*

5 *Duo obstruuntur effugia; alterum intelligentium de sola Immunitate in caussis spiritualibus; alterum accipientium ius Canonicum, pro iure Diuino.*

6 *Responsa Cæsarum in ciuilibus suis legibus, asserentium à Deo esse Ecclesiasticam Immunitatem.*

7 *Quid de Imperatoribus circa eandem disponentibus.*

8 *Ex Constantini Magni facto eiusdem sensus ostenditur de Clericorum exemptione, Diuinitùs constituta.*

9 *Quomodo indagandum praeceptum Diuinum de hac Immunitate.*

10 *Plura sunt in scripturis, quae minùs efficaciter faciunt ad institutum probandum; & primò affertur illud de Pharaonis obseruantia erga Sacerdotes Aegyptios.*

11 *Aliud simile Artaxersis, vacationem dantis Hebraeis Templi Ministris.*

12 *Ex neutro efficaciter arguitur pro Diuino scripto praecepto de Immunitate Clericorū; sed pro naturali Diuino iure tantummodo.*

13 *Constantinus suasit Clericorum Immunitatem ab illo psal. 81.* Deus stetit in Synagoga Deorum, &c.

14 *Non magìs huc facit scriptura hac, quàm plures aliae, mysticè accommodabiles.*

15 *Multiplices interpretationes, vt patiatur ille psalmi versiculus.*

16 *Omnium receptissima, & ad literam minus extorta est, Deum inter quoslibet Iudices iudicare.*

17 *A potestate Hebraeorum Pontificum in Sacerdotes, & Leuitas aliqui argumentantur pro nobis.*

18 *Incerta pariter conclusio ex huiusmodi dubia ratiocinatione infertur.*

19 *Ostenditur infirmitas loci, huc adducti, ex 2. Paralip. 19.*

20 *Ex Leuitici vltimo aliorum argumentum affertur, & diligenter examinatum, firmissimum reperitur.*

21 *Sanctificare aliquid, quoad vim vocis, idem est, ac eximere.*

22 *Iuxta quod praecipiens Deus, Leuitas fore sibi sanctificatos, idem est, ac iubere eximi.*

23 *Eorum, quae in cit. Leuit. vlt. habentur, attendenda distinctio.*

24 *Ex hoc loco habetur praeceptum Dei de Immunitate Ecclesiastica reflexum, sin minus adesset directum, quod adest apertè.*

25 *Non esse praeceptum hoc legis veteris abrogatum, ostenditur ex ratione, & ex paritate de praecepto decimarum, ibidem simul adiuncto, quod perseuerat.*

26 *Eodem verbo sanctificādi solutio decimarum præcipitur, & exemptio Leuitarum.*

27 *Pariter læditur Deus à violatoribus singulorum ex istis: ergo pariter vult ea seruari.*

28 *Aliud argumentum expenditur ex psal.* 104. Nolite tangere CHRISTOS meos.

29 *A fortiori ad Sacerdotes nostros illud traducitur.*

30 *Allatus scripturæ huius intellectus, ex facto eiusdem Dauid alio comprobatur, & dicto.*

31 *Quomodo videatur hinc solùm dari Clericis priuilegium Canonis, non autem fori.*

32 *Ostenditur tamen ex proprietate sermonis, laicos inde à Clericis, quoad omnia arceri.*

33 *Ex similitudine pupillæ per Zachar. 2. leuissimus quisque contactus iniuriosus prohibetur in Clericos, talis est laicorum de ipsis censio.*

34 *Si eximantur hinc Clerici à coactiua laica potestate, à directiua etiam eximi est necesse.*

35 *Aliud argumētum expenditur ex Corinth. 4. vbi Apostolus se humani iudicij facit exortem, idq; etiam de forensi conuincitur iudicio, non autem de priuato tantùm.*

36 *Diem dicere, quid in latina phrasi.*

37 *Aliud argumentum inducitur ex lib. num. de Leuitis per Dominum subiectis Pontifici.*

38 *A Deo, & à populo Leuitarum facta subiectio ad Aaronem; vnde solius humani iuris non fuit.*

39 *Populus Israel non dedit dono Leuitas Deo, sed pro debito commutato.*

40 *Dei benignitas, qui inter dona accepta reponit, quæ ex debito à nobis exigere potest.*

41 *Hæc donatio Leuitarum facta Aaroni, non nisi eorum exemptionem à laico foro importare valet.*

42 *Re ipsa Leuitæ in scriptura leguntur ciuilium onerum immunes.*

42 *Iure, quæ alioqui apertè est de iure Diuino naturali, sufficit longè*

minor perspicuitas, pro mandato Dei positiuo inducendo.

43 *Estò hæc de lege Moysis durent; in nouo nihilominus testamento clarius additum est de Ecclesiastica Immunitate præceptū Dei.*

44 *Refertur ex Matt.17. ibi:* Ergo liberi sunt filij; *& examinatur per omnia.*

45 *Qui dicant tributum hoc esse illud debitum templo in recensione populi, Exod.3.*

46 *Ostenditur multis de hoc tributo non esse sermonem, Matt.17.*

47 *Placet alijs hoc fuisse tributum primogenitorum Deo debitum. sed refellitur.*

48 *De Laico tributo hìc est mentio, quod solis familiarum capitibus statutum esset iuxta aliquos, & quibus indicijs.*

49 *Iuxta hanc sententiam Petrus Domino coæquatus, tum in solutione gratuita, tum in filiatione regia, ostendit cæterorum Apostolorum Immunitatem, qui nihil soluerunt, etsi inter eos alij non deessent Patres familias.*

50 *Respondetur obiectioni, quomodo* CHRISTVS *solicitus fuerit de auertendo scandalo sui, & Petri; non verò de reliquis; & cur acquieuerint pro his exactores.*

51 *Sapienter Dominus hìc immunitatem sacrorum cum obedientia Principum conciliat facto, sicut conciliauit dicto, cùm aliàs de soluendo tributo Cæsari tentaretur.*

52 *Si solus* CHRISTVS *dictus fuisset filius Regis, adhuc Apostoli essent immunes; sin minus vt filij Regij omnes, saltem quia illius familiares.*

53 *Verus tamen sensus est, Apostolos omnes esse adiudicatos filios Regis immunes.*

54 *An contentio de maioritate inter discipulos fuerit subsequuta, eo quòd solus Petrus visus sit filio Regis Domino coæquatus.*

55 *Meritò hæc est suborta contentio ex solicitudine tollendi scandali de Petro, præ alijs; tanquam grauius eius scandalum esset; ac proinde prælatus cæteris videretur.*

56 *Petrus nusquam specialiùs Dei filius dicitur, quàm Apostoli reliqui.*

57 *Opponitur quòd filiatio Dei adoptiua non faciat Immunitatem.*
58 *Satisfit ex discrimine inter Clericos, & laicos fideles, quomodo hi sint filij emancipati, & solutioni apti; illi verò sub patria potestate Patri domestici, & commensales.*
59 *Aliorum placitum, de hoc tributo, quòd solueretur viritim, multis probatur; iuxta quod Apostolorum nihil soluentium magis declaratur Immunitas.*
60 *Neq; exactores pro solo Domino poposcerunt, neq; si poposcissent, sufficienter haberetur, sola familiarum capita fuisse obnoxia, cum tales essent plures Apostoli.*
61 *Latinis filij nuncupantur liberi; afferuntur plura de hoc iura.*
62 *Apostolis, præsertim Petro, alibi Immunitas hæc implicitè collata à Domino: & potestas forensis in Clericos propterea à laicis eximendos.*
63 *Quomodo Apostolorum Immunitatem Clerici consequantur.*
64 *Nihil facit quòd Apostoli fuerint carnaliter Domini familiares; Clerici autem nunc sint solummodò spiritaliter.*
65 *Nomen Libertatis acceptum pro Immunitate sanè non est nouum.*
66 *Clerici non sunt liberi ab omni Iudice; immò sub aliqua ratione tenentur legibus laici fori iustis.*
67 *Clericus priuilegio Immunitatis validè non renunciat.*
68 *Neq; per delegationem, prorogationem, compromissum, aut Episcopi consensum subijcere se potest Clericus laico Iudici.*
69 *Nulla aduersa consuetudo contra hanc Immunitatem præscribit.*
70 *Neq; Summus Pontifex potest Immunitatis priuilegium vniuersaliter de Ecclesia antiquare.*

1 DEberi Ecclesiastico populo libertatem, ita euidenter arbitramur ostensum; immò suapte singulis innotescit, vt ipsi exisse de potestate probentur, qui illum sub laicā conentur redigere potestatem. Ita insuper argumenta fuimus eluctati, contendentium priuilegium hoc humano dumtaxat aduenisse iure; vt nostra iam videatur arena: & sanè tollitur in Doctoribus rumor, vniuersa Theatra fauent; quæ maxima pars victo-

riæ. Si enim, vt sapientum iudicium est, opinio præualet Ecclesiæ, piæq; caussæ fauorabilior, estò aliàs assectarum numero alteri non æquiponderet minùs fauenti opinioni, quæ Ecclesiam duriùs, ac illiberaliùs habeat, quis huc amplexibus totis non ruat in sententiam communem, de Immunitatis Ecclesiasticæ ordinatione Diuina, quò vulgus omne Doctorum cum magistris primoribus confluit? An authoritatis tantæ sit primarius dogmatis contrarij Auctor, quisquis ille fuerit primus, à communi sensu fatiscens, vt illi adhærere, contra communem, habeatur tutum, aut laudabile, non discutimus, cum præsertim grauibus alijs viris in has partes ire non paucis visum fuerit. Quid pro se afferant, visum, quid valeat, examinatum quod erat opus. Nostræ nunc periculum subeant rationes; esto Iudex pij, sapientisq; lectoris ingenium.

2 Et quidem: vt veneranda multorum sapientum præmuniamur authoritate: illud pro re nostra maximi faciendum, quòd ipsi humani iuris conditores, siue Canonici, siue Ciuilis in Diuinam ordinationem referant præceptum de Ecclesiastica libertate. Ecce ipsi renuunt, quorum interesse deberet; & tu vltrò inuitis haberi gratias voles de huiusmodi priuilegio? quis est ille, qui benignas concessiones indulgeat, nolitq; sua munera recognosci, sed attribuat alteri, semet fraudans gratijs, pro beneficio debitis? Si igitur apparuerit Summos Pontifices, atq; Cæsares, sacros dum conderent Canones, legesq; ciuiles, nil tale vnquam sibi arrogasse, quo à se profectam Ecclesiasticam gloriarëtur Immunitatem; ingenuè immò fateantur, se venerari quod Diuinitùs habet præceptum; ideoq; non temerandum mandare, satìs explodetur eorum nimia liberalitas, qui in nolentes rem alienam proijciunt; dum Ecclesiam sanctam terrenis Dominis primitùs seruam faciunt, & vectigalem, à quibus deinde acceperit, tanquam à munificis magìs, & sui studiosioribus amatoribus donum Immunitatis, quod illi non contulerit sponsus, & conditor CHRISTVS; hinc, vel magìs auarus, vel minus amans.

 Sum-

3 Summorum Pontificum do sententias primùm, atq; Conciliorum: Gelasius Papa in can. Syluester. 11. q. 1. de Clericis agens, ad laicam arenam deductis: *Contra leges Diuinas*, inquit, *& publicas pulsatis, forum suum putauit auferri*. Ioannes Papa in can. Si Imperator. clariùs ait: *Non à legibus publicis, non à potentatibus seculi; sed à Pontificibus, & Sacerdotibus Omnipotens Deus Christiana Religionis Clericos, & Sacerdotes voluit ordinari, & discuti, & recipi, de errore remeantes*. Non dissimiliter loquitur Alexander in can. relatum. eadem. Bonifacius deinde VIII. in c. quanquam de censibus in 6. de libertate, quoad solutionem tributi, apertissimè inquit: *Cum igitur Ecclesia, Ecclesiasticaq; persona, ac res ipsarum, non solùm iure humano; quinimmò & Diuino à secularium personarum exactionibus sint immunes, &c.* Ex quibus manifestè doceris ius humanum superadditum fuisse Diuino præexistenti, quotiescunq; pluribus Canonicis Constitutionibus Pontifices Maximos audias de Immunitate Ecclesiastica sancientes: neq; .n. qui statuimus hanc esse de iure Diuino, ideo Canonicas leges reijcimus, aut Cæsareas, quin licitè admodum, & laudabiliter potuerint addidisse nouas obligationes, & pœnas, ad inuiolabiliùs firmandum, quod ex Diuino iniuncto receptum in primis, alto cordi seruandum insedit.

4 Ad Conciliorum procedo dictata. Lateranense sub Innoc. & habetur in c. nimis. De Iure iurando: *Nimis*, ait, *de iure Diuino quidam laici vsurpare nituntur, cum viros Ecclesiasticos, nihil temporale obtinentes, ab eis, ad præstandum sibi iuramenta fidelitatis compellunt*. Idipsum autem est de iure Diuino Ecclesiasticos esse liberos à fidelitate præstanda laicis Dominis, ac ab eorundem eximi dominatu. Coloniense pariter Concilium parte 9. c. 20. pronunciat: *Immunitatem hanc esse vetustissimam, iure pariter Diuino, & humano introductam*. Inde nempe in genere, hinc in specie, & quoad vsum determinatam. Additur Lateranense sub Leone X. sess. 9. in Bulla reformationis Curiæ. vbi dicitur: *Cum à Iure, tam Diuino, quàm humano laicis*

cis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attributa ſit. Tandem nouiſſimè Tridentinum. ſeſſ. 25. c. 20. de reformatione Principes ſeculares alloquitur: *Nec permiſſuros, vt officiales, aut inferiores magiſtratus, Eccleſiæ, & Eccleſiaſticarum perſonarum Immunitatem, Dei ordinatione, & canonicis ſanctionibus conſtitutam, aliquo cupiditatis ſtudio, ſeu inconſideratione aliqua violent*.

5 Inania ab aliter ſentientibus parari ſolent effugia, pro vi vtrinq; declinanda, allatorum Canonum, & Conciliorum: Nam Decreta inquiunt Pontificia, ſi quæ apertè videntur ſtatuere Immunitatem Clericorũ eſſe de iure Diuino: id aſtruunt dumtaxat de cauſſis merè Eccleſiaſticis; ſeu circà res ſpirituales, & ſacras, in quibus non eſt dubium Clericos ab omni ſecularis Iudicis poteſtate eſſe exemptos. Et eodem intellectu accipienda Conciliorum oracula, pronunciantia exemptionem Eccleſiaſticam, tum à Diuino, tum ab humano prodijſſe iure: nimirum quia Diuinitùs, quoad ſpirituales cauſſas, humanitùs etiam, quoad ſeculares, atq; ciuiles, ſit deinde protenſa. Vel potiùs, ſi quis malit eadem Concilia intelligere de ipſa ſola Immunitate in ciuilibus, & non ſacris, intelligat ibi ius Diuinum, ſcilicet Eccleſiaſticum, & Canonicum, humani autem iuris nomine prophanas laicas leges Cæſarum, quæ pariter eidem Clericali Immunitati liberaliter ſuffragantur.

Quòd harum interpretationum, inquam, neutra ſubſiſtat, vel ex eo primùm patet, quòd exertè loquuti ſint in ſuis Conſtitutionibus Summi Pontifices de exemptione à laica poteſtate, de qua poſſet fieri dubium; nemini autem ad dubitationem reuocandum erat, non licere laicæ poteſtati ſeſe cauſſis Eccleſiaſticorum Eccleſiaſticis ingerere, illud ſolummodò videbatur explicatione maiori per Pontificia decreta notificandum, etiam quoad ciuilia negotia prohiberi ex Diuino mandato laicam falcem in Eccleſiaſticam meſſem excurrere: ita produnt, ſi adeantur Canonum allatorũ contextus; illud præſertim conſideres Bonifacij, cum dicit: *Eccleſiæ, Eccleſiaſticaq;*

persona, ac res ipsarum, non solùm iure humano, quin immò & Diuino, à secularium personarum exactionibus sint immunes; res comprehendit absolutè quascunq; Ecclesiasticas; de secularium exactionibus subinde loquitur, quæ sanè ad Ciuilia, non autem ad spiritualia negotia pertinent. Concilia pariter parùm ad rem viderentur loquuta, si ius Diuinum de Immunitate Ecclesiæ in caussis spiritualibus protulissent; cum nec vllus contradiceret, neq; sermo huc aduocaret. Quid adhùc litigare placet super verbis Conciliorum, cum ex allatis Lateranense negatiuè loquatur: *Laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit?* Si nulla; ergo, neq; in spiritualibus, neq; in temporalibus caussis.

Summoperè deinde contortus est intellectus, pro Diuino iure Canonicum intelligere; & hoc inter Canonistas, apud quos, cum nihil fermè sit hac distinctione frequentius iurium in Diuinum, & humanum, cuius species est Canonicum; si semel admittantur istæ ambages, ianua patet cuiq; Diuino iuri illudendi, & omnia semper ad ius Canonicum reducendi. præcauit quasi Tridentinum extorsiones huiusmodi, & abrasit, dum vtrunq; distinctè recensuit, duplex mandatum diuersum insinuans de Immunitate, quam dixit: *Dei ordinatione*, insuper, *& canonicis sanctionibus*, constitutam. & Lateranensi quid profuisset, pro adimenda quacunq; potestate Laicis in Clericos, dixisse: *A iure, tam Diuino, quam humano?* nullam ijs attribui potestatem, si non accipiendo Diuinum, & humanum; pro vt vniuersaliter diuiduntur, & ius omne adæquatè dispertiunt; sed pro Diuino Canonicum assumendo, superfuisset laicis aliquam potestatem sibi arrogare in Clericos, ab ipso iure Diuino propriè dicto, quod Canonico, atq; Ciuili superstat?

6 Audiamus iam quid ipsi Cęsares fateantur de Clericali Immunitate. Textus est in Auth. Cassa. C. de Episcopis, & Cler. vbi, postquam legislator dixisset, caussas Clericorum ad Ecclesiastica subsellia esse agitanda, prosequitur: *Iudex .n. qui de his caussis sententiam preferre præsumpserit, ab administra-*

tione depulsus, tanquam Diuinitati contumeliam faciens, &c. Porrò contumelia nulla fieret Diuinitati, si Deus de Ecclesiastica non curans Immunitate, nihil super illa constituisset; sed sibi Imperator reponere haberet iniuriam, cuius lex esset contempta, qua ipse immunitatem pro Ecclesiasticis indixisset. Item in l. sancimus. C. de Sacrosanctis Ecclesijs. Vbi personæ sacræ, vt par est, sacræ supellectili præferuntur, ibidem statuitur, sacra vasa alienanda non esse; non ob aliam rationem, nisi quia: *Etiam veteres leges ea, quæ Diuini iuris sunt humanis nexibus non illigari sanxerunt.* Multò igitur minùs intelligebat Legislator licere, homines sacros per laicum censorem vilitandos, à proprio ad alienum forum distrahere. Opportunè dixit per leges veterum esse sancitum, quòd humanis nexibus non illigarentur, quæ iuris agnita essent Diuini; siquidem cauent quidem leges humanæ de huiusmodi rebus, consulendo, & obseruantiam præcipiendo eorum, quæ aliàs Diuinitùs esse mandata supponunt. Eòdem facit satìs efficaciter, quòd l. Decernimus. C. eodem. Iulianus Apostata dicatur temerè, & nimis sacrilegè leges condidisse in faciem ipsius Dei, quibus Ecclesiasticam libertatem conuelleret: idemq; à Theodosio, & Valentiniano ideo appellatur Tyrannus, quòd priuilegia abstulisset Ecclesiarum: & rectè subdunt l. 47. C. de Episcopis, & Cler. *Clericos, quos indiscretim ad seculares Iudices debere deduci infaustus præsumptor edixerat, Episcopali audientiæ reseruamus; fas .n. non est, vt Diuini muneris Ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.* Quæ eadem verba repetit Carolus Magnus in suo capitulari. lib. 6. c. 109. Non esset autem cur Imperatores Prædecessorem suum nuncuparet Tyrannum, & præsumptorem, ex eo nimirum quòd Ecclesiasticam libertatem dextruxisset, si hæc plusquàm Cæsareis non esset constituta præceptis; quibus ipse non teneretur subesse: nec minùs sibi licuisset contra libertatem Clericorum edicere, pro qua alij Cæsarum statuissent; cum par paris supra se non recognoscat Imperium. Immò cur ipsi posteri Valentinianus, & Theodo-

dosius non starent à suo Prædecessore Iuliano constitutis iampridem in fauorem laici fori aduersus Ecclesiã, si præsumptor, & temerator quis Cæsarum inde sit habendus, quod Cæsarea euertat statuta? Qui ergo Imperatorem damnant, priuilegia rescindentem de Ecclesiastica exemptione, eo ipso indicant, ipsum contra Cæsareas non facere leges, contra quas faciunt apertè ipsi, sacrilegam rescissionem restituentes in integrum; sed Diuina temerasse iura, quibus restituendis licitum sit, immo debitum, quòd Cæsares religiosiores sacrilega statuta conuellant prædecessoris. Planè nil opus prolixiori commentatione, si verba ipsa legis allatæ in propria energia, atq; significatione attendantur; ait nanq; *Fas non est, vt Diuini, &c.* quod verbum, fas, nihil aliud ex propria significatione demonstrat, quàm Diuinam legem, seu quæ ad Deum pertinent, & ex quadam naturali æquitate quæcunq; descendunt. Ita Isidorus tradidit lib. 5. Ethimol. c. 2. & Cicero orat. pro Milone: *Clodium,* inquit, *nihil delectat, quod, aut per naturam fas sit, aut per leges liceat.* Nimirum naturale Ius, quod humanum præcedit, & secundarium Diuinum dicitur, fas appellat, contradistinguens ab humanis legibus. Nec aliter Maro 1. Geor. *Fas, & iura sinunt,* inquit, idest Diuina pariter, & humana iura permittunt.

7 Hinc habes quomodo ad allata cap. præcedenti respondeas, dum contenderetur Ecclesiasticam Immunitatem ex pluribus Cæsarum indultis constitutam, restitutam, firmatam, & infirmatam pro libito; non aliam videri habere originem, quàm ex humano, ipsoq; Cæsareo iure: nihil, inquam dicebatur, nam si iniuriosa rescripta commemores huic libertati Ecclesiasticæ impacta, ipsa sacrilega nuncupantur, vt de Iuliano audisti; ab ipsis Cæsaribus, temerarij Tyranni, & præsumptores talia constituentes dicuntur; quippe fas, seu Ius Diuinum violare aggrediantur: sin autem pia Cæsarum edicta attuleris Ecclesiasticę Immunitati fauentia, eadem fundamenta prima non sunt, sed superadiecta præsidia; Principum non denotant liberalitatem in donando, sed religionem in defendendo, quod sit Ec-

clesiæ aliundè donatum, nempè Diuinitùs. Neq; officit quòd relati Theodosius, & Valentinianus, verbo vsi fuerint ***reseruamus***; tum quia concessiua non sit loquutio, sed enunciatiua; tum etiam quia significatio verbi est ibi, quasi seruamus, seu custodimus, & iterum reseruamus, quod venerandum est de lege Diuina iam antea constitutum: iuxta modum loquendi Matisconensis Concilij 2. cap. 9. dicentis: ***Sacratissimas leges*** (significat autem has huiusmodi ciuiles, quas attulimus Ecclesiasticæ Immunitati fauentes) ***de Episcopali audientia in ipso penè Christianitatis principio sententiam protulisse***; quæ non nisi declaratoria esse potuerit, & vsum promouens eius iuris; quod Ecclesiasticũ forum iampridem habuerat ab Ecclesiæ primordijs, ante Ciuiles legiferos ad fidem conuersos, & de promouenda Ecclesiastica libertate meditantes.

8 Ita cantatissimum Constantini Magni factum declarat, relatum in can. Continua, can. Sacerdotibus. 11. q. 1. & in can. Futuram. 12. q. 1. qui oblatos sibi in Nicæno Conuentu libellos, accusationes, & querimonias Episcoporum aduersus alterutrum continentes, tanquam sibi impertinens iudicium respuit; apertè fassus nefas esse, quòd Ecclesiastici alijs, quàm Ecclesiasticis subijciantur Censoribus, ex Isidori relatione, inquiens, Patribus in Concilio: ***Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit, de nobis quoq; iudicandi; & ideò nos à vobis rectè iudicamur; vos autem non potestis ab hominibus iudicari, &c.*** Vbi vides in Dei constitutionem ab Imperatore referri Ecclesiasticorum exemptionem à laico foro; sicuti insuper laicorum Deus Ecclesiasticos constituit Iudices. Satis ergo, & super negatiuè ostendimus Ecclesiæ libertatem fuisse Diuino iure mandatam; quandoquidem humani iuris Authores, tum Summi Pontifices, tum Augusti Cæsares in Canonicis legibus, atq; Ciuilibus se venerari fatentur, non condere legem de Clericali Immunitate; immò apertè concordant Deum ipsum de illa posuisse præceptum.

9 Venemur agè positiuum istud præceptum Dei, quo de fami-

liarium suorum (tales .n. sunt Sacerdotes, alijq; in sacris ordinibus, aut ministerijs constituti) cauerit libertate. An de lege veteri necesse sit illud expiscari, adeo expressum, firmum, & ratum, vt à Mosaycis Sacerdotibus, ac Leuitis debeat in Ecclesiasticos Euangelicæ legis traductum perseuerare? An potiùs ab eodem veteri testamento habeat Ecclesiasticæ Immunitatis præceptum vestigia quædam, & vmbram; vndè translatitiè, ac per similitudinem magìs, atq; imitationem nostrates Clerici id sibi arrogent modò: quale præceptum decimarum, ex lege veteri desumptum, de iure Diuino nunc dicitur? c. Tua nobis 2. & c. Decimam, De Decimis. Vel tandem hæc Immunitas sit specialiter pro Ecclesia in nouo expresè cauta Testamento; siue explicitè sub euidenti particulari præcepto, siue tacitè virtualiter ex alio explicito deducenda, siue Ecclesiæ vniuersæ immediatè tale mandatum directum fuerit; siue Capiti eius Romano Pontifici dumtaxat, à quo deinde opportunè ad singula Ecclesiæ membra deberet diffundi, & præcipi custodiendum: tot .n. modis Diuinum, quod quærimus, haberi potest præceptum positiuum, præter inueteratas, ac probatas consuetudines, ac traditiones, inter Diuina Iura scripta, & positiua nihilosecius reponendas; si modò ex sacris literis, aut orthodoxorum Patrum perpetuo habeātur Ecclesiæ consensu.

10 Si nihil patiamur excidere eorum, quæ in scripturis sacris quadantenus pro Ecclesiasticorum Immunitate facere videntur; siue directè ad litteram, siue obliquè secundùm tropum, ingens parari poterit sacrorum testimoniorum supellex, quippè frequenter aliquid tale in sacro eloquio occurrit, quo non abuti diceremur, ad rem nostram moraliter conuertentes. Sed non singula mens est recolligere, quæ vt debiliora, ita viderentur conclusionis assertæ veritatem quodammodo infirmare, nedum adstruere, dum consilij, & rationum inopes, leuidensam, & minima lipsana de angulis cogeremur in lucernis scrutari.

Vrbanus PP. in can. Tributum. 23. q. 8. Eccleſiaſticæ Immunitati præſidium fert ex facto Regis Aegypti ſupra relato, dum fame regionẽ premente, vniuerſo populo alimonijs præſtitis ſibi coempto, Sacerdotibus non modò pepercit, cibaria gratuitò illis donans, ſed *Ex eo tempore*, ibidem dicitur, *vſq; in præſentem diem in vniuerſa terra Aegypti Regibus quinta pars ſoluitur, abſq; terra Sacerdotali*, Gen. 47. quod, licèt per Ethnicum Regem ſit præſtitum; quia tamen in ſacris literis, vt quid commendabile recenſetur, magnifaciendum viſum eſt multis; vt in c. non minùs. De Immunitate Eccleſiarum, c. Quanquam, iuncta gloſſa, De cenſibus in 6. A fortiori .n. arguere eſt: citra Diuinitatis mandatum non eſſe, quod omnis gentium coluit inculta barbaries, multò magìs ſeruandum ab his, qui clariori fuerint legis lumine peculiariter illuſtrati; ita .n. de hac agens Immunitate Gregorius in can. Sacerdotibus. 11. q. 1. *Quid ergo mirum*, inquit, *ſi Chriſtianus Imperator veri Dei Sacerdotes honores, dum Pagani Principes honorem impendere eorum Sacerdotibus nouerunt, qui Dijs ligneis, & lapideis ſeruiebant?* Immò feſtiuiùs dixiſſet (ſi ad Aegyptios libuiſſet alludere) pro Dijs vitulos, habebant Ichneumones, ſeu Glyres, Canes Pharaonis, Aſtorgios, Crocodillos, & Lupos, & quæ maior dementia, cæpas, allia, & porros cultu venerabantur ſacro; quaſi Diuinam vim ſuſpicantes, qua huiuſmodi credebant lacrymas poſſe ab oculis excutere; vnde carpendi, & illudendi argumentum nactus Satyrographus, cecinit.

Porrum, & cæpe nefas violare, ac frangere morſu.
O ſanctas Gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina, &c. Iuuenal. ſat. 15.

11 Artaxerſis pariter infidelis Religio Pharaoni coniungi poteſt, qua illud pro Eſdra edixit: *Vobis quoq; notum facimus de vniuerſis Sacerdotibus, & Leuitis, & Cantoribus, & Ianitoribus, Nathinæis, & miniſtris domus Dei huius, vt vectigal, & tributum, & annonas non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos*, 1. Eſd. 7. Quod eò magis Diuinam diſpoſitionem inſinuare

videtur, quò Rex alioquì alterius Religionis, Deum Hebræorum non colens; huius nihilominus Sacerdotibus, ac Ministris amplissimam libertatẽ indulsit; quasi Diuino intrinsecùs edoctus spiritu, Ecclesiasticæ immunitatis simul, ac semel præberet exemplum, & cæleste manifestaret præceptum. quemadmodum de vacatione Sacerdotibus facta per Pharaonem dictum est cit. c. Tributum: *Domino ex tunc pronunciante, Sacerdotes in omni gente liberos esse oportere*. Nil .n. prohibet, quominùs ad maiorem fidelium confusionem, per infideles Principes voluerit aliquando Dominus sua propalari mandata, quale hoc de Immunitate Sacerdotali fuisse, vsus posteà nationum omnium comprobauit.

12 Sed quantò firmius sumitur argumentum ex horum infidelium Regum facto, pro ostendendo Diuino iure naturali de Ecclesiastica Immunitate, tantò infirmius indidem præceptum positiuum deducimus, & scriptum à Deo procedens. Scriptam Diuinam legem iam quærimus de Ecclesiasticorum Immunitate; nam de naturali dictamine constitit cap. præcedenti. Non autem præceptum Diuinum scriptum dixerim, quidquid in sacris legitur paginis, etiam ritè gestum, & commendatũ. Ostendis quidem de sacro textu à laicis Principibus Immunitate donatam Diuino cultui addictam gentem, at nõ adhùc agnosco, an, Deo ad aures reuelante, fecerint, atq; iubente; vel spontali humanitate; vel, vt summùm, insita instigante naturæ pietate, hanc in primis suadentis reuerentiam erga Diuinitatis Ministros; vt propterea Vrbanus PP. adiunxerit: *Domino pronunciante Sacerdotes in omni gente liberos esse oportere*; scilicet ea loquela pronunciarit, qua vniuersaliter exleges omnes etiã Barbaras Gentes alloquitur, quam nemo respuit, neq; est qui legi huic infidelis inueniatur; quæ lex naturalis est à Deo, non immediatè hominibus dictata, sed ab ipso per suadentem naturam titillans præcordia; & ideò cautè dixit: *in omni gente*: Siquidem Dei positiuum mandatum non est, sed naturale dictamen, quòd apud Infidelium Regna Sacrificuli Deastrorum,

lignis, lapidibus, atq; belluis cultum impendentes, priuilegio donentur exemptionis. Adde quòd ante Moysem nemini hominum scripserit Deus leges; sed naturæ solo acti instinctu, morali studuerint æquitati, quicunq; in prioribus seculis laudabiliter fecerint: Ex ijs autem, quæ ore tenus antiquioribus Patriarchis, Noe, Abrahæ, Isaac, & reliquis legitur iussisse Omnipotẽs, nihil tale habetur, vnde scriptum Dei præceptum liceat autumare de sacrorum Immunitate. Nisi ad longæuam traditionem recurras, quæ per vniuersam Synagogam tempore legis veteris ab initio datæ vsq; durauit, vimq; obtinet quasi scripti Diuini pręcepti. Sed iam quærimus Diuinum de Immunitate scriptum mandatum propriè, & exertum, num huiusmodi in sacris detur literis reperire. Pro quo neutiquam Artaxersis facit indultum priuilegium Esdræ, suisq; Hebræis Sacerdotibus, Templiq; Ministris; nam vt dederim piam admodum concessionem, non absq; peculiari solicitantis Dei afflatu præstitam ab infideli Rege veri Dei cultoribus; nondum tamen quæsitum præfers manifestum Dei alloquentis, & præcipientis, de quo non liceat dubitare mandatum, nisi quatenus Diuinum dogma mediante natura hypodidascala ad omnes, vt diximus, vniuersaliter gentes peruenit à Præceptore Deo.

13 Constantinus dum caussas Episcoporum in Nicæna Synodo renueret iudicare, contestatus se nihil tale facturum, quod iuri obuiaret Diuino, illud Psalmographi allegauit: ***Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat,*** Psal.81. Ex quo sufficiens sibi visus est pius Cæsar de Ecclesiasticorum Immunitate Diuinum testimonium habere; quippe suo tribunali reseruaret Deus censendum de Sacerdotum caussis, ipse medius astaret in cœtu Sacerdotum, qui Dij nuncupentur eo loci, sicut, & alibi in sacro eloquio, vt indicatur can. Sacerdotibus. 11.q.1. ibi: ***In Diuinis eloquijs Sacerdotes aliquando Dij, aliquando Angeli vocantur: nam & ad Moysem de eo, qui ad iuramentum deducendus est, dicitur: Applica illum ad Deos, videlicet ad Sacerdotes; & rursus scriptum est: Dijs non detrahes, scilicet***

licet Sacerdotibus. Non autem deceret in medio Concilio Episcoporum, seu Synagoga Deorum Imperatorem laicum Iudicem præsidere. Non displicuit scripturæ huius interpretatio pluribus exemptionis Ecclesiasticæ assertoribus, qui eandem huc attulerunt; sicuti & in sacris alijs Can. ad id reperitur assumpta.

14 Verùm præualeat verum: hæc ex eius generis scripturis vna est, quæ in mystico sensu proposito fauent nostro; non autem literaliter ex directo sensu sermonis; ex quo solùm efficaciter solemus arguere; vt ideo nec Theologia mystica sit argumentatiua, ex probabilibus dumtaxat, & pijs procedens Sanctorum Patrum conceptibus. Quas interpretationes mysticas si luberet prosequi, quis tandem finis posset imponi? nonne opportunè huc deducemus, ad Ecclesiæ Immunitatem non violandam, quod suarum Lamentationum in capite Ieremias gemebundus deplorat: *Princeps Prouinciarum facta est sub tributo?* Sancta nimirum Ecclesia, quæ Domina gentium ab alio Propheta describitur, cui gens omnis seruire habeat, & subdantur omnia regna, deplorabiliter subigatur ab huiusmodi Iulianistis, Ecclesiasticæ osoribus libertatis. Quid item, nonne videtur de hac haberi præceptum, cum in ijsdem threnis dicitur: de Ierusalem mysticè etiam Ecclesia: *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius; quia vidit Gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus praeceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam?* quasi qui Ecclesiam intrant, sacrilegi bonorum eius inuasores, Chaldæorum imitentur exercitum, diuitias templi depopulantem; æquè præceptum à Domino sit, procul hasce iniurias arceri, tum ab Ecclesia sua, tũ à sanctuario Synagogæ.

Hæc quoad locorum, & rerum Immunitatem; sed si personalem quoq; requiras, ab eodem audis: *Si occiditur in sanctuario Domini Sacerdos, & Propheta?* Poteris consimiliter Ecclesiasticam Immunitatem vallare argenteis illis propugnaculis, & ostijs illis cedrino tabulato compactis fortissimis, quibus in Canticis Sponsus dilectam Ecclesiam munit. Sepire item, & obsignare eiusdem sponsi zelo, qui hanc hortum conclu-

sum, iterumq; hortum conclusum vocat, fontemq; signatum, vt ostendat eam laicorum imperuiam ingratijs. Itemq; vinea est Ecclesia, quam Paterfamilias, non modò circumductam sepe, externis prohibuit, sed insuper ædificauit turrim in medio eius ad defensionem; tradidit eam custodibus, Sacerdotibus nimirum, qui non paterentur gentes in Dei hæreditatem venire, vindemiare eam omnes prætereuntes viam.

15 Valeant, abeant hæc, & similia, quæ proposito hìc nostro firmando nō valent. Non magìs propria est interpretatio Dauidico illi carmini: *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat*, Quòd Sacerdotes eximantur indè à seculari arena, & ad Diuinam reseruentur solam, quàm sint aliæ plures eidem scripturæ ab orthodoxis adhibitæ Patribus. Vt quòd ibi sit sermo de Deo homine, qui iudicandus sistatur in Pharisæorum, & Scribarum Concilio, ipse qui omnium constitutus est Iudex; cui explicationi consequentia consonant, quibus adhortatur Propheta Iudices Synagogæ, ne iniuriam insonti inferāt, eripiant pauperem, & egenum liberent de manu peccatoris; antecedentia pariter suffragantur; cum .n. præcessissent immediatè duo psalmi; alter de primo CHRISTI aduentu; alter de passione eiusdem, appositè locus tertius fuit de Iudicio, vt obseruat Hugo Carensis.

Prçter propter quam commentationem placet alijs loqui, eo loci, Prophetam de Diuina assistentia in medio Concilio Iustorum, & Congregatione Sanctorum, qui Dij meritò nuncupentur; iuxta quod alibi dicit Dominus: *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ego sum.* Quamobrem non extortè aliqui dictum hoc ad assistentiam Diuinam traducunt in Concilijs Ecclesiasticis, legitimè in Dei nomine Congregatis; quorum Decretis, atq; Iudicijs quò fides pararetur indubia, dicatur assidere decernentibus Patribus Deus, cum illis ipse decernens.

16 Sed insuper alia omnium literæ consonantissima expositio eiusdem textus est communiori recepta Doctorum calculo,

Deorum nomine inibi intelligi cuncti generis Iudices, quibus datum est super terram Populos iudicare; tam prophani, quàm sacri tribunalis; cum potestas omnis à Deo data, non nisi eodem dirigente, atq; seruante, procedat. Neq; aliàs improbanda est congruentia vocis *Deorum* ad Iudices; cum vocabulum ipsum, quod est in exemplari hebræo, *Elohim* indifferenter ad vtrunq; vertatur; immò ex primaria institutione (vt Hebræam callentes linguam enunciant) Iudicem significat, qualis, cum sit omnium supremus, & proprijssimè Deus, eodem quasi Antonomasticè nomine denotatur. Hinc eruditè sunt, qui ad illud eiusdem vatis: *Dixit insipiens in corde suo non est Deus*, psal. Notent Deum esse, ita euidens haberi, vt, non solùm ore lapsus sit insipiens ad id negandum, sed neque in cor eius potuerit hæc ascendisse dementia, vt persuasum habuerit mundum vacare Deo; sed non esse Iudicem dumtaxat sibi confinxerit, quasi etsi extet Deus, non tamen eius sit curæ aduertere, & censere, quidquid à nobis hìc in imis agatur; sed circà cardines Cœli otietur, atq; perambulet; vt in Iob alij eiusdem notæ dicebant. Quare satis perspicuus sensus allati textus exprimitur Deũ stetisse in Synagoga Iudicum, & in medio Iudicum iudicare. Siue malis intelligere (vt citata iura vsurpare videntur) quòd Deus ipse Sacerdotes iudicet, ex eo quia per alios eiusdem generis sacros viros eos iudicet; quidni etiam laicis hominibus quibuscunq; idipsum accommodetur, quos pariter Deus iudicet per alios consimiles Laicos, quos illis constituit Iudices? Ad extremum: præceptum quod quærimus in sacro eloquio de Clericali Immunitate expressum id non est, quòd obiter hic in psalmi vnius principio debuerit collocari simpliciter enunciatiuè, non autem imperantis modo; insuper obscurè adeò, & æquiuocè, vt nullam ferè minùs patiatur expositionem fœcundissima, & parum determinata litera.

17 Multò minus proferunt, qui testamentum vetus Ecclesiasticæ faciunt assertorem Immunitatis, ex eo, quòd Sacerdotibus summis etiam laicam dederit potestatem, aut vniuersalem

etiam supra laicos homines; quando vnus, & idem praeerat communis Princeps, & Pontifex, quales fuerunt Moyses, & Machabei Duces; aut saltem supra Sacerdotes, atq; Leuitas, quando discreti sunt, sacer Principatus, atq; prophanus; ita .n. legitur, & aliàs citatum est 2. Paralip. 19. *Amarias Sacerdos, & Pontifex vester in his, quae ad Deum pertinent praesidebit* (an ad Deum non pertinent Sacerdotes eius, atq; ministri?) *Zabadias autem, super ea opera erit, quae ad Regis officiũ pertinent, &c.* Nulla autem videtur excogitabilis alia ratio potestatis huius temporalis, factae Sacerdotibus summis, siue in populum vniuersum; siue in sacros ministros, nisi in finem non subijciendi familiares Dei prophanis potestatibus; ne quid esset commune his, qui Deo aeterno Regi, & alijs qui seculo seruiturem profiterentur.

18 Hinc nihil, inquam, arguimus; nam certò non constat fuisse olim Pontificibus Hebraeis laicam potestatem in hunc primariò finem datam exemptionis sacrorum; dumque id asserimus, fortuitò diuinamus, & leuibus coniecturis adducti hùc deuenimus; cum aliò potuerit tendere illa temporalium authoritas sacerdotalis in lege veteri; Nusquam autem argumẽtum eruitur efficax, si apparentes tantummodo coniecturas promamus. Quando vnus idemq; Pontifex sacra, & prophana sceptra gerebat; quis nouit, an Sacerdotes, atq; Leuitae illi subditi essent in temporalibus, prout pontificia, vel magìs prout regia potestate pollebat? Quando autem regia, & pontificalia discreta fuerunt munia, dubium pariter manet, an Sacerdotum caussae ciuiles, comprehenderentur in illa assignatione distributionis facta Amariae Pontifici: *In his quae ad Deum pertinent*. 2. Paralip. 19. Vel potiùs spiritualia sola intelligerentur pertinere ad Deum, esseq; Pontificij muneris.

19 Monemus insuper non admodum fidendum textui huic Paralip. etiamsi Amarias Pontifex apertè intelligendus esset in his, quae ad Deum pertinent vsquequaq; Praefectus; quatenus Sacerdotibus iura daret, tum in spiritualibus, tum in forensi-

bus, atque ciuilibus: insurget .n. nonnemo, & dicet, itá Amariam Pontificem à Rege Iosaphat constitutum fuisse sacrorum Iudicem, quemadmodum Zabadias ab eodē fuit his, quæ Regij essent muneris, præpositus: at nō itá intelligendus est hic caussis fori regij sic præsedisse supremus, quin semper superior maneret ipsius Regis sententia, potens si libuisset, aliter disponere, ac iudicare; ad alleuiationem siquidem oneris regiminis consors fuerat ille minister ascitus; non autem quasi diadema regium ad ipsum esset translatum: Pariformiter igitur Rex idem fidelem nactus ministrum Amariam Pontificem amplissimum, huic ministerium demandarit in cunctis, quæ pertinerent ad Deum, vt quasi delegata potitus authoritate, munus impleret, quod à Rege acceptum, ad Regem cæteroquì pertinere debuisse videtur: Vt quid enim Rex Pontificem in opus constitueret, quod eius iampridem esse ordinarium independenter supponeretur à Rege? Tandem vna Iosaphat particularis constitutio, non indicat plusquam ius humanum, quàmuis inter sacras relatum literas; quale tamen est pro humano, scilicet honesto, non verò pro diuino decreto. Scio Regem ibi re vera authoritatem nullam fecisse Pontifici; quippe non poterat non sinere illum præesse in his, quæ ad Deum pertinerent; cum id muneris illi iampridem ab ipso Deo fuerit in lege statutum, sed pium Regem tantummodò declarasse seruādum, & distinctiùs indixisse, aut renouasse sacram authoritatem, quę fortè iam ludibrio venerat, paruiq; facta regio indigebat reparari præcepto: Sed neq; hoc ita liquidum apparet, quin patiatur adhùc contradicentes, qui arbitrentur Amariam Pontificem à Rege tunc primò id muneris accepisse, vt liberè solus administraret, quæcunq; Diuinū respicerent cultum: quamobrem infirmum datur munimen immunitati Ecclesiasticæ; cum, etsi Iosaphat non fecisset ipse decretum, sed supposuisset diuinitùs factum de Sacerdotum omnigenis caussis, ad Pōtificium agitandis forum, res adhuc redeat ad circulum, & quod quærimus, sit inquirendum, Vbinam sacræ literæ manifestum tra-

dant de Eccleſiaſtica exemptione præceptum.

20 Inueniſſe fabam ſe ſe exiſtimant alij, nec omnino immeritò, ſi rem penitiùs examinaſſent in cap. vltimo Leuitici: vbi inter cætera mandata, quibus enumeratis, ſubſcribitur: *Hæc ſunt præcepta, quæ tradidit Dominus Moyſi ad filios Iſrael in monte Sinai*, vnum habetur huiuſmodi, de immunitate rerum oblatarum Domino, quomodo de prophano quouis eripiantur commercio: *Omne* (inquit) *quod Domino conſecratur, ſiue homo fuerit, ſiue animal, ſiue ager non vendetur, nec redimi poterit, quidquid ſemel fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum Domino erit*. Videtur .n. quòd ſi tam homo, quàm animal, aut ager ſemel dicentur Deo, nec vendi, neq; redimi liceat; eo quia huiuſmodi de diuina poſſeſsione ſint facta: multò minus eædem perſonæ Deo dicatæ poterunt à prophanis Iudicibus referre ſententiam, aut plecti: neque rem Eccleſiaſticorum, quæ Dei eſt, vllatenus liceat nomine tributi à laicis Dominis exigi, de domo diuina, ad quam ſemel adnotata, integra ſemper, & illæſa debet ſeruari: ſiq; redimi nequit, aut vendi, quod ſanè iniurioſum non eſt; cum rationem habeat iuſti contractus reddentis æquiualens; multò indecentiùs abſtrahenda ſit gratis, ſub tributi titulo. Ita ratiocinari videtur can. Nulli liceat. 12. q. 2. & itidem gloſſ. dum inquiunt, ex hoc teſtimonio perſonas Deo ſacras non ad Laicum, ſed ad Sacerdotale ius pertinere.

21 Poſſet inſuper vis fieri in verborum energia, & propria ſignificatione; *Quidquid ſemel fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum Domino erit*. idem enim ſonant, ac liberum, ſeu exemptum erit, & ſolius Diuini iuris: teſtor Martianum Iuriſconſultum ita ſcribentem: *Sanctum eſt, quod ab iniuria hominum defenſum, atq; munitum eſt. Sanctum autem dictum eſt à ſagminibus; Sunt autem ſagmina quædam herba, quas Legati Populi Romani ferre ſolebant, ne quis eos violaret*. Ideo Iuſtinianus Inſtit. de rerum diuiſ. *Sancta quoque* (ait) *res, veluti muri, & portæ Ciuitatis, quodammodo iuris Diuini ſunt; & ideo nullius in bonis ſunt. ideo autem muros ſanctos dicimus, quia pœna capitis*

constituta est in eos, qui aliquid in mores deliquerint. Iuxta quã loquutionis proprietatem certè non modicum firmant clericalem immunitatem allata verba Leuitici: Si .n. res, & personæ Deo semel oblatæ, nequeunt remoueri, quia sanctæ sunt Domino, seu quia liberæ, & exemptæ sunt à laico foro, & solius iuris diuini factæ: ergo Ecclesiastico tantùm subdentur iuri, quod in humanis sacrum dicitur, atque diuinum.

22 Et in hoc sensu accipi in sacro textu vocem sanctificationis pro exemptione à communi ciuili foro, & reseruatione ad ius Diuinum, quod exercent in humanis Sacerdotes, seu Ecclesiastici, ipsemet subsequens contextus est non obscurus interpres: Subditur nanq; de agro voto obnoxio, quòd non poterit redimi, si Iubilæi venerit dies: *Quia sanctificatus erit Domino, & possessio consecrata ad ius pertinet Sacerdotum*; & quod dicitur de possessione, seu dominio agri consecrati Domino, pariter asseuerandum est de hominibus consimiliter Deo sanctificatis, seu per oblationem factis Diuini iuris; ait nanq; præceptum: *Omne quod Domino consecratur, siue homo fuerit, siue animal, siue ager, &c. sanctum sanctorum Domino erit.* idest ab omni prophano commercio segregatum, ad sacra Dei magìs accedens; ita enim dixit Vlpian. de verborum signific. *Sanctum dicitur, quod, neq; sacrum est, neq; prophanum; sed sanctione aliqua firmatum.* Et Donatus Grammaticus: *Sancta* (inquit) *loca dicuntur, quæ aduersùs iniuriam, & vim religione quadam muniuntur, & quæ omni obseruatione inuiolata sunt.* Quocirca præcepisse Deum sancta sibi fore quæcunq; sibi offerrētur, tam res, quàm personas, idipsum fuit, ac sacerdotalem Immunitatem apertè iussisse: & Sacerdotes, cæterasq; personas Deo dicatas sacerdotali Iurisdictioni subiecisse, eo ipso quòd sancti Domino essent; Aaroni nanq; dixit Deus Pontifici: *Omnia, quæ sanctificãtur à filijs Israel tradidi tibi, & filijs tuis pro officio sacerdotali legitima sempiterna.* Num. 18. Si igitur sãctæ Domino sunt personæ, resq; Deo dicatæ, ad summi Sacerdotis Iurisdictionem spectabunt sacram, à laico sanctæ foro, & segregatæ.

23 Ad efficaciam scripturæ huius clariùs percipiendam, considerandum est capitulum vltimum citatum Leuitici, in duas partes distribui; in prima leges traduntur, quò æquiualenti pretio redimenda sint ea, quæ voto fuerint Deo obnoxia, antequam soluatur votum, si non placuerit soluere: sic de homine voto obstricto secundùm diuersas ætates, diuersa etiam assignantur pretia redemptionis: de animalibus deinde eadem lex datur redimendi statuto pretio, quæcunque voto addicta placuerit redimere; aliter de mundis, & sacrificio aptis; aliter de immundis, & ab altari reiectis: tertiò de domibus, atque agris, quomodo redimantur voto obligata. In altera autem parte traditur, quòd ampliùs redemptionis nullus supersit locus, postquàm solutum fuerit votum, & res facto fuerit Deo oblata, & generaliter sermo est: *Omne quod Domino consecratur, siue homo fuerit, siue animal, siue ager non venıet, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino. Et omnis consecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur.* Leuit. 17.

24 Quæ posteriora verba ità mihi côuallant sacerdotalem Immunitatem, vt eam esse de iure Diuino ostendam nullatenus posse iri inficias; siue directè, siue reflexè illud mandatum spectetur: Nam dato adhùc, quòd Immunitas Ecclesiastica inducta esset de iure humano, & libera oblatione, ac munificentia Principum; iam eam de iure Diuino habemus, quia præceptum Dei expressum est, quòd omnis oblatio facta ab hominibus Deo, nequeat reuocari; Vnde Ecclesiastica Immunitas, quæ ortum duxisset tantummodò ab hominibus, præceptum habet à Deo conseruationis, ne violetur. Sed re vera directè, & non sic reflexè personæ Deo dicatæ sanctificantur Domino; hoc est eximuntur à quauis potestate prophana, eo ipso quòd irreuocabiliter se se Deo dediderint.

25 Si igitur ex Dei mandato fruitæ sunt immunitate personæ Deo dicatæ in lege veteri; non minùs frui habent Clerici nouæ legis, quorum est longè præcellentior status, & dignitas;

suntq; pares, immò superiores in his rationes condendi Immunitatem, quàm fuerint pro antiquis Sacerdotibus, atq; Leuitis. Estq; constantissimum cum D. Thoma, & Theologis omnibus, abrogatam non esse legem veterem, nisi quoad cæremonialia, & iudicialia, præcepta autem in suo robore perstitisse. Neq; enim est vis infracta Decalogi; neq; abrasa mandata sunt, quæ super naturali iure Diuino dispolita erant. Si ergo præceptum de soluendis decimis confitemur omnes de iure Diuino in noua lege durare, quia naturali iuri conforme datum est antiquis Sacerdotibus in Moysis lege; cur non pariter ad nos quoq; illis data ad ius naturale conformis perseueret Immunitas? cur hæc perierit, illud remanserit, si ab eodem Deo ijsdem de caussis, nempe, vt rependeretur sacerdotali muneri gratitudo, & dignum obsequium, pari cum fundamento super naturali ęquitate, insuper in eodem loco vnum & alterum mandatum est ipso cit. cap. vltimo Leuitici? Statim enim, ac mandatum est de exemptione personarum, & rerum Deo oblatarum allatis superiùs verbis, vbi ea desinunt, immediatè hæc connectuntur in textu: *Et omnis consecratio, quæ offertur ab homine non redimetur. Omnes decimæ terræ, siue de pomis arborum, siue de frugibus, Domini sunt, & illi sanctificantur.* & omnia demum in eo descripta Capitulo, hac fine clauduntur: *Hæc sunt præcepta, quæ mandauit Dominus Moysi ad filios Israel in monte Sinai.*

26 Obseruet præceptum ipsum de decimis, quod nemini non est certissimum, eadem voce efferri sanctificationis: *Domini sunt, & illi sanctificantur.* idest à prophanis vsibus extrahuntur, & segregantur, quemadmodum de personarum, & cæterarum rerum dicatione facta Deo, ibidem dictum fuerat: *Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino.* anne remanebit sanctus Domino ipsi dicatus homo, si nihilominus, sicut laicus, de laica nō eximatur potestate terreni Principis? profectò non magìs, ac si vice reddendi decimas Ecclesiæ, cum cæteris prophanis frugibus, Domino sanctas, con-

gereremus in eundem aceruum, congregaremus in idem horreum indiſcriminatìm noſtris laicis vſibus profuturas.

27 Sanè tale diſcrimen non indicat Deus, qui ſicut vtrunq; ſimul mandauit, & decimarum ſolutionem, & Sacerdotum exemptionem; ita pariter ex vtriuſq; mandati præuaricatione ſe affligi, & configi teſtatur; eadem iniuria ſe affici dolet, à non ſoluentibus decimas, & à vexantibus Sacerdotes: de primis .n. legitur Malach. 3. *Si affligit homo Deum, quia vos configitis me, & dixiſtis in quo configimus te?* & reſpondet per Prophetam Deus: *In decimis, & primitijs, & ideo in penuria maledicti eſtis: Inferte omnem decimam in horreum meum, & probate me ſuper hoc, ſi non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem vſque ad abundantiam &c.* de alteris autem, hoc eſt de afficientibus moleſtia Sacerdotes, per alium Prophetam ait Dominus pariter ſe affligi: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Zach. 2. Itaq; nō minùs læditur Deus à vexantibus perſonas ſibi dicatas, quàm à negantibus decimas reſeruatas eidē; pariformiter ergo vtrinque diuinum mandatum contemnitur.

28 Suggerit Zacharias aliud non certè obſcurum Dei iuſſum, quod pro Immunitate hac Clericorum paſsim vſurpant Doctores, Patres, Canones, atq; Concilia, vulgatiſſimum, & multis in hac materia princeps: ex Pſal. 104. *corripuit pro eis Reges: Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Vbi ægrè ferens Deus iniuriosè accipi ab irreligioſis, & infidelibus Regibus ſeruos ſuos Abraham, Iſaac, & Iacob, omnemq; eorum progeniem, dum pertranſiens adhuc puſilla de gente in gentem, & de regno ad populum alterum, plurimas ab obuiantibus inimicis eſt perperſa moleſtias, ab Amorræis, Chananæis, Pheræzeis, & alijs; proinde imperatiuè iubet *Nolite tangere*; quæ etiam negatiua loquutio pertinens ad internam directionem voluntatis, & nō tantummodò ad prohibitionem externi operis, oſtendit præceptum non eſſe de re mala, quia prohibetur, & extrinſecè; ſed de re intrinſecè mala, ideòq; nunquam ferenda, & in æternum vitanda; Nedum

in solum fauorem Abraham, Isaac, Iacob, & totius Hebrææ progeniei declinanda ad tempus. Quid conor prætendere inibi esse præceptum, & duraturum æternò etiam apud Ecclesiasticos, qui veri etiam dicuntur filij Abrahæ; quãdoquidem ipse antecedens contextus exertè dicit: *Verbi, quod mandauit in mille generationes, quod disposuit ad Abraham, & iuramenti sui ad Isaac, & statuit illud Iacob in præceptum, & Israel in testamentum æternum.* Quale est hoc præceptum populo Israel in æternum statutum, & quale hoc iuramentum? duo subduntur; & promissæ terræ possessio, & defensio ab externis iniurijs: *Dicens tibi dabo terram Chanaam funiculum hæreditatis vestræ cum essent numero breui* (en de Israelis omni populo loquitur) *paucissimi, & incolæ eius: & pertransierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum; non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis Reges: Nolite tãgere Christos meos &c.* Sed cum possessio terræ Chanaam non possit esse illud præceptum æternum, cum iam inde Hebræi de promissionis terra expulsi, & dispersi, peregrinarentur, neque eam possederint in mille generationes; reliquum est, vt de promissione terræ, intelligatur iuramentum ad Isaac factum peculiariter; præceptũ autem æternum sit illud: *Nolite tangere Christos meos*. quo indefinitè continentur omnes Christi Dei, seu vncti, futuri in seculum, & mille generationes.

29 Arguo igitur à fortiori; si omnes Christi, seu vncti Domini in æternum non sunt à prophanis tangendi; multò magis id intelligi habet, & verificari de verè vnctis vnctione corporali, & spirituali, quales sunt Sacerdotes, quibus inungendis materialiter oleum designatur, tum in Sinagoga, tum in Ecclesia, quæ insuper vnctionem spiritualem characteris addit in anima suorum initiatorum, quàm intelligendum esset de solis Abraham, Isaac, & Iacob, aut vniuerso populo Hebræorum, qui lata solum, & impropria vnctione gratiæ spiritali, Christi Domini nuncupantur; & pro eis tamen dictum illud certò recipitur: *Nolite tangere Christos meos.* Licet enim Patriarchæ illi

fuerint Sacerdotes, immò & cæteris de populo licitum fuerit sacrificium offerre, antequã eductis de terra Aegypti in Aarone solùm, eiusq; posteritate Sacerdotium institueretur verum, & oleo designatum; nemo tamen ante hàc oleo vnctus fuerat sacro aliquo, per Deum determinato, ad suos CHRISTOS efficiendos.

30 Nec aliter hoc præceptum intellexit ipse, qui præteritum enarrauit Dauid; quòd nimirum extenderetur ad quoslibet Dei vnctos, etiam præter Abraham, & Isaac, & priores Patres; immò fortiùs verificaretur de his, qui post Aaron verè, & corporaliter oleo tabernaculi fuissent delibuti: siquidem à percutiendo Saule hoste abstinuit, à quo ipse petebatur ad necem, sed dixit, sanguinem suadenti, Abisai: *Quis extendet manum suam in* CHRISTVM *Domini, & innocens erit?* 1. Reg. 26. Eodem quippè oleo Sacerdotes, & Reges de tabernaculo vngebantur, immò pepercit Dauid Sauli, cum ipse, non minùs, sicut hic, iam fuisset à Samuele inunctus in Regem: quantò igitur magis nefas erit alteri prophano in CHRISTVM Domini insurgere? vndenam audierat Dauid huiuscemodi præceptum: non esse extendendam manum in CHRISTOS Domini: nisi ex Deo, cuius ipse retulit dictum ad afflictores priorum Patrum: *Nolite tangere* CHRISTOS *meos?* quæ verba, etsi alibi eadem numero expresè non haberentur, præsertim in Genesi, vbi eorum videretur locus; censentur absq; dubio à Deo exisse, vel per Angelos, vel per internam loquutionem, sicut glossa interlinearis supplet, verbo *dicens* continuans textum, qui intercisus videtur.

31 Audio tamen hoc ab aliquibus reijci testimonium, tanquam etsi admittatur præcipere de non tangendis quibuslibet CHRISTIS Domini; hoc videatur tamen magìs facere Clericis pro priuilegio Canonis, quo in ipsos prohibetur violenta iniectio manuum; quam pro priuilegio fori, quo exemptione gaudent à laica potestate: siquidem Dauid ne cæderet Saul dixit, non esse mittendam manum in CHRISTVM Domini; & præceptum

illud: *Nolite tangere* CHRISTOS *meos*, inductum est occasione Regum affligentium, vel Abraham, & Isaac, vel reliquos postea filios Israel; nec videtur locum habere in directione iusta, & iudicio recto Principum laicorum, ne extendatur ad vnctos Dei; nulla .n. ipsis hinc fit iniuria.

32 Nemo tamen commentationi huic daturus est aures, qui sedulò (quod in explicatione sacrarum literarum præstandum est, in quibus nihil otiosum, fortuitò positum nihil) attenderit verbum *tangere*: Neq;.n. dixit Deus: Nolite persequi, affligere, diuexare, aut quid huiusmodi, molestiam tantummodo prohibens; sed in sacrilegos inuectus, qui molesti erant CHRISTIS suis, inquit, *Nolite tangere*: quasi obiurgans vehementiùs: Nolo CHRISTOS meos non modò vexetis; sed neq; ad eorum accedatis contactum, siue in bonum, siue in malum; estote procul ab eis; eorum rebus, caussis, & negotijs nihil immisceamini; verbum .n. tangere de se non magìs significat molestè tangere, quàm amicè. Ita intellexerunt hunc textum sacri expositores ferè omnes, Sanctiq; Patres, à quorum iudicio non licet fatiscere in explicatione sanctarum literarum; præsertim, cum, & contextus arrideat, nec ratio refragetur; perquàm .n. consentaneum est naturali congruentiæ, quòd honoris, & reuerentiæ ergò secularis manus Sacerdotes non audeat contingere ad correptionem, nedum cum iniuria inferior potestas superiorem subigat gentem. Et Anacletus in can. Accusatio. in primo 2. q. 7. explicans illud Zac. 2. *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei*, tactum refert ad accusationem quoq;, & iudicium; an non rectè? tangit equidem aliquem, qui rebus eius se se ingerit. immò hæc est propria verbi *tangendi* energia apud Grammaticos, vt eleganter eo vtantur ad leuissimam quanq; actionem significandam: attigisse hos, vel illos annos, ipsis est, primò in eos intrasse: tangere aliquid inter sermocinandum, vel scribendum, est obiter in id lapsum esse: tetigisse prouinciam, pro vix fines fuisse ingressum, & similia. quare Deus dicens: *Nolite tangere* CHRISTOS *meos*, non

est præsumendus idem dicere voluisse, ac: Nolite toti incubare, malè accipere, fustigare, aut cædere,sed præcepisse:Nolite, neq; accedere ad aliquid, quod vel vmbram iniuriæ habeat in CHRISTOS meos.

33 Gnarè id docet similitudo pupillæ, à Zacharia inducta,qua delicatior nulla pars corporis; ita vt vel minima festuca, aut puluis exiguus eam lædat; immò cautiùs custodienda sit à stili, & acus cuspide tenui, quàm à stipite crassiori: *Qui tangit vos*, inquit, *tangit pupillam oculi mei*. Negari autem non potest, quin iniuriam sapiat laicorum imperium, & iudicium in Clericos, qui naturali iure iam sanctiores, & superiores ostensi sunt ex cap.præcedenti: præsertim, cum Laici communiter suspecti habeantur in Clericorum caussis,& ipsis infensi can. Laicos 2. q. 7. c. Clericos de Immunitate Ecclesiarum in 6. benè igitur cautum sit, ne accedant, vllatenus tangant, quos limis aspicere oculis præsumũtur, nunquamq; sinè iniuria contacturi: *Nolite tangere* CHRISTOS *meos, & in Prophetis meis nolite malignari*. Post quæ Propheta de alio præcepto,aut testamento æterno præter istud,nihil ampliùs;sed pergit flagella recensere,quibus Omnipotẽs iniurias populi sui est vltus,& primam omnium annonæ numerat caritatem: *Et vocauit famem super terram, & omne firmamentum panis contriuit*, quæ pœna, cum eadem sit, ac illa, quæ pro decimis non solutis est irrogata, de qua Malach.aiebat Dominum afflictum: *In decimis, & primitijs; & ideo in penuria maledicti estis*; nec impar sit Dei offensa, qui vtrinq; se affligi dolet, atq; configi, par etiam docet de vtroq; esse præceptum, sicuti re vera est, & in eodem cap. Leuitici vltimo,vnum immediatè post aliud ostendimus præcipi.

34 Quod si iussum istud: *Nolite tangere* CHRISTOS *meos*, tolerantiùs sis accepturus,pro Clericorum exemptione à laica potestate coactiua dumtaxat, quæ sola aliquid importare videtur iniuriæ,& propiùs ad verbum tangendi spectare,secùs verò directricem,& legislatiuam secularium Principum authoritatem in clericos non coarctari, quæ iniuriosa non est, sed ap-

prime honesta, ciuili societati consentanea; oppono in primis, quia (quod initio diximus) tanta est trimembris huius Ecclesiasticæ Immunitatis connexio, vt ea dissoluta, nihil eorum superfit viuidum: si liber non fuerit clericus à laici Principis legibus, neq; erit transgrediens immunis coactionis, & pœnæ; nam ex Hieronymo contra Iouinianum; estq; in can. Quisquis 14. q 1. *Quod præcipitur imperatur, & quod imperatur necesse est fieri; si non fiat pœnam habet: vbi consilium datur, offerentis arbitrium est; vbi præceptum, necessitas seruientis.*

35 Non destituimur tamen alijs sacræ scripturæ testimonijs, quibus vniuersaliter ostendatur præceptum: ne de sacris hominibus ad laicum iudicem aliquid pertineat. Proferunt huc nonnulli, quod D. Paulus Corinthijs 4. scribit: *Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die: qui autem iudicat me Dominus est.* Vbi Apostolus se cuiusuis humani, idest prophanæ, non Diuinæ authoritatis iudicij se iactat exortem, quia Ecclesiasticus homo, & vt præmiserat minister Christi, & dispensator ministeriorum Dei. Nec vim omninò textus huius declinant ex contra opinantibus multi, respondentes sermonem ibi esse nullum de iudicio forensi, & publico; sed de priuato; quo cauebat, ne vnusquisq; Corinthiorum, temerè apud semetipsum iudicaret circà legitimum ministerium Christi, & dispensationem fidelem ministeriorum Dei, quæ in Apostolis esset: non plenè, inquam, satisfacit hæc responsio: duo .n. disiunctiuè ait inibi D. Paulus: *à vobis iudicer, aut ab humano die*: per quæ vtrunq; iudicij genus se non expauescere indicat, priuatum quidem, & conscientiæ internum, dum singulis ait *à vobis*. dum autem, sub disiunctiua addit particula; *aut ab humano die*, aliquid ampliùs, & à primo diuersum, voluit addidisse; quod esse nequit, nisi publicum iuris externum iudicium, cuius pariter significauit se esse immunem.

36 Quis enim, phrasis gnarus, nesciat iudicium internum, siue temerarium, siue rectum hominis priuati non dici illius diem; sed loquutionis significationem hanc esse, vt dies accipiatur

pro iudicio,in quo publica fertur à Tribunali ſentẽtia? ſic diem dicere alicui ponimus pro conuenire ipſum coram iudice. Liuius 3. *Cum diem Appius Virginio dixiſſet*. id eſt in ius vocaſſet, citaſſet ad Iudicem. Et ſuper illud Amoſ. 5. *Væ deſiderantibus diem Domini*. Gloſſa ordinaria inquit: *Multi ſuperbi,vt iuſti videantur, dicunt ſe deſiderare diem iudicij, &c.* Quare ſi Apoſtolo mens fuiſſet de ſolo priuato vniuſcuiuſq; iudicio ſe ſubtrahere, poſtquam dixiſſet: *Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer*. vacanter addidiſſet quod ſequitur: *aut ab humano die*. dum hoc eſſet idipſum;& magis ineptè ſub illa diſiũctione *aut*, quæ diuerſum aliquid importare ſolet; ineptiſſimè iudicium internum dixiſſet humanum diem, quod à nemine vnquam, benè loquente audimus prolatum: ſicuti è diuerſo ſolemne nouimus diem dicere de iudicio forenſi, & publico.

Atq; hùc ducebat gradatio Apoſtoli, qua, vt efficaciùs ſuaderet, de ſuo miniſterio nulli eſſe temere iudicandum (hoc nanq; etiam intendiſſe illum non diffitemur, docente immediatè contextu: *Nolite itaq; iudicare quoadusq; veniat Dominus,qui illuminabit abſcondita tenebrarum,&c.* quod de priuato iudicio apertè dicitur) tantum abeſt, inquit, vt à vobis ego debear iudicari, vt neq; humano diei; humanæ videlicet poteſtatis ſententiæ ſim obnoxius; vt alibi clarius indicauit: *Ego ſub nullius redigar poteſtate*, 1.Cor.6. qui intellectus non fugit Ambroſium, inibi ſic commentantem: *Quia nec à legibus,mundo creditis, iudicandus eras*. Hinc igitur patet quomodo inaniter ſcripturis ſacris conentur illudere tergiuerſantes, quicunq; ſemel firmarunt animum negandi quoquomodo præceptum Dei de Eccleſiaſtica Immunitate, rationibus nõ audituri, neq; eas medullitùs ad veritatem perſcrutaturi.

37 Verùm efficaciùs adhuc inſtat pro nobis, Leuitarum exemptio de populo reliquo, quam à Domino factam legimus in libro Num. dum eos Aaroni, & ſucceſſoribus eius futuris in Pontificio ſolio illos donauit. Donauit quidem Aaroni Dominus generaliter, quidquid ſemel Domino conſecratum, iu-

ris, seu possessionis factum esset Diuinæ, ipsi dicens: *Omnia quæ sanctificantur tradidi tibi, & filijs tuis, pro officio Sacerdotali legitima sempiterna.* Num. 18. Inter quæ maximè comprehendebantur personæ Deo dicatæ, quales erant Leuitæ; nam generaliter sanctificari Domino dicta fuerant, quæcunq; semel oblata essent, non minùs homines, quam animalia, & fundi: *Omne quod Domino consecratur, siue homo fuerit, siue animal, siue ager non vaniet, nec redimi poterit, quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino,* Leuit. vlt. quod testimonium superiùs induximus, & eodem est vsus egregiè ad Immunitatem Ecclesiasticam communiendam Bonifacius PP. can. Nulli. 12. q. 2. *Nulli,* dicens, *liceat ignorare, omne quod Domino consecratur, siue fuerit homo, siue animal, siue ager, vel quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum Domino erit, & ad ius pertinebit Sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis, qui à Domino, & Ecclesia, cui competunt, aufert, vastat incendit, & vsq; ad emendationem, & Ecclesiæ satisfactionem, vt sacrilegus iudicetur, & si emendare noluerit excommunicetur.* Attamen quoad personas Deus sibi dicatas, non acquieuit ea generali exemptione, qua simul cum reliquis sanctificatis Summo Pontifici reseruabantur; sed expresiùs, & peculiariùs de ijs addidit ad Moysen, quò dubium omne eraderet, resq; magis in procliui constitueretur: *Dabis dono Leuitas Aaron, & filijs eius, quibus traditi sunt à filijs Israel,* Num. 3.

38 Duo accuratiùs hìc pensitanda ad literæ cõgruam interpretationem, & efficaciam eius pro nostro instituto percipiendam. Primò à quo fuerit hæc donatio; deinde qualis eadem fuerit, & num exemptionem importet, de qua soliciti sumus. Duos habemus hìc donatores; nempe filios Israel, qui Leuitas Domino obtulerint; nam dicit: *Quibus traditi sunt à filijs Israel.* donator alter est ipse Dominus, iubens: *Dabis dono Leuitas Aaron, & filijs eius.* Quocirca id quod Aaroni donatur (an sit plena, & absoluta in Leuitas iurisdictio mox videbimus) duplici iure ipsi est partum, & humano; quia homines donant;

& Diuino; quia Deus, vt minimùm, donationi hominum subsignat, & ratum habens, quod à filijs Israel gestum est, ipso quoq; addit libenter munus: *Dono dabis, &c.* imperans.

Solùmq; id posses cauillari, quòd hæc donatio de Leuitis facta Pontifici, originem primam habuerit ex humano iure; quatenùs filij Israel ipsi primi excogitassent donare, atq; donauerint, à se abdicando potestatem, atq; dominium, quod super eos habebant, & in Deum transfuderunt, cui oblatum est munus; ipse postea Deus Leuitas dono acceptos Aaroni subiecerit, ne victitarent exleges, neq; eorum caussis cognitor deesset, & Iudex cum potestate; ex quo deuenerit consequenter, eos eximi à laica potestate: siquidem huic ampliùs teneri non debeant, alteri addicti; cum nemo possit duobus Dominis seruire, & duplici iugo grauari.

Sed rem nostram, hoc nihil turbat: manet siquidem inconcussum, quod ex Dei verbo, seu præcepto Leuitæ dentur Pontifici, hunc habeant Principem, atq; Iudicem, eiusq; sint iuris, & hoc irreuocabiliter de iure Diuino teneat; siue humana oblatio præcesserit, occasionem tribuens Diuinæ constitutioni; siue aliter. Immò fortiùs deduco Dei voluntatem, & solicitudinem maiorem circà subiectionem Leuitarũ Aaroni: Etenim postquam populus eorum dominium à se abdicans, illos attribuisset Aaroni; quasi non satìs fideret Deus, nec acquiesceret huic humanæ donationi, voluit ipse quoq; præceptum addere, vt inuiolabiliùs custodiretur; cæterùm potuisset nihil adijcere; sed merè humano contractui nihil se ingerere, hoc consilio: si dederint Israelitæ Leuitas suo Pontifici, hic eos habeat; sin minus, ipsi inter sese sua facta discutiant, sicuti nec turbat, quòd addideris, Israelem donasse Leuitas Deo, non autem Aaroni: Vnum quandoquidem certum est, quòd cuicunq; donarit, ipso facto abdicauit à se potestatem, atq; dominium eius, quod donatum est. Siq; Deus ipse munus recepit, & nõ Aaron, quid non potuerit ille huic ius suum concedere, & redonare, quod sibi absolutè donatum est?

39 Verùm procul à vero est, quod Populus Israel ipse prior spontali liberalitate à se abdicauerit ius in Leuitas, & Domino obtulerit: hos siquidem Deus sibi assumpsit pro primogenitis sibi debitis, fuitq; hac commutatione contentus; vt apertè ibidem insinuat: *Ego tuli Leuitas à filijs Israel, pro omni primogenito, qui aperit vuluam à filijs Israel; eruntq; Leuitæ mei; meum est .n. omne primogenitum* (peculiari scilicet magis possessione, quàm eiusdem sit omnis terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo) *ex quo percussi primogenitos in terra Aegypti: sanctificaui mihi quidquid primum nascitur in Israel, ab homine vsq; ad pecus, ego Dominus.* repetit eadem non multis interiectis: *Tollesq; Leuitas mihi, pro omni primogenito filiorum Israel: ego sum Dominus.* & iterum tertiò: *Eruntq; Leuitæ mei, ego sum Dominus.* & in c. 8. postquam dixisset de ijsdem: *Quoniam dono donati sunt mihi à filijs Israel,* subdit: *pro primogenitis, quæ aperiunt omnem vuluam in Israel accepi eos; mea sunt enim omnia primogenita.* Non sit ergo, qui ambigat donationem Leuitarum ita non processisse à filijs Israel, quasi aliàs non potuerit Deus iusto iure sibi exposcere, & de populo eximere, non solùm ex generali dominio, quo omni creatura potitur, vt ipse ait, quia ego Dominus. Sed insuper ex peculiari titulo redemptionis primogenitorũ, sicuti re vera ex mandato Diuino ortum habuit illa donatio Leuitarum.

40 Sed Proh benignissimum Dominum, qui nihil potis à nobis recipere non suum, bonorum nostrorum non egens; quoniam ipsius omnia sunt, manus eius fecit hæc omnia; nihilominus, vt sæpe auditur de acceptis ab hominibus donis, & oblationibus gratulari, voluntatem inspiciens alacriter donãtium, quod est debitum; ita de Leuitis suis sic loquitur, quasi grates pro ijs debeat populo gratifico muneratori, dicens alibi: *Cumq; Leuitæ fuerint coram Domino, ponent filij Israel manus suas super eos, & offeret Aaron Leuitas munus in conspectu Domini à filijs Israel.* Et infra: *Statues Leuitas in conspectu Aaron, & filiorum eius, & consecrabis oblatos Domino, & separabis de medio filio-*

rum Israel, vt sint mei: quoniam dono dati sunt mihi à filijs Israel.

Non equidem mirer, si Dominus optimus inter donaria reponat, & sibi reputet gratis oblatum, quidquid ex debito à nobis recipit; quandoquidem etiam cum ipse primus aliquid hominibus donat, arbitratur se magis rependere, quàm donare; ita vt ipse nunquam se primum donantem existimet, vt adnotauit D. Basilius hom. 5. in Matt. ad illud: psal. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Magnificus dator*, inquit, *haudquaquam dictus est tribuisse, sed retribuisse.* quasi ante vicem receperit. Donat nobis Deus prior, de quo Apostolus: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Rom. 11. & nihilominus auditur Psalmographus dicens, sibi iam à Domino retributum; dum adhuc ipse retribuere meditatur. Dedit itaq; Israel Leuitas Domino, sed veriùs debita commutatione, & ex Dei mandato, quàm ex gratuito dono, ac voluntaria electione, quæ si adhuc sola extitisset, non adimit, quin fuerit Domino postea integrum acceptum munus Aaroni contradere; vti præstitit, Moysi iubens: *Dabis Dono Leuitas Aaron, & filijs eius.* nam si præcesserit, vel accesserit humana institutio, id magis: Diuinum iussum iam certò habemus.

41 An autem huiusmodi donatio ea fuerit, quæ Leuitas abiugauerit prorsus a laica potestate, soli Pontificiæ Aaronis eos subiugans directioni, libentiùs audirem à negaturis, quid fuerit, quidue importauerit illa oblatio, si hoc non, quàm explicare cogar rem ita apertam, vt quauis explicatione potiùs obumbretur. Accepit Leuitas Aaron, & dono accepit; ius ergo aliquod in ipsos acquisiuit nouiter per donationem, quod non fuerat illi, dum donati nondum essent de reliquo populo segregati; secùs donantes nihil donassent: sed quoad spiritualium administrationes, ac functiones, omnis populus Sacerdoti iam parebat, sacrificia, cæremonias inde attendens, cum singulis ad Dei cultum spectantibus; omnigenam igitur subiectionem, tum in ciuilibus, ac secularibus caussis; tum in spi-

ritualibus debuerunt Aaroni profiteri Leuitæ.

Ad hæc: per huiusmodi donationem Leuitæ dicuntur abstracti de reliquo populo, & segregati, dicente Domino: *Et separabis de medio filiorum Israel, vt sint mei*, num. 8. At qualis separatio, quæ peculiarior Dei possessio, vbì nihil innouetur, maneantq; sicut priùs Leuitæ sub laico tribunali, & cum cætero populo pariter redigantur in ordinem, publica patiantur onera, adhuc ciuilibus teneantur legibus? Quid Aaroni tribuit Deus supra id quod dederat, Pontificem illum constituens super omnem populum suum, quãdo subinde de Leuitis ait: *Tradidiq; eos dono Aaron, & filijs eius de medio populi?* Et sanè potuerat eos sub Moysis vniuersalis Ducis potestate relinquere, nã & hic simul cum laico Principatu Sacerdotem gerebat, vt sæpè diximus. nihilominus ne fortè quà ciuilis Iudex, videri posset Moyses de Leuitis Deo sacris censere, eos peculiariter Aaroni Deus addixit, qui propriè, & solum agebat Pontificem.

42 Effectus rem comprobant omnem: cum .n. in vniuerso veteri Testamento Leuitæ legantur Immunitate gauisi, vbicunq; de grauaminibus res est publicis, & cæteròqui nullum audiatur ciuile, aut humanum in sacra scriptura decretum, cuius virtute id obtinuerint; reliquum est, vt apprimè hoc fuerit in populo Hebræo constantissimum, præcepisse Deum allatis verbis gentem Deo dicatã, fore penitùs ciuilis subiectionis exortem, solumq; habere Pontificem designatum diuinitùs Iudicem, & directorem. Quòd autem exemptione potiti sint, nonne vides quomodo soli prætereantur, tanquam pars cum cæteris non communicãs in ciuilibus oneribus, cum reliquus populus omnis recenseretur, Numer. 1.? cuius non aliam rationem reddit Ioseph, gentis suæ mores, & leges apprimè callens lib. 3. Antiq. Iudaic. c. 11. nisi: *Quia & sacri erant, & immunes à militia.* Idq; vniuersaliter obseruare est sacris in literis, nunquam cum reliquo populo, & Tribubus esse locum Leuitis, quandocunq; in ordine ad secularia, & temporalia fit recensus; cum tamen non desideretur vbicunq; sit de spiritualibus sermo.

42 Adfuit igitur in lege veteri, cum vſu Diuinum præceptum de gentis ſacræ Immunitate quod expreſſum, ſatiſq; luculentum oſtendimus; quamuis etſi adhuc aliquid obſcuriùs, ſeu minùs expreſsè fuiſſet de ea per Deum mandatum; nihilominus, vel ex ſolo leuiſſimo nutu ipſius arguere deberemus hic inuiolandum præceptum, in re, quæ ſuaptè ſatis eſt ſuaſibilis, & ab ipſa ſuggeſtione naturæ habet iuris Diuini adſtipulans maximum teſtimonium. Nam & hoc velim perpendas; aliter indigere Diuina ſanctione, quæ ad aures naturæ audiuntur mandata; & aliter, quæ præter, vel ſupra eandem iubentur, ad illa ſcilicet ſatis eſt remiſſior, ad hæc verò non niſi exerta ſufficiũt, & valdè diſtinctè prolata; quale eſt Euangelicum illud de inimicorum dilectione, quod, cum nouum, & aſperum videndum eſſet, naturæ patiens repugnantiam, Dominus, quoad potuit, expreſsè tulit, pronomine demonſtratiuo ſe Deum iubentem indicans clarè: *Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros.* quo nil deſideres clarius, & quoad præcipientem, & quoad qualitatem rei præceptæ, aut quoad perſonas, quibus præcipiatur.

43 Hæc Teſtamentum vetus dat Sacerdotali Immunitati, & ſacræ genti vniuerſæ patrocinia, quæ nouæ Eccleſiæ proſunt quoq; communia; cum non abſtulerit Christvs Dominus noui conditor teſtamenti, niſi Cæremonialia, atq; Iudicialia, qui quoad præcepta (tria nanq; lex vetus habuit hæc ſola; iuxta id quod legitur: *Hæc ſunt præcepta, & cæremoniæ, atq; iudicia, quæ mandauit Dominus Deus veſter*, Deut. 6.) *Non venit ſoluere legem, ſed adimplere*, Matt. 5. nec expungi debuit pro digniori nouæ legis clericatu priuilegium, quod olim maximè naturali iuri conforme diſpoſitum Diuinitùs legitur, pro Leuitis, & ſtatu non æquè nobili.

Veruntamen Synagogæ facula Eccleſiæ non eget ſplendor irradians; quemadmodum reliqua, quæ in lege veteri quondam obumbrata fuerant, clarè in Eccleſia refulgent, diſcuſſa caligine; ita dilucidiùs, quàm vnquam antea per Moyſem, &

Prophetas, dat Euangelium de Ecclesiastica Immunitate mandatum; adeò inquam apertum, vt vnicum satìs fuerit, absq; aliorum multiplicatione, aut repetitione eiusdem.

44 Cantatissimum est in Matt. 17. *Ergo liberi sunt filij.* quod Domini est, requisiti vt tributum penderet, ab exactoribus Capharnaitis. & de mente Sanctorum Patrum, vnde sacrarum literarum attendenda est non fallax interpretatio, aut præceptiuum est Ecclesiasticę Immunitatis; aut saltem præceptum iuris naturalis Diuini supponit, quod violare sit nefas; huic.n. alteri æquipollet dicto: Ergo à filijs non licet tributum exigere, sed necesse est ipsos seruari immunes, ac liberos: quod si necesse est, non licet transgredi, cũ necessitas præceptũ importet.

Rem ita consumatam Euangelica narrat historia: *Cum venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non soluit didrachma? Ait, etiam; & cum intrasset in domum, præuenit eum* IESVS *dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum? à filijs suis, an ab alienis? & ille dixit, ab alienis: dixit illi* IESVS *: ergo liberi sunt filij. vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore inuenies staterem, & illum sumens da eis pro me, & te,* Matt. 17. Tria hic si illustrentur, cõstabit dilucidè de mandata Diuinitus Ecclesiastica Immunitate, quam quærimus. Primò ostendendum est hoc tributum expetitum a Capharnaitis fuisse ciuile, atq; prophanum, non autem sacrum: deinde Apostolos declaratos esse immunes: postremò ad posteros quoq; Clericos id priuilegium fuisse relatum.

45 Fuerunt, qui opinarentur huiusmodi tributum nõ fuisse laici fori, sed sacri, illudq;, quod templo pendebatur a singulis Israelitis quotannis, seu quando populus numerabatur, de quo Exod. 30. *Hoc autem dabit omnis, qui transit ad nomen, dimidium sicli iuxta mensuram templi. Siclus viginti obolos habet; media pars sicli offeretur Domino, &c.* opinioni huic adhæsit D.

 Hila-

Hilarius Canone 17. Numiſma, reſpondet, nam ſiclus continet quatuor drachmas; ſemiſiclus igitur eſt didrachma. Fauet etiam quæ affertur paritas, quòd, ſicuti Reges terræ non accipiunt tributum à ſuis filijs, ſed ab alienis; ita Rex cæleſtis filio ſuo naturali, nempe CHRISTO, parceret, ne ſicut alienus penderet cenſum.

46 Non eſt hæc opinio recepta; & meritò, quia ex verbis illis *Reges terræ, &c.* communiter eruunt Patres Regi terræ dari, quod tunc petebatur tributum. nec veriſimilis apparet ratio, cur Capharnai Dominus ſolueret, quod Hieroſolymis erat templo afferendum: ſi autem laicum tributum ſit, benè ibi ſoluitur; cum Capharnaum eſſet Galileæ Metropolis, cui ſubdebatur Nazareth, patria Saluatoris; vbi etiam exactores manerent, ſiue pro Herode eius Prouinciæ Tetrarcha, ſiue pro Cæſare, qui regiones illas fecerat vectigales. Præterea cum ſoluendum fuit aliquid templo, non eſt aliàs producta hæc Immunitas Seruatoris, tanquam cæleſtis Regis filij, ſed promptè ſolutum eſt, vt nouimus, quando obtulerunt pro eo par turturum, aut duos pullos columbarum, vt facerent ſecundùm conſuetudinem legis Moyſis, iubentis ita redimi primogenita: At verò hic apertè profitetur Dominus ſe nolle ſoluere; quia non tenetur, & ſi quid daturus ſit, id ſolum facturum ſe ad tollendum ſcandalum. Neq; Apoſtoli, aut Clerici declarandi erant exempti ab impenſis ſacris pro templo, cum potiùs immunitas ipſis ſtatuatur laici fori, quò valeant commodiùs bona, quæ poſſident, in vſum templi impendere. Tandem, etſi daretur illud fuiſſe tributum ſacrum, cuius immunes declarati fuerint Apoſtoli, nam liberi dicti ſunt, & re vera nihil ſoluerunt, niſi ſtaterem pro Domino, & Petro in euitationem ſcandali; à fortiori colligam multò magìs eoſdem nihil debere laicis Dominis, dum etiam à ſacro liberantur tributo.

Aliorum fert opinio tributum hoc eſſe, quod Deo pendebant primogeniti Hebræorum, excedentes numerum Leuitarum. Nam contentus fuerat Dominus pro primogenitis ſibi de-

debitis accipere oblatos Leuitas; sed cum hi pauciores essent, nec exæquarent numerum primogenitorum, vt singuli Leuitæ pro singulis supperterent primogenitis, qui superfuissent horum, erant obnoxij solutioni quinq; siclorum; vt habetur lib. num. 3. Hæc est D. Chrysostomi. hom. 59. in hunc locum.

Plura huic placito obstant. primò non respondet pecunia; nam quinq; sicli longè maiorem summam constituunt, quàm didrachmatis; deinde falsum est, quòd primogeniti singulis annis obligarentur eundem censum repetere, sed semel redimebantur infantes, cum sisterentur Domino in templo à Parentibus, quod præstiterant MARIA, & IOSEPH puero IESV, offerentes pro eo par turturum, aut duos pullos columbarum; ex quo in posterum remansit solutus ab hoc penso. Item quia impertinens fuisset illa ratiocinatio: *Reges terræ, &c. Ergo liberi sunt filij*. Demum quia gratis solutum postea fuisset etiam pro Petro, qui, cum esset minor natu Andrea fratre, non tenebatur, ac proinde nullum extimescendum erat scandalum, si non soluisset. Adde quòd odiosum nomen tributi, nō tribuit scriptura sacra his, quæ Domino soluebantur, sed oblationes, decimas, munera, aut quid huiusmodi vocat.

48 Petebatur ergò absq; dubio tributum prophanum, siue pro Herode, siue pro Cæsare; vt sonant verba illa: *Reges terræ &c.* cuius pensio cum dupliciter potuerit contigisse, vtrouis modo fuerit, Apostolos habemus immunes.

Nam si dicamus cum Authore quæst. nou. test. apud Augustinū q. 75. & alijs non paucis, sola capita familiarum, vel societatum fuisse obnoxia solutioni didrachmatis, ad Capharnai portas; vbi excubabant telonarij, & exactores. fauebit textus, quà inquit, nihil nisi pro Domino postulatum. *Magister vester*, dixerunt tantummodò, *non soluit didrachma?* Dominus autem perfectè scandalum declinaturus, etiam solui iussit pro Petro, qui, & socrùm, & familiam Capharnai legitur habuisse; de alijs autem Apostolis non curasse, neq; Dominum, neq; exactores, indicare videtur nihil illis impositum. Et re vera

 ni-

nimis onerosum dici potuisset tantum tributum didrachmatis pro singulis, etiam inopibus, statuere piscatoribus. vt attigimus in superioribus c.3. dum ex hac opinione argumentum daremus primatui D.Petri, tanquam & ipse futurus esset Apostolicæ familiæ caput, pro quo æqualis pensio soluebatur, atq; pro Domino; potuit .n. idem factum præter literalem solutionem tributi debiti pro vera familia, quā Petrus habebat, Mysterium innuisse simul de mystica Ecclesiæ familia, eiusdem regimini superaddenda; præsertim ex modo soluendi de eodem statere miraculosè inuento, & non de loculis, quos retinebat Dominus in sui vsus, ac egenorum; quod ideò factum rentur Euthimius, atq; Chrysostomus, vt magìs probaret, quod dixerat, se non soluturum ex debito, sed gratuitò, quò scandalum remoueret. Esto .n. tam Dominus, quàm Petrus essent familiarum capita, quod solutū pro ambobus est tetradrachma, gratìs est datum, dicente Domino: *Ergo liberi sunt filij, vt autem non scandalizemus eos, &c. da eis pro me, & te.*

49 Hinc videas, quòd sicut coæquatus est Domino Petrus in ratione pendendi tributum, & pluraliter dictum est commune vtrisq;, *ne scandalizemus eos*; rationē quoq; exemptionis fuisset parem, qua nihil deberent, nisi ex beneplacito ad euitandum scandalum; idq; quia filij Regis Cælestis, ideòq; liberi ambo. Sed nulla maior est ratio cur Petrus solus, præ cęteris Apostolis, filius nuncupetur; ergo vtiq; dicens Dominus: *Ergo liberi sunt filij.* comprehendit omnes, sicut & Petrum, & factum ipsum comprobat; nam ex reliquis Apostolis nemo quidquam soluisse legitur postea; nec verisimile est antea soluisse, cū pro Domino, & Petro adhuc soluendum remanserit, & loculos habentes communes, aut pro omnibus soluissent, aut pro nemine; vt reapse pro nemine solutum fuerat; cum tamen pro pluribus eorum fuisset aliàs soluendum, si non fuissent declarati filij Regij immunes; nam plures Apostoli erant Patres familias; sin minùs velis ab alijs omnibus exactum tunc temporis illud fuisse tributum: erant ergo huiusmodi, sicut & Petrus, fi-

lij immunes; cum alioqui passus non fuisset Dominus debitum Principi à suis fraudari tributum; consensit tamen vt non soluerent; nam si dicitur pro Petro tantum esse solutum, benè infertur pro alijs solutum non fuisse, arg. cap. Nonne. De præsumptionib. eccur de Petri solius solutione ex Discipulis meminisset Euangelista, dum alij pariter præstitissent idipsum? aut de qua pecunia, persoluissent, si de loculis, præter quos (Auaro Iuda excepto) nihil proprietatis habebant, noluit Dominus, neq; pro se extrahi nummos, sed expiscandus fuit stater, pro ipso & Petro solis sufficiens?

50 At ais, ergo Dominus scandalum non declinauit. quorsum dare pro binis, & pro vndecim denegare? acquieuissēt ne exactores, quibus pro minima parte satisfieret? integer hominum cuneus sub solutione vnius, aut alterius pertransiret; si, vel singuli, vel plures ex eis fuissent pensioni obnoxij? Dico pro vndecim neq; teruncium esse datum; pro Domino, & Petro staterem promptum; quia vtrunq; fuit cordi sapienti Magistro, videlicet ita omninò non subterfugere, vt pullulasceret scandalū; aut ita ex toto nō soluere, vt collegij sui neglecta læderetur Immunitas. Acquieuerunt telonarij, quia in ea vrbe, quam passim quotidianis miraculis Dominus illustrarat, hic magni fiebat, reuerentia magna ipsum prosequebantur Capharnaitę, tot signa cernentes, de quibus inuidentes Nazareni, dicebant: *Quanta audiuimus facta in Capharnaum! fac & hic in Patria tua*, Luc. 4. Id caussæ, cur nec ab ipso aliquid ausi sint petere, sed ex Petro sciscitarentur: *Magister vester nō soluit didrachma?* Idq, non tàm auiditate, & spe exigendi tributum, quàm curiositate noscendi mentem CHRISTI, num fortasse ideo euasisset, vt noui hoc in sua secta inueheret, quòd prohiberet tributa dari Cæsari, de quo tandem fuit à falsis testibus, & populo malignanti insimulatus.

51 Nec non alias ab Herodianis, & Pharisæis circumuentione tentatus, num liceret tributa dari Cæsari: sicuti ergo tunc sapienter respondit: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt*

Dei, Deo. quatenus nec pietati, nec regno præiudicium ferret; ita & nunc pro ſe, & Petro ſoluit, ad euitandum ſcandalũ, quod ex ipſis ſolis timeri poterat, tanquam capitibus ſocietatis, qui ſeduxiſſent ſocios, ne exſoluerent. Dum autem pro ipſis capitibus penditur, quod cæteri minores, & inferiores non ſoluerent, referri poterat à beneuolis exactoribus potiùs ad Collegij egeſtatem tantam, vt deeſſet, vnde tot didrachma depromerent, magis quàm ſcandalizandi eſſent de magiſtro, qui perſuaſerit Diſcipulis tributa negare Cæſari; cum pro ſe ſo luerit, & incæperit etiam à priore Diſcipulorum, proſequuturus pariter de alijs ordine ſuccedentibus, ni deeſſet pecunia.

Vnum tãdem eſt in propatulo, quòd cum Apoſtoli non ſoluerint, & quod pro Petro datum eſt, hac cautione ſit datum, vt eſſet ſolo titulo adimendi ſcandali, omnes erant immunes, & de omnibus dictum fuit, quòd eſſent filij Regij.

52 Quòd ſi malueris de ſe ſolo dixiſſe Dominum, quòd eſſet liber; vt potè ſolus naturalis filius Regis æterni; & proinde verba eius non extendenda ad Apoſtolos; quippe, nec opus eſſet illis hac Immunitate, cum omnes ſub vnius CHRISTI familia tranſirent, qui ſolus, vt caput, tributo pendendo, aliàs fuiſſet obnoxius, ſi filius Regius non fuiſſet: Adhùc Apoſtoli omnes liberi abſolutè cenſendi ſunt à tributo; Quandoquidem exemptio filiorum Regis comprehendit familiæ totius Immunitatem; alioquin, quæ vtilitas filio ex hoc Priuilegio, dum quàmuis ipſe euaderet; de eius crumena nihilominus ſatisfacere pro domeſticis oporteret? ſiq; in detrimentum filij hoc cedit; erit pariter in detrimentum Patris, ſeu Regis, de cuius bonis exſoluturus eſt filius, ſi non pro ſe, tamen pro familiaribus ſuis. Dum ergo filij Regum dicuntur exempti, ſenſum eſſe oportet, omnia eorũ bona eſſe exempta; vt propterea, ſi Saluator, quaſi filius Regis, erat liber, nihil de eius bonis fuerit debitum laicis exactoribus, ſed ipſe, ſuiq; abſq; cenſione tranſirent.

Fauet loquendi modus ille; *An ab alienis?* per quæ etiam familiares filiorum, vnà cum filijs Regum, intelligi videntur exem-

exempti; siquidem alieni non opponuntur filijs, sed domesticis: vt Petrus respondens, Reges terrenos à solis a'ienis tributa recipere, consequenter induxerit, non autem à domesticis, & familiaribus, multoq; minus à filijs. Omnisq; Domini ratiocinatio à fortiori progreditur, quasi arguat, si solemne est terræ Regibus, vt filios onere tributorum non grauent, neq; pro ipsis, neq; pro asseclis familiaribus; & tamen ignobiliores hi valdè sunt, possentq; de proprio ære, quod aliquod possident, pendere, estò indecens videatur munificentiæ Regi r, & iniurium obsequio, quod Regio filio præstāt familiares; quantò magis Apostoli in consortium asciti eius filij Regij, qu: Patrem habet munificentissimum Dominum vniuersorum, erunt immunes; & in hostimentum sui famulatus; & quia proprietatem non norunt, sed quidquid soluere habeant, id erit de regij filij marsupio repetendum, cuius sunt Apostoli, & eorum omnia? hincq; oritur disparitas, quòd si fortè Immunitas domesticorum filij regij ex sola congruentia videri possit, hæc familiarium CHRISTI est ex necessitate & iure; nam nonest soluere pro his, nisi de bonis ipsius Regiæ prolis, quæ necessariò non adnotantur, sed sunt exempta.

53 A vero tamen sensu non est recedendum: quòd Apostoli declarati sint immunes, non quia familiares CHRISTI, qui filius est Regis æterni naturalis; sed quia & ipsi eiusdem Regis essent filij adoptiui; vt cogit asserere par coæquatio, facta de Domino, & Petro: *Vt non scandalizemus eos*; indicans pariter esse liberos, idq; ex communi ratione: *Ergo liberi sunt filij.* si ergo Petrus filius Regis est, quia tributum non dedit ex debito, sed gratuitò, ad euitandum scandalum; cur non sint, & reliqui Apostoli, qui nihil omnino dederunt, neq; credendum est magistrum ipsis indulturum fuisse fraudem? Item licet Petrus fuerit plurimis exornatus prærogatiuis præ cōsoda!ibus; id tamen nunquam nō fuit sine propria indiuidua designatione, cæterum in vniuersalibus appellationibus omnes Apostoli pariter venire consueuerant.

54 Quid est ergo, inquis, quòd statim occasione tributi, æqualiter soluti pro Domino, ac Petro, Discipuli zelo commoti disceptare cœperunt: *Quis eorum videretur esse maior?* vt adnotarunt Hieronymus hìc, Chrysostomus hom. 59. in Matt. & Origenes trac. 5. in Ioannem? Profectò ratio exardescentis zeli videtur fuisse, quòd, cum Dominus dixisset, liberos fore filios Regis, Petrum solum sibi associans in pari caussa euitandi scandali, ostendit quodammodo ipsum præ alijs esse filium immunem.

55 Immò dico exortam suspicionem de maioritate Petri ex eo, quia solicitus fuerit Dominus de scandalo eius tollendo, non minùs quàm proprio, de cæterorum verò scandalo non curasse, quod nullum, aut longè minus futurum erat. Nam crimen Principis, & Pastoris animarum grauitat magis, quàm priuati cuiusuis hominis, estq; vniuersæ communitati in scandalum, quod frequens est in scripturis, & moralitatibus Patrum; fuitq; sapientis illius politici Consiliarij responsum Assuero: *Non solùm Regem læsit Regina Vasthi, sed & omnes populos: egredietur enim sermo Reginæ ad omnes mulieres; vt contemnant viros suos, & dicant: Rex Assuerus iussit, vt Regina Vasthi intraret ad eum, & illa noluit. Atq; hoc exemplo omnes Principum coniuges Persarum, atq; Medorum paruipendent imperia maritorum*, Esth. 1. Non immeritò igitur videntes Apostoli maiorem solicitudinem magistri de tollendo scandalo Petri, quàm aliorum, suspicati sunt idcirco fieri, quia de illo grauius esset, & per consequens, ipsum ad prælaturam vniuersæ Ecclesiæ designatum.

56 Cæterum quo potiori iure filius æterni Regis sit Petrus, præ socijs? naturalis filius nec ipse est, adoptiui sunt omnes, immò, si ducendi essemus à superficie verborum, suspicio oriri posset, reliquos Apostolos aliquando solos dictos fuisse filios Dei à Domino: *Ite nunciate fratribus meis, & Petro.* quasi hic frater non esset. Scio literam intelligendam de fratribus carnalibus Iacobo, & Ioanne consanguineis, quos cum Petro chariores comites semper adhibuit Dominus; de quibus Apostolus: *Si-*

cut Apostoli, inquit, *sicut fratres Domini, & Cephas*, 1. Cor. 9. Sed præter hoc alibi Apostoli omnes filij Dei nuncupantur: *Nunquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus facere ieiunare?* Luc. 5. *Complacuit Patri vestro dare vobis regnum*, Luc. 12. *Scit Pater vester cælestis, quid vobis opus sit*, Matt. 6. & sexcentiès alibi.

57 Occurrit statim hìc, quòd filiatio adoptiua nostra ad Deum, non sufficiat ad liberandū nos à tributis præstandis laico Principi; siquidem, si liberaret, possent claudi inter fideles telonia Principum; & malè Paulus clamaret: *cui tributum, tributum*. cum singuli credentium à Deo adoptētur in filios, iuxta enunciatum Ioannis 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*. aut saltem omnes iusti specialiùs hac gaudeant adoptione per eundem in Ep. 1. c. 3. *Videte qualem potestatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur, & simus*.

58 Ita est: fideles quiq; regenerati sunt in adoptiuam filiationem Deo; sed hoc interest inter eos, qui sub patria potestate in domo paterna morātur; quales sunt Clerici, vnam cum Christo cōstituentes familiam in Ecclesia, vno Patre in omnia eorum bona dispensātore, seu dominātc; ac inter sui iuris emancipatos filios, proprias familias ercíscentes, cuiusmodi dici queunt laici in Ecclesia, proprias singuli domos constituentes, cum proprietate sibi contingentium bonorum, quòd hi soluere possunt, & debēt laicis tributa Principibus; possunt, inquam, quia est illis substantia prophana propria; & debent, cum ab his salus publica custodiatur. Domestici autem alij non emancipati filij, cum omnis eorum substantia, nempe Ecclesiastica Regis patris sit, non licet quidquam de ea imminuere ad præstandum tributum laicum.

Atq; ita dicendum est necessariò, vt scripturæ cohæreant, verè enunciantes, Christianam legem iustam subiectiōné non abstulisse populis erga Principes; & aliæ verè pariter filios aliquos quę eximunt, quos necesse est esse Ecclesiasticos, propinquiùs Patri adstantes contubernales; nam etsi laici fideles filij

 sint,

sint, alieni tamẽ quadantenus videri possunt, atq; tributis obnoxij exinde, quòd emancipati singuli diuersas constituunt familias. Ita Hieronymus, Augustinus, alijs Latinis Patribus sequentibus, hoc loco asserũt, nomine filiorum CHRISTVM vocasse Apostolos omnes; ideoq; immunes. D. autem Thomas in 2. sent. q. 2. ar. 2. in 2. resp. ad primum arg. solos Apostolos, & succedens Ecclesiasticum genus hac Immunitate frui, non verò adoptiuos natos etiam laicos, dicens: *Ideo non sequitur, quòd omnis Christianus huiusmodi libertatis sit particeps; sed solum illi, qui sequuntur Apostolicam vitam, videlicet clericalem.*

59 Porrò eædem consequentiæ multò fortiùs vrgent, si steterimus à pleniori Doctorum consensu, dicentium Apostolos omnes futuros fuisse aliàs, nempe si non fuissent clerici ex Dei familia, tributo obnoxios, quod exigebatur, non in capita familiarum solummodò, sed viritim, Syriaco textu reddente in hunc locum: *Reges gentium, à quo accipiunt tributum, vel pecuniam capitatim?* Missa faciamus externa, noster etiam textus id innuit, nominans hoc tributum censum: *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum?* est autem census propriè, qui in capita soluitur, dum recensentur personæ, vel facultates earum, dictus à censendo; Liuius 1. *Censum instituit rem saluberrimam tanto futuro Imperio.* àc proinde creditur probabiliter fuisse eundem, quem ascenderunt solutum MARIA, & IOSEPH tempore Natiuitatis CHRISTI, dum sub Cæsare Augusto describeretur vniuersus orbis.

Iuuat quod in contrarium afferebatur de exactoribus à solo Domino, societatis capite, tributum poscentibus; nam re vera à solo popoſcerunt, quippè nouerant de communibus loculis ipsum disponere; sed non pro solo, dicentes pluraliter; *Magister vester non soluit didrachma*; nomen .n. græcum est, quod singulariter dici debuisset didrachmũ, obseruantibus hic Barrada, & neotericis alijs expositoribus. at pro solo magistro vnicum suffecisset didrachmum, quandoquidem duo data sunt pro ipso, ac Petro. Siq; tributum hoc sit, quod pendeba-

tur Romanis, ipsum erat didrachmum; nam Romanis Iudæos pendisse tributum, quale templo, author est Iosephus lib. 7. de bello Iudaico c. 26. vbi licèt de impositione facta per Vespasianum loquatur, post Iudæos vndiq; terrarum dispersos, verisimile admodum est ita antea consueuisse; nam Pompeium victis Hebræis imposuisse iampridem tributum Hegesippus scribit lib. 1. c. 7. & idem Ioseph. lib. 14. Antiq. c. 8. templo autem, sicuti supra retulimus, debebatur à singulis vicenarijs maioribus semisiclus, quòd est didrachmum. Neq; refert, quòd postulante aliàs Domino: *Ostendite mihi numisma census*, subdatur: *At illi obtulerunt ei denarium.* didrachmum autem duplex esset denarius; nā fieri potuit, vt qui prestò non haberent integrum numisma census, quod occurrerit proferrent dimidium.

60 Præterea quòd exactores pro solo Domino poposcissent, vtile argumentum esse non potest, solos familiarū Duces fuisse vectigales; siquidem inter Apostolos non deerant alij, qui Patresfamilias essent, qui saltem nō erant ab exactoribus prętereundi: & nihilominus nemo eorum aliquid soluit, sed ea libertate, quæ ipsis, vt filijs Regijs est à Domino adiudicata, pertransierant, excepto Petro, pro quo, sicut pro se ægrè, & vix ad comprimendum scandalū magister, vt vt solui iussit, de pecunia, quam sibi terræ, marisq; Regi tributarius piscis præparasset.

61 Manet igitur Apostolos fuisse liberos, vt filios summi Regis. eandem infimis terrenis Regibus habentibus legem, ne filij tributario ære grauentur. immò hinc reor Latinis filios dictos liberos, quia liberi essent in domo patris, nec quasi serui habendi, vel subditi. ita Caius in l. non est ff. de verb. sign. *Non est*, inquit, *sine liberis; cui vel vnus filius, vnaue filia est*. Paulus ff. de grad. affin. l. iurisc. *Liberi*, ait, *vocantur vsq; ad trinepotes*. & Callistratus l. Liberorum. ff. de verb. sign. *Liberorum*, inquit, *appellatione nepotes, & pronepotes, cæteriq; qui ex his descendunt continentur: hos .n. omnes liberorum appellatione lex duodecim tabularum comprehendit*. Si igitur liberi sunt Apostoli, seu filij,

liberi sint, videlicet exempti ab onere tributorum.

62 Et hæc quidem Apostolis stabiliũt explicitè Immunitatem. Quæ cæteroqui implicitè iisdem constituta apparet, in locis omnibus scripturæ, in quibus Apostolis facultas datur liberè ædificandi, & gubernandi Ecclesiam, Petro quidem ordinario ex munere, reliquis ex delegatione, illi dum dicitur: *Pasce oues meas.* his autem *sicut misit me Pater, ita ego mitto vos.* quod sanè refertur ad antecedentia: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Nimirũ nihil denegari Apostolis, quod ad propagationem, commodum, & indemnitatem Ecclesiæ foret opportunum; inter quæ maximum est exemptio à laico foro.

Item si respexerimus ad authoritatem attributam Petro supra Ecclesiam vniuersam iis: *Quodcunq; ligaueris, &c. Pasce oues meas, &c.* de quibus latè in cap. 3. & 4. egimus; hoc penes omnes manet ratum, & inconcussum, teneri fideles vniuersos Pontificiæ iurisdictioni dirigenti, atq; cogenti in his, quæ spiritale contingunt animæ bonum. Nonne ergo Ecclesiastici viri aliquantò arctiùs erunt eidem Ecclesiasticæ potestati addicti? nullum internoscere erit discrimen? pariter eodem modo subiicientur Pontifici laici, atq; Clerici, & pariter manebunt sub laici Principis Imperio clerici, atq; laici; quis hoc dicat? quis ferat? Potestas Summo Pontifici non deordinata facta est, sed cum subiectæ materiei proportione, prout recta præscribit ratio. Egit cum Petro Dominus, sicut Pharao cum Iosepho: *Constituit enim Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ.* Scilicet in domo dominari contingit Oeconomicè, & propinquiori solicitudine, super regnum verò politicus est Principatus, remotè magis dispositiuus illius. Domus Christi Ecclesia est, Ecclesiastici sunt domestici, & propterea immunes; super hos, quasi Oeconomicè, & de propinquo inuigilat quoad animam, & corpus eius Vicarius, fidelis ille seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis tritici mensuram. Fidelium autem vniuersus cœtus per orbem diffusus possessio eiusdem est, de qua audiuit, dabo tibi

possessionem tuam terminos terræ, Psal. 2. Si igitur Ecclesiastici viri summo vsquequaq; parent Pontifici, tum quoad animam, tum etiam quoad corpus, in spiritualibus, atq; ciuilibus, prorsùs liberandi sunt à subiectione ad laicam potestatem, cum nemo queat Dominis principalibus, & proprijs seruire duobus.

63 Ab Apostolorum deinde iam firmata immunitate, ac potestate; nullius negocij est trāsitare ad clericorum exemptionem succedētium. tantummodò recole, quæ alibi diximus de Pontificij institutione, atq; successione. quæcunq; .n. Apostolis sunt data præcepta, vel priuilegia, publicum Ecclesiæ bonum attingētia, eadem ad nos transijsse, perseueratura quandiu Ecclesia fuerit superstes; hoc est vsq; ad vesperam mundi, non est ambigendum. Qui fideles suos in longa temporum successione futuros, non habebat præsentes Dominus, omnes tamen in Apostolis erudiebat, dixit: *Liberi sunt filij*. appositè, & non: vos estis liberi; vt manifestum fieret, non esse priuilegium Immunitatis indultum personæ, cum ipsa vnà cessaturum, sed filiali dignitati perennaturum in omnibus ea insigniendis: hoc .n. testatum est Iuristis, vide c. Priuilegium, de reg. iur. in 6. vbi attendendum hoc dicitur pro perpetuatione, vel cessatione priuilegij, num collatum fuerit dignitati, quæ nunquam occidit, aut personæ morituræ.

64 Disparitas nihil facit, quòd Apostoli corporali præsentia essent Domini contubernales, ac propterea magis propriè de ipsius familia, quàm clerici videantur nostræui, qui illum non nisi spiritualiter norunt. hoc .n. prorsus est, quod iugiter laborant nobis SS. Patres insinuare, quòd: *Verba Redemptoris nostri non carnaliter, sed spiritualiter sunt intelligenda*, Greg. hom. in Euang. hæc verò omnium maximè, in quibus, sicut filialis dignitas non est carnalis, ita familiaritas sola spiritualis erit attendenda; quam benè nostrates retinent clerici per specialem consecrationem, & mancipationem Diuino obsequio. & idcircò pariter liberi filij, sicut illi fuere.

Non horreas libertatis nomen pro exemptione clericorum,

vt quidam horrere visi sunt, nouam dequerentes vocem; noui quidem dicitur nihil, dum ita habet etiam Concil. Later. sub Innoc. 3. c. 44. & 46. ante quadringentos annos; & multò pridem ita loquutus est Vrbanus PP. in can. Tributum. 23. q. 88. ibi: *Domino pronunciante Sacerdotes in omni gente liberos esse oportere.* Alludit fortasse ijs: *Ergo liberi sunt filij*; vbi Ecclesiastica Immunitas tradita est sub nomine libertatis.

66 Male audit libertatis nomen simpliciter pro absoluta libertate, & dissolutione acceptum, qua omnis penitus quis viuat legis, & directionis ignarus; at nos accipimus libertatem respectiuè ad laicum forum, sequente tamen vigilantiori iurisdictione, & cura Iudicis spiritualis Ecclesiastici, qui neq; oscitabundus clericorum directioni prospiciat, aut nimiùm indulgens pareat, conniueat delinquentibus. Ipsi siquidem Dynastæ sacri, non minùs quam prophani, in suos inuigilant. Immò & ipsæ laicę leges nullatenus sunt Ecclesiasticis hominibus temerandæ, quà Reipublicæ consulunt, & honestati; sed non ex eo, quòd à laicis sint statutæ Principibus; quin potiùs quatenus ius redolent naturale Diuinum, quod violare etiam ipsi est legislatori, seu Principi nefas: neq; .n. aliter humana lex vlla vi pollet obligandi, nisi quantam ex Diuina, aut naturali lege susceperit, cui fuerit conformata. Laici contra statuto Principis æquo stare tenentur titulo duplici, nam præter obligationem hanc, ex æquitate naturali consurgentem ipsis cum clericis, immò cum Principibus ipsis communem, aliā induunt, quæ est ex subiectione, quam debent suo laico Domino, authoritatiuè iubenti. Vnde fit, vt præuaricantes ab eo habeant iudicari, & multari, quia in eius iurisdictionem peccarunt; secus Ecclesiastici non infringant quidem hasce leges impune: verùm nullum est ipsis iudicium cum laico legislatore; sicuti .n. nõ tenebantur ex eius iussu ad inuiolationem, ita cum violarint, rei non sunt læsæ laicæ authoritatis; ac proinde competenti proprio Ecclesiastico Iudici habent dicere caussam, & pęnas luere, iuxta culpæ mensuram; quamuis ratione dignitatis

par sit cum sacra gente mitiùs agere: & quàmuis benignitate Ecclesiastica possint quandoq; abuti perditi homines, non idcirco Spiritus lenitatis sanctus est improbandus. Neq; tandem parcit Ecclesiasticus Iudex capitalibus pœnis, si res exigat; cum .n. deductum fuerit iudicium vsq; ad sententiam sanguinis, quam lenitas Sacerdotalis ferre non debet, cōmittitur laico Iudici, qui gladium gestat; vt Innoc. in c. 1. de maior. & obed. nemine ex iuris peritis non suffragante. Est itaq; Ecclesiastica libertas exemptio ab inferiori laico Iudice; non tamen licentiositas extendendi manus impunè ad fas, & nefas.

67 Vtq; prolixam tractationem de Ecclesiasticorū exemptione, & eius necessitate hic pro coronide consignemus, tantam eam esse concludimus, vt neq; vltrò iuri suo cedentibus clericis, valeat labefactari; vt Iudex laicus nequaquam ius acquirat in clericum ex sola renunciatione priuilegij huius, quæ legitimè nequit fieri ad Iudicem incompetentem, in præiudicium proprij, competentisq; Iudicis, siquidem omnis renunciatio, inferens præiudicium tertiò, sit irrita, ex Glossa recepta in c. Si diligenti. De for. comp. multòq; minùs liceat renunciare priuilegio, quod in odium alterius sit concessum qualisinodi hoc esse dicitur, eodem c. Si diligenti, iuncta glossa, cum laici clericis præsumantur infensi, can. laicos. 2. q. 7. c. Clericos De Immunit. Eccles. in 6.

68 Neq; integrum est Clerico per modum delegationis à laico iudicium requirere; quæ .n. delegatio esse possit à non superiore? porrò non est superior, qui se deijcit iudicandus. ex eo verò quòd laicus non sit maior clerico, sed in ordine ad huiusmodi consideretur, vt incapax iurisdictionis, atq; priuatus homo, argum. leg. sed si manente. ff. de precarijs, sequitur neq; ad modum prorogationis licere clerico se submittere illius cēssioni; non est .n. prorogatio nisi in maiorem, aut sine priuilegij renunciatione, quam validè non posse fieri à clerico de sua Immunitate iam constat. Per modum compromissi non posse clericales caussas ad laicum Arbitrum deduci firmauit pariter.

Glossa, cum Innoc. in c. Dilecti. De Arbitris. Quid superest? vt expressè consentiente Episcopo, laicus fieri possit competens iudex clericorum? neq; hoc tenebit: agitur .n. de re prægraui, iure stabilita Diuino, in qua nil liceat attentare supra id, quod sacri indulgeant Canones, in quibus nil tale cum reperiatur, id sentiunt sensatissimi quiq;, & celebres Iurisprudentes,

69 At consuetudo in pluribus regionibus inoleuit, laicos clericorum caussis intendere; & proinde iam licitè ab ijs non abstinere. Eradicandum verò quod malè inoleuit; etenim consuetudine nunquam præscribunt, qui incapaces supponuntur rei per consuetudinem inducendæ; tales sunt laici respectu iurisdictionis in sacram gentē, iuribus id passim clamantibus c. Caussam quæ. Vbi Doctores de Præscript. c. qualiter, & quando de Iudicijs. Innoc. in c. Postulasti. De foro cōpet. nihil ergo præscribitur laico supra clericum, nisi fortè de longa iurisdictione delegata, quæ à delegante Ecclesiastico Superiore semper manuteneatur, quod potiùs perseuerare est authoritatem, primitùs delegationis titulo factam, laico Iudici, quàm ex consuetudine quidquam præscribi.

70 Non prohibetur quandoquidem Summus Pontifex pro authoritate, qua pollet circà vsum priuilegij huius, clericos immunes aliquando subijcere laicis censoribus, qui delegata potestate de ipsis iudicent; nihil .n. exinde incongruentis consurgit. Maximè quidem absurdum, & factu non licitum foret, quòd omnimodè Pōtifex Maximus Immunitatis priuilegium in Ecclesia antiquaret, Clerum omnem sub laicam redigendo potestatem, & quoad omnigenas caussas. de hoc non dubitant Iuristæ, ratione perefficaci suffulti: etenim, si desit legitima caussa, nequit dispensari in ijs, quæ iure Diuino sunt rata; vsus verò Ecclesiasticæ Immunitatis saltem in communi est de huiusmodi iure; quæ autem excogitari potest vnquam interuentura rationabilis caussa, vnde hæc radicitùs conuellatur Immunitas? nulla sanè; immò si Ecclesiam turbatam desideras; si eius pacem, & commodum odisti; si ordini, & felicitati eius insidia-

 ris,

ris, demas fac de illa exemptionem, tribunalia subuerte Ecclesiastica, conuerte in prophana. Atqui potestas data est Ecclesiam gubernantibus in ædificationem, non in destructionem, ex Apostolo; & refertur in c. literas. De Restitutione spoliat. Quæ agè dic necessitas vnquàm tanta vrgere possit, vt laicus toti clero rogandus sit Iudex? planè subirascar cum Paulo: *Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum, & fratrem?* 1. Cor. 6. Quomodo autem initio nascentis Ecclesiæ dispensatum sit in vniuersa Ecclesia, capite priori iam diximus; tametsi valde intersit inter suspensionem inducendi vsus rei alicuius, & dispensationem eius, iam inoleti; & caussa dispensationis, quæ tunc aderat, modò cessante, nec reditura. Reliqua, si quę de hoc argumento supersunt, dabimus in sequentibus; vbi, redeunte de hac Immunitate sermone ad Bullam Dominicæ Cœnæ, commodiùs laxiori Iuristarum stylo tradenda seruantur.

LAVS DEO.

SYNOPSIS

Capitum, seu materierum, quæ in hoc tomo tractantur.

CAPVT VIII.

Hic Pontifex in indiuiduo fide Diuina credendus.

CAPVT IX.

Regularium Respublica, Maximo vt subdantur Pontifici.

CAPVT X.

Romanum Pontificem ritè dominari alicubì temporaliter.

CAPVT XI.

Secularis Princeps non potest in spiritualibus.

CAPVT XII.

Secularis Princeps non potest in Ecclesiasticos.

CAPVT XIII.

Immunitatem Ecclesiasticam esse de iure Diuino.

INDEX LOCVPLETISSIMVS RERVM MEMORABILIVM,

Quæ in hoc Tomo traduntur.

A

Ana-

B

C

Cal-

D

I

M

T

Laus Deo, ac B. Virgini Sanctissimoq; Parenti Benedicto.

Errata ità corrigenda.

Pag.	*Lin.*	*Err.*	*Correct.*
3	31	fidelium	infidelium
10	27	dilectu	delectu
15	16	irrumpere; Ad	irrumpere ad
29	22	& Dominium	Dominium
34	22	Tunc ergò	Tune ergò
47	31	alteris	alteiûs
61	14	dederunt	diderunt
77	28	figniferi	igniferi
84	24	pollet	pollens
86	24	colligunt	colligant
102	20	Papa	Papam
109	13	Reipublicæ	Respublicæ
120	13	& monarchicam	& non monarchicam
128	15	non obliget	obliget
132	7	Petri Lunij, aut	Petri Lunij qui
132	18	loquentem	loquentium
132	32	Synodus erat	Synodus non erat
141	18	iurisdictione gaudere	iurisdictione non gaudere
163	10	qua vnusquisq;	quàm vnusquisq;
173	23	& ministri	ex ministri
180	19	referendus	præferendus
187	2	prorsum	rursum prorsum
229	24	obiecte fidei	obiecti fidei
232	10	cum plurimum	cui plurimum
232	14	concessio	consensio
237	13	non videatur	videatur
269	5	amando	amandando
272	29	inexpurgabilem	inexpugnabilem
281	23	in irrisum	in irritum
320	22	prohibetur	perhibetur
333	27	diligit nullus	diligit nullius
350	10	se turpiter	turpiter
350	11	pessumdatum	pessumdatam
354	9	aut Petrus aut	nec Petrus nec
369	12	quanquam	quenquam
382	29	Principum	Principes
398	33	reum quoq;	rerum quoq;
399	21	sursum prorsum	rursum prorsum
413	23	nec debeantur	ne debeantur
417	20	non pareant	non parcant
425	17	tantò inferius	tantò superius

Alia errata, si quæ sunt, prudens Lector intelliget, opinor.

REGESTVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk.

Omnes ſunt duerni, præter primum folium, quod eſt dimidium duerni.

BONONIAE,

Typis Franciſci Catanij. M. DC. XXXIII.
Superiorum permiſſu.